
3 1761 07838993 9

EPITOME
THEOLOGIÆ
CANONICO - MORALIS

BIS CENTIS TRIGINTA TRIBUS TABULIS

OMNES MATERIAS PRACTICAS

EXHIBENS,

CONFESSARIORUM, EXAMINAT. NECNON EXAMINAND. USIBUS ACCOMMODATA

AUCTORE

FR. FRANCISCO ANTONIO A GORITIA


IN PROVINCIA STYRIÆ CAPPUCCINORUM ORDINIS OLIM LECTORE, CUSTODE GENERALI, AC MODERATORE EMERITO

OPUS POSTHUMUM

A FR. HIERONYMO A GORITIA

EJUSDEM ORDINIS ET PROVINCIÆ


CORRECTUM, ET AD EXACTIORA PRINCIPIA REDACTUM



BASSANI MDCCCXXXVIII.

SUIS TYPIS REMONDINI

EDIDIT



ADMITTITUR

Vicetiae 1. *Maji* MDCCCXXXVII.

PROSDOCIMUS PICCOLI CAN. VIC. GEN.

NUNCUPATIO

AD PIUM VI. PONTIFICEM MAXIMUM

PRÆMISSA PRIMÆ OPERIS EDITIONI

BEATISSIME PATER

Cum primum animum induxissem in lucem edere hocce Theologiae Canonico-Moralis compendium in certas digestum Tabulas nova methodo, eaque in memoriae subsidium, et promptiorem sacramentalis judicii, necnon sacrarum concionum usum magis accommodata per Fr. Franciscum Antonium a Goritia Provinciae Styriae Cappuccinorum in Ditione Austriae sitae olim Lectorem et Moderatorem, concinnatum, ut uberiores inde in publicum commodum fructus redundarent; nec omnino inquirendum cui potissimum Nomini illud inscriberem, neque diu ancipiti consilio mihi deliberandum fuit: obversabatur enim menti oculisque meis providus ille SANCTITATIS TUÆ Amor, qui, cum decorandae tuorum Praedecessorum Coronae, augendaeque gloriae Dei suavis Dispositio Te in Beatissimi Petri Sedem felicissime invexisset, a primo gressu ad culmen Pontificiae Dignitatis, Religioni Cappuccinorum *totus oculus, totus pes, totus manus* effectus, singularis benevolentiae argumentis, vigilantia, efficacia, et gressu sepivit: obtulit se praeterea hinc munificentia, quae plurium monasteriorum erectione occupabatur; hinc profusa liberalitas, quae quasi trames perennium aquarum serie quadam, mente reverenti recolenda potius, quam incompto sermone effanda, innumerabilia propemodum et adeo luculentia in nos traduxit beneficia, ut jure Cappuccinorum omnium (quotquot suo Religio complectitur sinu) devinctis animis, tamquam naturale tributum, contestandae jugi gratantis animi memoriae, perenne exigerent studium.

Quae cum mente revolverem, oculisque indubie conspicarer, quasi solum se cerneret tantis *Pontificiae Liberalitatis* muneribus cumulatum, justo cor aestuabat desiderio intimos fandi sensus, et pro debito omnium SANCTITATI TUÆ reserandi observantis animi argu-

menta. Et licet e conspectu **PONTIFICIÆ MAJESTATIS** de rei et nominis parvitate erubescerem; reverentiae pavore occupato, objecit se mihi nihilominus extemplo illa de **TUA** dignatione fiducia, quae sibi praestolans quod, inter tot Litteraria munera a tuo potissimum Nomine clarificata, in tanta divitiarum affluentia, paupertatis donum nequaquam vel refugeres vel despiceres, animum efficacitus erexit, et hocce munusculum **NOMINI TUO** *Clarissimo, Sanctissimo,* et pietate in Deum, fide et zelo in Christi Sponsam, constantia demum inter tot frementium procellarum profundissima inferorum versutia quaquaversus adventantes insultus, luce immortalitatis perpetim *Fulturo,* compulit devovere.

Et si quid ultra de Tua, *Beatissime Pater,* benignitate praesumere licet, geminato fiducia mea **TUI NOMINIS** obsequio hocce opus dicandi excitatur impulsu, cum tantisper animum converto ad illam **TUÆ SANCTITATIS** dignationem, quae haereticos ipsos, infensissimosque hostes in Pontificiam Sedem atrocius debacchantes, coactos linguam mutare blasphemam, in Tui rapuit amorem; et qua percitus, cum Vindobonam disrupta consolidare pergeres, **PASTOR OPTIME!** praefatum hujusce compendii auctorem senectute confectum ad *Tuos Pedes* submittentem se propriis ipse manibus benigne sustulit. Cujus eximiae benignitatis specimen adeo visceribus medullisque senis haesit, ut exinde de **TUA SANCTITATE** non nisi quodam velut mentis excessu loqueretur, et a tuis laudibus numquam temperaret. Hinc quid aequius quam exigui pignoris exibitione **TIBI** contestari reverentis animi religionem, publicamque facere **SANCTITATIS TUÆ** excellentissimam **COMITATEM**?

Hancce igitur Epitomen, quam Caelo auspice brevi suae stationis in Alma Urbe intervallo licuit sibi in publicam utilitatem disponere, ad pedes *Pontificiae Majestatis* provolutus **SANCTITATI TUÆ** consecrat alumnus Religionis Sedi Romanae maxime devinctae, eoque suae profert vectigal observantiae, spe firma fretus, illud **SANCTITATI TUÆ** haud injucundum futurum. Cum interea bonorum omnium Largitorem Deum Immortalem effusis cordis votis precatur **SANCTITATEM TUAM**, ut opibus ac gloria circumfluentem, hominum charitate, et praedicatione commendatam, Christianae Reipublicae salutarem, quam diutissime nobis sospitem incolumemque servet; Apostolicamque Benedictionem, sibi Religioni, Provinciae, et Patriae enixius impertiri efflagitat, cultu, obsequio, devotione haeret ad Pedes

SANCTITATIS TUÆ

Humillimus Addictissimus Obsequentissimus Servus Verus
Fr. Hieronymus a Goritia Capuccinus.

PRÆFATIO

AD LECTOREM

Opus hoc mole quidem exiguum, sed rerum materiarumque Canonico-Moralium complexione fœcundissimum, nova forma novaque methodo donatum, studio, labore et non vulgari diligentia elucubratum, de thesauro suo profert Tibi, Lector Benevole ! A. R. P. FRANCISCUS ANTONIUS a Goritia Ordinis Capuccinorum in Provincia Styriæ secundo Lector, Custos Generalis, et Moderator emeritus: vir Generis et Patriæ nobilitate clarus ; clarior doctrina, et erudititone, probitate morum, conversationis venustate, regiminis justitia, disciplinæ zelo, bonorum contemptu, adeo ut inter tot egregios viros, qui ea tempestate maxime florebant, ad Provincialatum secundo expetitus, et abs dubio promovendus (Ad verecundiam elationis, quæ empta spebus, profligataque, ut altius laudes cieat, adulatione, et supra modestiam latitantium ingeniorum fama sibi constructa, omni oculo patet, omni gressui adest) ; ne digniori, ut ipse putabat, evectionem turbaret, commendabili quidem obtentu in itinere subsistens, Capitulo noluerit interesse ; pietate demum, religione clarissimus, et in omnem prorsus proximorum utilitatem effusus . Quippe qui ab adolescentia Deum timere edoctus, ad veræ Sapientiæ casta connubia ineunda omne contulit studium ; itaut quidquid temporis a pietatis, et proprii muneris officiis vacaret, brevissimo somno interjecto, lectioni vel scriptioni daret eo unico fine, ut quod sine fictione didicisset, absque invidia communicaret ; non plausu, vel fucatis hominum laudibus captandis, quinimo ædificandis in Domo Dei populis, imbuendis, probandisque per veram et facilem methodum Ministris . Hinc pluribus libris de Theologia Canonico-Morali universa, de Monumentis Sacris, et Profanis, de vera Minoriticæ Regulæ intelligentia etc. docte et fundate, maxime ad nostrorum temporum exigentiam conscriptis, et hanc contexuerat Analysin totius Theologiæ Canonico-Moralis, qua in bis centas triginta tres Tabulas distributa, omnes materias practicas seorsim continente, Tyrones, et Confessarii adjuti, eo arctius mente eas retinerent, quo complexione totius materiæ sub uno schemate ordinatæ per localem memoriam adjuvarentur . Verum desiderium illius frustravit mors præmatura minitata plane, cum reliquis, et hoc opus se obliteraturam . Cum Superis placuit ut ad manus meas devolveretur (cui forte plus cæteris in votis erat, ut idem luce publica donaretur), statim animum adjeci, ut quod Cl. Auctor morte præventus non potuit, opere complerem . Diu tamen reluctabar, quod tot insanientium, et contra novas Moralium editiones bacchantium invidiam pertimescerem ; ast composito ad rationem animo, timore omni depulso, et humano quovis respectu excusso, æqua lance ponderatis, hinc, quæ ingruunt, otiosorum dicteriis, illinc Studiosorum et Confessariorum utilitate: imparibus in statuendo æquilibrio illis, hæc pondere gravior animum abripuit, inque præconceptum propositum firmavit profundius, & arctius fixit .

Quidquid igitur, ob inveteratam et furentem censurandi libidinem, quosdam garrire oportuerit, omnia

in charitate Christi præoccupantem talia non erunt, quæ a consulendo publicæ utilitati me offendant, dejiciant, vel retrahant. Cui enim non obvia utilitas, quam hinc haurire poterunt tum Provectiores, tum Theologiæ Canonico-Moralis Tyrones et Candidati? Constat enim ex una parte studium morale et necessarium esse, et mente facile excidere, ubi non sit continuum; ex altera vero Confessarios timoratos etiam et solertiores, præcipue Parochos et Curatos, qui præter Confessiones, Verbo Dei, Sacramentis administrandis, rudioribus instruendis, pueris examinandis, infirmis visitandis vacare, rebus præterea domesticis, Ecclesiarum emolumento, œconomiæ, decori prospicere debent, ut propterea vel nullum vel certe brevissimum sibi tempus suppetat studio moralium impendendum: cum ecce in qualibet ex his Tabulis collectam integram materiam habentes (quam per longum, et ex professo ab Auctoribus pertractatam præsupponuntur legisse), in ictu ferme oculi eam percurrere possunt. Imo, stabilito jam sibi per accuratius studium in conscientiis dirigendis, dubiis resolvendis, statuendisque et dignoscendis peccatis, recto judicii dictamine, per unicam harum reminiscentiam, et ab oblivione procul aberunt, et ab errore.

Neque minorem profectum sibi præstolari exinde possunt in materiis practicis Teologiæ Canonico-Moralis Candidati. Nam postquam Tractatus quosvis serio studio et applicatione persolverint, principiis, definitionibus, divisionibus arctius retinendis, confusioni (quam passim ingerunt Casuistarum farragines) præcidendæ ordinem methodumque facilem, claram, brevem, ordinatam, et ad rem accuratius respondendi hic habebunt: consequenter, et fidentius sese quibusvis examinatoribus sistendi facilitatem.

Quibus etiam plurimum consulere per hoc voluit Auctor noster. Enimvero, non semel fuit offendisse in excruciatores potius, quam examinatores, qui non modo mediocri, sed etiam eminenti scientia imbutos confusa et deordinata examinandi forma in confusionem induxerint, et tandem, nescio quo fato, vel reprobarint, vel approbationem ad aliud examen distulerint. Ætatis quippe nostræ multiplex experimentum. Hincque etiam idonei utriusque Cleri tam Sæcularis quam Regularis, qui charitatis, non beneficii titulo, saluti animarum opitulari gestirent, ab suscipiendo Confessarii onere ut plurimum absterreri compertum est: antiquum siquidem, et ipsimet naturæ insitum est abhorrere a publica confusione, quæ in quolibet (præsidentibus præsertim ipsismet Ecclesiæ Prælatis) implicato ac male ordinato examine impendet. Quibus incommodis providissime occurrit Cl. Auctor etiam Examinatoribus exhibendo normam ordinatim et accuratissime tentandi examinandorum capacitatem.

Quidquod ipsis concionatoribus etiam, præsertim novellis; nec non, quibus catechizandi onus impositum est, opus assero plurimum utile. Exhibentur enim sub unaquaque Tabula exhaustæ materiæ ab omni alia discretæ, practice dispositæ et divisæ, ex quibus, si non sit adeo crassæ minervæ, Concionator, Catechista brevi temporis intervallo, imo dixerim, quasi imparatus et ex tripode, poterit concionem aut catechesim ordinatissimam construere.

Jam tantæ utilitatis pondus quam parum levari vincique possit ab impendentibus quorumdam forte criticorum dicteriis, quominus a consiliis retrahar, nemo non videt. Tu vero, Lector benevole, æquo bonoque animo stylum suscipe, non luxurientis potius Rethoricæ artis mendacio fucatum, quem multi hodiedum in publicis disputationibus instituendis, ac etiam Theologicis quæstionibus pertractandis usurpant, utique non Auditorum vel legentium utilitati prospecturi, sed potius Ciceronianæ facundiæ auram captaturi, Oratores, non Theologi dicendi, enervant, non stabiliunt; confundunt, non explicant Theoremata Theologica: neque in stylum planum et humilem insurgas. Moralia enim mente retinenda compendiose pertractamus, quæ utique stylo admodum obvio conscribere oportebat: hac præsertim tempestate, qua oblitterata ferme videtur lingua latina, ita ut pro studiosorum intelligentia (praxi, meo judicio, haud laudanda, quod nacta sit pusillos et præsertim fœminas litteraturam mentientes, in omnem malitiam inducere) Theologia Moralis lingua vernacula passim edi et pertractari oporteat; et vel ideo antiquorum Patrum latinorum, Doctorum et Theologorum vestigiis inhærendo, tali stylo nobis utendum est, quem et prompti et crassioris ingenii studiosi percipiant, *Ossum* dicturi cum D. Augustino, ubi ly Os apud magis imperitos amphibologiam causare possit: nosque servare Ciceronem mentiri cum pro *Domo* nostra coram Litterariæ Reipublicæ Patribus nos disserere oportuit: tunc nobis limandæ periodi, tunc verba sonantia, phrases politiores concinnandæ.

Non deerit fortassis qui hoc oraculorum potius, quam Theologiæ Canonico-Moralis Compendium vocet, ex

eo potissimum capite quod totum in absolutis decisionibus, modicum vero sit in rationibus et momentis. Ast, præterquam quod omni ætate desideratum concupitumque fuit, ut Moralistæ minus essent solliciti de coacervandis undique, et ex toto terrarum orbe Casuistarum dicteriis, quid quisque sentiat, magis vero sinceri in propria mente aperienda et stabilienda (quæ causa, et origo potissima laxitatum, quod Tyrones crederent sibi licere ex allatis, quam sibi libuisset, desponsare sententiam); Doctrinam a melioris notæ Theologis, signanter a D. Thoma et Benedicto XIV. traditam compendio quodam in systema redacto exhibere doctis et indoctis intendimus, jam non addiscendæ funditus scientiæ morum, sed jamjam per diligens studium comparatæ, et ex fontibus haustæ vel hauriendæ præsto esse, ne facile memoria excidat, imo ut altius eidem figatur. Unde necessario admonendi veniunt Candidati et Tyrones, se certo certius in deceptionem abituros, ubi ea forte ducti persuasione, quod ea sufficiat in compendio scire, in doctrina morum sese fundare neglexerint. Igitur Auctor non Tyrones docere, sed jam edoctos juvare contendit.

Unum jam hujus operis perfectionis deerat, quodque adjicere perdifficile videbatur. Nam ex sententia loquens Doctoris Angelici, Benedicti XIV., aliorumque, nullum in suo manuscripto adducebat locum, et quamvis in aperto esset eum non novam, sed noviter antiquam Ecclesiæ morum doctrinam apud magis classicos Theologos et Canonistas passim inveniendam, et ab his propugnatam tradere; nihilominus, hac cumprimis ætate, qua non pauci, qui clarissimi vocitantur, deprehensi sunt Doctorem plane Angelicum in suam ipsorum violenter pertraxisse sententiam, arduum admodum mihi videbatur Reipublicæ litterariæ ejusdem persuadere fidelitatem. Hinc, ut omnis propulsaretur suspicio, cum pro lubitu auctoritatem confixisse, animum adjeci immenso et intollerabili labori, conquirendorum nimirum locorum, quæ citare intermiserat. Placuit supremo Numini ut et hunc laborem, ægre cœptum, jucundius prosequerer, felicissimeque ad suum terminum promoverem. Citatis igitur ab illo auctoritatibus locum, librum, cæteraque quæ desiderari poterant, fidelissime adposui. Quædam, quæ ipsemet Auctor, si superstes fuisset, correxisset, emendavi; quædam inserui, vel detraxi: doctrinam ipsam, ut nemini offendiculo essem, quantum licuit, ab omni probabilitate purgatam firmiore sententia donavi, Tabulasque ad meliorem formam et exactiora principia reduxi. Et ne per objecta diversa, vel diversum modum memoriæ ingereretur confusio, quæ pro planiori intelligentia exigebantur, sub N. B. ad calcem cujusque Tabulæ membri seposui: ea vero, quæ consectaria sunt, seu quæ ex integra Tabula deducuntur corollaria, in fine cuilibet Tabulæ adjeci, ac currenti caractere distinxi.

Me quidem non latet et aliud censuræ, dixerim, non injustæ caput superesse; quod nimirum Compendium hoc ad perfectiorem formam, et Tabulæ ad æqualitatem reduci potuissent; esseque quædam quæ cum titulis ad claves quasque expositis non connectuntur sensu et constructione: ast et huic obvia responsio. Melius duxi in hac prima editione aliqua permittere, in quibus expurgandis longius tempus insumi oportuisset, quam diutius publicæ utilitati illud subtrahere, forte maxima ejusdem penitus obliterandi probabilitate, sicque et Religioni et Provinciæ deesse officio. Quod autem inæqualitatem Tabularum respicit, id ex majori vel minori materiarum fœcunditate provenire cuilibet planum. Tandem si quæ sunt quæ a Radice marginali deflectunt, suis (*) Asteriscis signavi, ut memoria ipsa vario signo adjuta sejunctim notata retineat. Et ne infinitus sim,

Accipe igitur, Lector ingenue, Compendium hoc qualecumque sit, quod prælaudatus Auctor invenit, et mea diligentia tibi exactius disposuit; et devora illud. Apprehende cujusvis Tabulæ RADICEM, quam in medio a sinistris per modum Notæ marginalis tamquam stipitem positam cernis: e. g. Tabula I. *Confessarius, ut Sacramentum Pœnitentiæ etc.* Percurre RAMOS numeris Romanis distinctos, in quos stipes abit I. *Valide*, II. *Licite*; et quid quisque germinat menti fige; membra nempe divisa et subdivisa suis sub lineis complexa, numerisque arabicis signata, uti sub I. *Valide* comprehenduntur 1. *Dignitas Sacerdotalis*. 2. *Jurisdictio*, quæ dividitur in *Ordinariam*, *quæ competit Rom. Pontifici etc.* et *Delegatam*, *sive a Papa etc.*; descendensque oculis tibi occurrit 3. *Approbatio*, quæ duo membra complectitur, inde redeundo tibi offertur 4. *Intentio*, et 5. *Reminiscentia etc.* Dein redi ad RADICEM *Confessarius etc.*, et discurre per ramum alterum II. *Licite etc.*: invenies eum complecti 1. *Probitatem vitæ*, quæ dividitur in *Legalem*, *et Moralem*. 2. *Scientiam*, quæ esse potest vel *Eminens*, vel *Mediocris*; demum 3. *Prudentia* exercenda circa *Personam propriam etc. Adstantes etc. Pœnitentem etc.* Sicque gratum invenies, per-

jucundum, facileque studium Canonico-morale. Postquam legeris, ac plene intellexeris, mente rumina, ut memoriam localem figas, et sic longa habitudine totam per Tabulas Theologiam Canonico-Moralem memoria retinenti facilis tibi erit in confessionali cujuscumque casus practica resoluti, teque a quocumque examine cum laude expedies.

Si qua tibi inde utilitas, quo mea vota tendunt, Deo ter Optimo Maximo grates repende, qui ille est solus, qui talenta creat, donat, ditat, instruit, illuminatque in ædificationem suæ Ecclesiæ; et posteaquam de progressu tuo gavisus Deum laudaveris, ne obliviscaris Auctoris, qui cum utilitati tuæ laborasset, post acceptam junctis manibus a Celsissimo, Reverendissimo et Religiosissimo Rodulpho Josepho e Comitibus ab Edling S. R. I. Principe, et Archiepiscopo Goritiensi Absolutionem et Benedictionem Papalem, inter manus suorum Confratrum circa finem Martii An. 1784. in bona senectute quinquagesimo quinto Religiosæ vitæ anno, studiis et laboribus consumptus religiosissimam vitam pari morte placidissime clausit. Vale.

INDEX TABULARUM

B

FACULTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS

Nos Fr. Angelicus a Saxolo Totius Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum Minister Generalis.

Cum Opus, cui Titulus: *Epitome Theologiæ Canonico-Moralis etc.* a R. P. Fr. Francisco Antonio a Goritia Ordinis Nostri in Provincia Styriæ antiquo Theologiæ Lectore, Custode Generali et Provinciali emerito compositum, et a R. P. Hieronymo a Goritia Secretario Nostro Generali ejusdem Ordinis et Provinciæ Concionatore auctum et expurgatum, duo Theologi Ordinis Nostri, quibus illud examinandi provinciam demandavimus, accurate recognoverint et probaverint; publicæ utilitati consulturi facultatem lubentissime impertimur, quatenus, servatis de jure servandis, si ad quos spectat visum fuerit, prælo mandetur. Datum ex Conventu Nostro Immaculatæ Conceptionis de Urbe die 15. novembris anno 1795.

Fr. Angelicus Minister Generalis.

APPROBATIONES THEOLOGORUM ORDINIS.

Ex Commissione Reverendissimi P. Angelici a Saxolo totius Ordinis Min. Cappuccinorum Ministri Generalis, ea, qua par est, diligentia et attentione perlegi *Epitomen Theologiæ Moralis, Auctore A. R. P. Francisco Antonio a Goritia Ord. Min. S. Francisci in Provincia Styriæ S. Theologiæ olim Lectore, nec non Ministro Provinciali emerito* adornatam, nihilque in ea mihi visus sum deprehendisse, quod vel Orthodoxæ Fidei, vel morum regulis repugnaret, aut ad utilem hujus Epitomes illustrationem tam in re Canonica, quam in re Morali non conferret; quare dignam censeo, quæ Typis edatur. Dabam Romæ die 7. octobris anno 1795.

Fr. Bernardinus Lohamensis Cappuccin.
Definitor Generalis ac S. Theologiæ ex-Lector.

De mandatu Nostri Rmi. Patris Generalis Angelici a Saxolo attente legi et consideravi Compendium Theologiæ Moralis per Tabulas dispositum et ordinatum ab *Adm. R. P. Francisco Antonio a Goritia Ordinis Nostri in Provincia olim Sac. Theologiæ Lectore et ex-Provinciali.* Cumque nihil contra Fidem nec bonos mores in eo invenerim, sed et Studiosis valde utile et commodum credam, tam ob dexteritatem in tractando materias morales, quam ob facilem methodum ad eas perquirendas; judicavi quod Typis mandari possit. Sic sentio, salvo &c. Romæ in hoc Cappuccinorum Immaculatæ Conceptionis Conventu die 5. novembris anno Domini 1795.

Fr. Nicolaus a Bustillo Definitor Generalis,
ac Sac. Theologiæ ex-Lector.

TABULA I. *De Requisitis in Confessario ad valide et licite excipiendas Confessiones.*

Confessarius ut Sacramentum Pœnitentiæ administret

- **I. Valide, requiritur**
  - **1. Dignitas Sacerdotalis** — Quia Christus Joan. 20. & 23. solis Sacerdotibus dixit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.
  - **2. Jurisdictio vel**
    - **Ordinaria quæ competit**
      - *Sum. Pontifici* respectu omnium Christifidelium.
      - *Summo Pœnitentiario* respectu eorumdem.
      - *Nunciis Apostolicis* pro suis Provinciis.
      - *Archiepiscopis* & Episcopis pro suis Diœcesibus.
      - *Vicariis Generalibus* Episcoporum, sicut Episcopis.
      - *Capitulo* Sede vacante, vel ejus Vicario, sicut Episcopis.
      - *Generalibus* Ordinum Regularium pro tota eorum Religione, tamquam quasi Patriarchis.
      - *Provincialibus* pro tota eorum Provincia.
      - *Parochis* pro sua cuique respective Parochia.
      - *Vicariis perpetuis* Parochorum pro suis Vicariis.
      - *Superioribus localibus* Regularium pro suis respective Familiis.
    - **Delegata sive**
      - *A Papa* immediate, uti Regularibus *ex Cap.* Super Cathedram 2. *de Sepulturis inter Extrav. commun. & Cap. Dudum* 2. *de sepultur. in* 6.
      - *Ab Episcopo*, uti Regulariter aliis omnibus.
      - *A Parocho*, quam tamen nonnisi approbato dare potest.
      - N. B. *Sive dein delegato ab habentibus jurisdictionem ordinariam fiat expresse, sive tacite, dummodo tacitus consensus ipsius delegantis sit de præsenti, & signo aliquo externo manifestetur.*
  - **3. Approbatio, quæ acquiritur**
    - *Per Collationem* Parochialis Beneficii per concursum obtenti *ex Tridentin. ss.* 23. *c.* 15. *de Reform.*, quæ solum valet pro sua Parochia. *Ex decis. S. Congregat. apud Bened. XIV. Instit.* 86. §. *Quia de facultate.*
    - *Ab Episcopo* illius tamen Diœceseos, in qua quis vult excipere Confessiones. *Benedict. XIV. Constit. quæ incipit* Apostolicum Ministerium, *inserta Tom.* 4. *Bull. ejusd. fol.* 39. *edit. Venet.*
    - N. B. *Sine dicta* Approbatione *nemo nequidem Regularis, licet Ordinis Exempti, quamvis in Theologia laureatus, potest excipere confessiones sæcularium, prout uberius suo loco.*
  - **4. Intentio** quæ sit *actualis* sive explicita, sive implicita; sive in actu signato, sive in actu exercito, optima est, sed non necessario requiritur, bene vero *virtualis*.
  - **5. Reminiscentia** peccatorum auditorum saltem confusa, dum absolutio danda est.
- **II. Licite & rite, requiritur**
  - **6. Probitas vitæ, tum**
    - *Legalis* consistens in carentia impedimenti Canonici, v. g. Excommunicationis, Suspensionis, Interdicti, Irregularitatis, &c.
    - *Moralis*, sita in statu gratiæ acquisito per confessionem sacramentalem, vel etiam per contritionem, saltem pro casu, quo abesset copia confessarii, & simul urgeret necessitas excipiendi confessiones.
  - **7. Scientia, quæ si sit**
    - *Eminens*, est optima, sed non requiritur. DD. passim & expresse *Benedict. XIV. in Encyclica, quæ incipit* Apostolica. *Tom.* 3. *Bull. ejusdem f.* 84. *Edit. Venetæ.* §. 21.
    - *Mediocris*, sufficit, respectiva tamen ad loca, personas, ac ad triplex officium *Judicis, Medici & Doctoris*. Porro quænam censeatur mediocris? suo loco exponetur. *Vide Innoc. III. apud Bened. XIV. lib. Institut. Instit.* 56. §. 2.
  - **8. Prudentia exercenda tum circa**
    - **Personam propriam**
      - Vigilando saluti propriæ conscientiæ.
      - Item saluti & munditiei proprii corporis juxta alibi fusius dicenda.
    - **Adstantes**
      - Evitando partialitatem.
      - Non nimis alte loquendo.
      - Gestus, aliave similia omittendo.
    - **Pœnitentem**
      - Ipsum quando & quantum opus est, examinando, utendo terminis modestis, præsertim dum mulieres & minoris ætatis personæ examinandæ veniant circa luxuriam.
      - Ipsum in ignorantia existentem charitative instruendo, juxta dicenda in *Tab. seq.*
      - Sese accusantem de peccato cum altera persona commisso, nunquam interrogando de nomine, vel habitatione complicis. *Vide Tabul. II.*
      - Dubia ipsius solide resolvendo.

TAB. II. *De munere et obligatione Confessarii.*

Confessarii obligatio est

I. Examinare
1. Rudiores crassiori modo ad captum eorumdem.
2. Ægrotantes leniori.
3. Omnes de specie & numero peccatorum & circumstantiis aggravantibus.
4. Nullum ex notitia hausta a complice sibi confessa, nisi a longe.
5. Nullum torturante, sed solum morali diligentia & industria eo plane modo, quo pœnitens tenetur discutere suam conscientiam, qui non sese excruciare, sed moralem diligentiam impendere jubetur.

II. Instruere
1. Ignorantem mysteria fidei necessaria necessitate medii, quorum fides explicita ad valorem Sacramenti est simpliciter necessaria, juxta omnes.
2. Ignorantem necessaria necessitate præcepti: utpote, quorum ignorantia vincibilis & culpabilis sit, graviter peccaminosa; & obstet Sacramento, nisi detestetur, firmiterque ablatio proponatur.
3. Ignorantem requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ valide & licite suscipiendum.
4. Ignorantem aliquid esse peccatum, nisi aliter prudentia suggerat pro casu ignorantiæ invincibilis; quæ tamen videtur solum habere locum, dum aliquid jure dumtaxat positivo præcipitur, aut prohibetur.

III. Cavere
Ne a pœnitente sese accusante de peccato commisso cum secunda persona, exigat hujus nomen, aut locum habitationis; quod sub pœna suspensionis ferendæ sententiæ ab officio Confessarii prohibetur a Bened. XIV. *per Constitut. quæ incipit:* Suprema omnium Ecclesiarum, *insert. Tom. 1. Bull. ejusdem fol.* 326. *Edit. Venet.* §. 3.

IV. Absolvere Legitime confessum, riteque dispositum ex justitia.

V. Differre Absolutionem, sed nonnisi urgente necessitate.

VI. Denegare absolutionem illis, qui vel
1. Nulla dant signa veri doloris.
2. Odia & inimicitias deponere recusant.
3. Aliena, cum possint, non volunt restituere, juxta dicenda suo loco.
4. Occasionem proximam deserere detractant, juxta dicenda alibi.
5. Ignorant necessaria necessitate Medii, vel Præcepti, juxta dicta & dicenda.
6. Nullam adhibent diligentiam & sollicitudinem se se emendandi a vitiis, de quibus repetitis vicibus fuerunt a Confessario correcti.
7. Scandalum publicum, sive activum, sive pusillorum tollere recusant, uti publicum concubinatum; publicas picturas venereas; ornatus, luxum vestium, corporisque compositionem ad libidinem provocantem, nihil pendendo prætextus, Nobilium præsertim, consuetudinis, vel convenientiæ status, qui contra Regulas Evang. de modestia Christiana nunquam præscribent.

VII. Corrigere errores commissos intra confessionem

Substantiales, uti sunt
- Absolvere non obtenta jurisdictione, vel approbatione, sicut etiam ex inadvertentia non absolvere.
- Absolvere, nullo, nequidem veniali peccato percepto, vel adeo peccatorum immemor, ut ne quidem confusa status pœnitentis habeatur cognitio.

N. B. *Tales errores ex culpa, præsertim gravi commissi, debent sub mortali corrigi, etiam cum gravi Confessarii incommodo intra sequentem, vel extra Confessionem, petita prius debita licentia. Inculpabiliter commissi, non debent necessario corrigi cum gravi incommodo Confessarii; quale juxta multos censetur illa confusio & infamia Confessario inde resultans: excipe tamen casum, in quo pœnitens invalide absolutus esset in periculo mortis.*

Accidentales, uti sunt
- Non intelligere speciem, vel numerum peccatorum.
- Non istruere pœnitentem circa ea quibus imbuendus erat, ut supra.
- Non monere pœnitentem de obligatione restituendi, satisfaciendi &c.

N. B. *Talis error inculpabiliter commissus, sive cum, sive absque damno proximi, non est necessario corrigendus, præsertim cum gravi incommodo Confessarii, etiam supposita positiva damnificatione: quod si damnificatio primo foret inferenda, charitas exigit, ut impediatur etiam cum aliquali incommodo. Si autem ex culpa, præsertim gravi, cum damno tertii sit commissus, etiam cum gravi sui incommodo tenetur errorem corrigere: ex charitate si fuit causa negativa, v. g. non obligando ad restitutionem: ex justitia, si causa positiva; de obligando positive. Fusius alibi. Quod si non intercedat damnum tertii, non videtur teneri ad errorem corrigendum.*

TAB. III. *De Moralitate Actuum humanorum, eorumque requisitis, et impeditivis.*

Actus humanus dicitur, qui elicitur ab homine cum prævia deliberatione, ac libera electione: Ad quem requiritur

- I. Voluntarium, sive
  - 1. Directum, ad quod in genere morum requiritur
    - Ut cognoscatur objectum moraliter tale cum omnibus ad ipsum concurrentibus: nam in tantum aliquid est volitum, in quantum est præcognitum.
    - Ut intendatur bonitas in actibus bonis, quia bonum ex integra causa.
    - Ut prævideatur, vel prævideri & potuerit malitia in actibus malis, licet hæc intenta non fuerit: malum enim ex quolibet defectu.
  - 2. Indirectum, & in causa, ad quod requiritur
    - Prævisio effectus ex talis causæ positione secuturi; vel saltem quod potuisset, debuissetque prævideri effectus, vel ejusdem secututi periculum.
    - Potestas non ponendi, vel auferendi talem causam, quia nemo peccat in eo, quod vitare non potest.
    - Obligatio non ponendi, vel talem causam auferendi, sive charitatis, sive titulo justitiæ: qua obligatione non existente, effectus secutus ex positione, vel omissione actus dicetur quidem physice, minime tamen moraliter & culpabiliter voluntarius.
- II. Liberum, & quidem
  - 1. Non solum *libertate a coactione*, seu violentia extrinseca, sed etiam *a necessitate*, adeo, ut agens sit ita indifferens, ut positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere, vel non agere: aut etiam oppositum agere. *Ex Alexandro VII. damnante propositionem Jansenii n.* 3.
  - 2. Tollitur per
    - *Violentiam*, passo tamen active resistente; nam ut aliquid dicatur simpliciter violentum, præsertim in genere morum, requiritur ut violentiam patiens resistat non solum negative, idest non cooperando quoquo modo actioni violentæ, sed imo resistat positive, vim active & extrinsece repellendo.
    - *Ignorantiam invincibilem*, quam dari posse non solum circa legem positivam & humanam, sed etiam divinam; imo circa quædam præcepta juris naturalis valde abstrusa, remota a primis principiis, communiter adseritur, sequiturque ex damnato Romæ an. 1685. articulo 5. quorundam Theologorum Lovaniensium, secus vero circa prima juris naturalis principia, & conclusiones ex illis immediate & clare deductas: tam antecedentem, quam concomitantem: habitualem & actualem: sub quo nomine venit inadvertentia, quidquid aliqui velint exclusam ignorantiam actualem, *de qua suo loco*.
    - *Metum gravem*, sive pervertentem usum rationis, sive auferentem obligationem legis, seu facientem, ut, eo stante, lex cesset obligare.
    - *Concupiscentiam* antecedentem adeo vehementem, ut pervertat usum rationis, excipe habituarum in aliquo peccato, cui concupiscentia in causa voluntaria est plene libera.
  - 3. Minuitur per
    - *Ignorantiam* licet vincibilem, dummodo non sit affectata: quæ tamen nunquam adeo liberum minuit, ut ex mortali faciat veniale.
    - *Metum gravem*, relinquentem licet usum rationis: intellige solum intra eamdem speciem mortalis, vel venialis: quia nunquam debet adeo minuere, ut ex mortali fiat veniale.
    - *Concupiscentiam antecedentem* relinquentem usum rationis; ex quo fit, quod peccatum aliquod ex vehementi aliqua passione commissum sit minus peccatum in eodem tamen genere peccati, quam commissum sine tali passione (ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 77. *art.* 6.), cum passio quævis minuat cognitionem indifferentiæ. Excipiendos reor occasionarios occasioni proximæ sese exponentes. Nam talis est occasionis proximæ natura, ut cognitionem indifferentiæ, libertatemque non auferat.
  - 4. Non tollitur, nec minuitur
    - *Ab ignorantia consequente* & vincibili saltem affectata, utpote quæ censetur directe volita: hincque debet potius augere voluntarium, consequenter malitiam actus.
    - *A metu levi*, cum in potestate operantis ex tali metu sit repellere talem metum, eique non acquiescere.
    - *A concupiscentia consequente* (ex D. Thoma), utpote quæ censetur indirecte, seu in sua causa volita.
- III. Ut fiat cum *advertentia ad regulam morum*, tum remotam & extrinsecam, quæ sunt leges præsertim æterna sive præcipientes, sive prohibentes, sive permittentes: tum etiam proximam & intrinsecam, quæ est conscientia, loquendo de actibus humanis. Excipe consuetudinarios in consuetudine voluntarie persistentes, quia inducta voluntarie necessitate, non requiritur in illis advertentia, cui renuntiarunt.

TAB. IV. *De Moralitate, praesertim Malitia actuum humanorum.*

Moralitas, seu bonitas, vel malitia actuum humanorum consistens in conformitate, vel deformitate, actus ad regulas morum alia est

- I. Essentialis, quæ desumitur ab
  - 1. *Objecto*, non quidem in esse physico considerato, sed in esse morali; seu prout dicit respectum ad regulas morum, leges videlicet, & conscientiam.
  - 2. *Circumstantiis* indulgentibus rationem objecti ex intentione operantis, quod contingit, cum circumstantia aliqua transfert actum a statu indifferentiæ ad statum moralem: ut si ambulatio, de se alias indifferens, fiat ob finem bonum, vel malum.
- II. Accidentalis, quæ desumitur ex circumstantiis, qua talibus, quarum aliæ sunt
  - 1. *Formales*, seu tenentes se ex parte ipsius actus, ut major, vel minor intentio, aut duratio actus, facilitas, vel difficultas in operando.
  - 2. *Objectivæ*, seu se tenentes ex parte objecti, quarum aliæ sunt
    - 1. *Generales*, quæ in omni omnino peccato includuntur, uti ingratitudo, inobedientia, contemptus materialis.
    - 2. Speciales, quæ non includuntur in omni peccato, & specialiter prohibentur; hujusmodi sunt septem
      - *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*.
      - *Quis* denotat personam, non ut operantem secundum se, sed ejusdem qualitates, uti Sacerdos, Uxoratus.
      - *Quid* non ipsum objectum secundum se, ad quod actus tendit, sed quantitatem ipsius, vel qualitatem, ut si violetur persona, aut res sacra.
      - *Ubi* locum, in quo facta est actio, ut in Ecclesia, loco publico.
      - *Quibus auxiliis* media, & instrumenta actionis, v. g. veneno.
      - *Cur* finem extrinsecum, propter quem facta est actio.
      - *Quomodo* modum, quo facta est actio: ad quem reducuntur modi illi nimis, & extraordinarie lascivi in usu venereorum.
      - *Quando* qualitatem temporis sacri, vel non sacri, quæ circumstantia plerumque non addit specialem malitiam, sive feriali quis peccet, præcisa perversa intentione, idem specie peccatum committit.
    - 5. Speciem mutantes, uti
      - Persona sacra peccans carnaliter, utpote addens specialem malitiam sacrilegii.
      - Parochus peccans cum sua pœnitente parochiana, utpote addens malitiam injustitiæ.
      - Confessarius sollicitans in, vel occasione confessionis ad turpia, utpote addens malitiam sacrilegii.
      - Peccans cum ligata, sacrata, sanguine juncta, quia superaddit malitiam injustitiæ, sacrilegii, irreverentiæ.
      - Qualitas loci sacri, vel publici, utpote addens malitiam sacrilegii, vel scandali.
      - Peccans cum sponsa alterius juxta aliquos, secus juxta probabiliorem.
      - Ablatio sacri de sacro, sacri de non sacro, vel non sacri de sacro, præsertim si pertineat ad Ecclesiam, vel saltem Ecclesiæ datum sit in custodiam.
      - Occasio voluntaria, & culpabilis in loco sacro, aut notabilis effusio humani sanguinis, vel effusio seminis humani in loco sacro juxta alibi dicenda.
      - Universim quando actus opponitur vel virtuti specie diversæ, vel eidem, modo tamen notabiliter diverso.
    - 4. Aggravantes solum intra eamdem speciem
      - Formales omnes, & objective generales, extra casum, quo hæ essent specialiter volitæ & intentæ.
      - Dignitas major, vel minor personæ, præciso tamen scandalo.
      - Virginitatis voluntaria amissio ac libera, juxta probabiliorem, quidquid sentiant aliqui, qui volunt eam continere malitiam specie distinctam, præsertim si amittatur a virgine sub cura parentum existente.
      - Tactus, aspectus, locutiones libidinosæ in loco sacro, absque pollutione tamen, juxta probabiliorem; quidquid in contrarium sentiant aliqui, qui adstruunt malitiam sacrilegii.
      - Tempus sacrum, vel dies festivus respectu peccati commissi eo tempore & die, præcisa prava intentione, juxta probabiliorem.
      - Contumeliæ omnes de majori, vel minori malo.

TAB. V. *De Regula proxima Actuum humanorum, seu Conscientia.*

Conscientia est judicium practicum rationis dictans quid hic, & nunc agendum, vel omittendum: alia est

I. Recta dictans ex principiis saltem moralibus certis aliquid faciendum, vel omittendum. Et hæc est proxima, & mediata Regula actionum humanarum, & quidem non solum si sit speculative recta & vera, sed etiam si sit practice talis, seu fundata in judicio desumpto ex prudentibus motivis, quæ obligat in conscientia ad sui sequelam, si dictet aliquid agendum, vel omittendum sub præcepto gravi, vel levi, & si dictet solum dubitative; si dictet solum ex consilio.

II. Erronea dictans ex principiis falsis & erroneis aliquid hic & nunc agendum, vel omittendum, quod revera nec agendum, nec omittendum foret. Hæc sub duplici aspectu considerata, si sit

1. *Invincibiliter erronea*, obligat non solum negative, ne videlicet contra eam agatur, sed & positive ad sui sequelam, si dictet sub præcepto aliquid agendum nec ne: hanc enim peccare illam sequentem colliges ex declaratione Alexandri VIII. damnantis inter 31. propositiones etiam N. 2dam. Quod si dictet utramque contradictionis partem committere peccatum, alterutrumque sit necessario eligendum, non peccat eligens, quod sibi videtur minus malum. *Ex Cap.* Duo mala 1. *Dist.* 13.

2. *Vincibiliter erronea*, obligat negative, seu ut ea deponatur, vel veritatem inquirendo, vel peritiores consulendo, vel rem profundius examinando: quod si non fiat, committitur peccatum mortale, vel veniale pro qualitate materiæ, sive juxta, sive contra agatur: censuras tamen non incurrit peccans ex conscientia erronea.

III. Probabilis dictans ex principiis solum probabilibus, alia est

1. *Tenuiter probabilis*, seu quæ nititur fundamento ita tenui, ut non mereatur assensum viri prudentis; & hanc sequi nemo potest.

2. *Dubie probabilis*, seu de cujus probabilitate dubitatur; & hanc sequi illicitum est.

3. *Probabiliter probabilis*, seu cujus probabilitas probabiliter solum innotescit, & nec hæc potest sequi: sequens enim opinionem sive *tenuiter*, sive *dubie*, sive *probabiliter* solum probabilem, imprudenter & temerarie operari censendus est, quia sequitur opinionem tenuis probabilitatis. Quod damnatum est ab Innoc. XI. Prop. 3.

4. *Certo probabilis*, cujus videlicet probabilitas certo innotescit; quæque saltem extra concursum probabilioris licite sequi potest; dummodo nitatur solido ac gravi fundamento, seu ratione intrinseca, quo præsumi potest si eam ex professo tradant DD. classici, quidquid in contrarium sentiat Jansenistarum & aliorum Rigoristarum manus, docens neminem quendam etiam certo probabilem, imo & probabilissimam faventem libertati, & sequendam tutiorem, licet minus probabilem, faventem legi.

5. *Probabilior*, sive, quæ nititur graviori & solidiori fundamento, quæ in concursu minus probabilis omnino sequenda, etiam dum agitur de peccato vitando, *juxta probabiliorem, & hodie communiter receptam.*

6. *Tutior*, quæ excludit omne omnino periculum peccati tum materialis, tum formalis in concursu duarum opinionum sibi contrariarum æque probabilium, quarum una favet libertati, altera legi, tutior favens legi omnino sequenda est, juxta probabiliorem.

N. B. *In concursu duarum opinionum sibi contrariarum, quarum una favens libertati est probabilior, altera favens legi minus probabilis, huic necessario præferenda. Excipe, dum agitur de natura & conditione, seu valore alicujus actus: v. g. utrum Baptismus collatus in aqua roris sit validus; utrum hæc, vel illa medicina infirmo sit profutura; nam in hoc casu tutior, licet minus probabilis, probabiliori præferenda est* ex Innocentio XI. damnante 1. propositionem. *Quæ propositio non afficit, seu opinionem certam saltem moraliter, seu opinionem versantem solum circa jurisdictionem, vel aliud dependens a voluntate Ecclesiæ.*

IV. Dubia nihil determinate dictans, si sit speculative solum dubia, licitum est operari, dummodo prius dubium practice deponatur; secus vero si sit practice dubia, nisi prius se resolvat ex motivo aliquo rationabili, quale censetur exemplum bonorum virorum sine scrupolo sic operantium, vel auctoritas alicujus viri docti & timorati.

N. B. *Regula illa:* in dubiis melior est conditio possidentis, *extra materiam justitiæ non admittitur a probabilioristis: sed alia* in dubiis tutior pars est eligenda, *quam habere extra materiam justitiæ vim præcepti & non consilii tantum, contendunt, quamvis non pauci etiam graves Doctores, inter quos refertur S. Antoninus, velint habere solum rationem consilii extra quosdam casus.*

V. Scrupulosa, quæ practice nec judicat, nec dubitat, sed potius habito judicio, quod aliquid non sit peccatum ex sola apprehensione, vel suspicione mali propter inane motivum turbat, fluctuat, anxie formidat esse, vel fuisse peccatum.

Contra hanc scrupulosus.

Potest licite agere etiam directe & manente scrupulo, dummodo judicetur scrupulus & ut talis contemnatur.

Tenetur quandoque contra agere, cum scrupuli sint plerumque noxii tum corpori quia destruunt valetudinem, debilitant caput, redigunt hominem ad insaniam & abbreviant vitam; tum animæ, quia eam implicant, reddunt desolatam, desperabundam, confundunt intellectum &c.

Propositiones Damnatæ.

Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam. 5. ab Alexandro VIII.

Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. 3. ab Innocentio IX.

Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem. 27. ab Alexandro VII.

TAB. VI. *De Regula remota, et externa actuum humanorum, seu de legibus, earumque obligatione.*

Lex, quæ est quædam Regula & mensura actuum secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur, alia est

- I. Naturalis consistens in ratione dictante quæ conveniunt, vel disconveniunt naturæ rationali, qualis est Lex contenta in Decalogo: & hæc est immutabilis invariabilis ac indispensabilis etiam auctoritate divina, manentibus tamen iisdem rebus & circumstantiis.
- II. Divina Positiva lata immediate a Deo, uti est
  - 1. Veteris Testamenti, quæ etiam dicitur Mosaica, utpote a Moyse promulgata, quæ obligabat solum populum Hæbraicum, & continebat sexcenta & tredecim præcepta.
    - N. B. *Hæc abrogata est quoad præcepta*
      - *Legalia*, seu cæremonialia, quæ de facto dicuntur mortua & mortifera.
      - *Judicialia*, quæ solum mortua, non vero mortifera dicuntur.
      - Non vero *Moralia* contenta in Decalogo, quippe quæ sunt juris divini naturalis.
  - 2. Novi Testamenti, quæ etiam Evangelica dicitur, obligans solum baptizatos, in qua nullum aliud habetur præceptum pure positivum, quam Fidei & Sacramentorum.
- III. Humana, scilicet ab Homine imposita, quæ
  - Dividitur in Jus
    - 1. *Gentium* proprie tale, quod est jus positivum Populorum usu & consuetudine introductum, omnibusque Populis commune, ad quod reducuntur
      - Sedium hostilium occupatio, Ædificatio, Munitio, Bella.
      - Paces, Captivitates, Fœdera, Induciæ, servitutes in bello justo.
      - Postliminia, seu jus recuperandi rem per captivitatem amissam.
      - Consuetudo recipiendi legatos sub lege immunitatis.
      - Libertas, Commercium inter Gentes non inimicas.
    - 2. *Civile* consistens in illis legibus, quæ ad civium politiam, temporalia jura tuenda & Rempublicam in pace conservandam institutæ sunt, quæque habentur in Corpore juris Civilis.
    - 3. *Ecclesiasticum*, seu Canonicum consistens in Constitutionibus latis a Prælatis Ecclesiasticis, præsertim Summis Pontificibus, pro recta gubernatione Ecclesiæ, atque adeo ad spiritualem animarum profectum; habenturque in Corpore juris Canonici.
    - 4. *Municipale* situm in legibus specialibus, quas Civitas, vel Provincia aliqua sibi constituit cum approbatione Summi Principis.
  - Ut obliget in conscientia, debet
    - Ferri ab habente potestatem, quam respectu legum civilium habent Imperatores, Reges; respectu vero Ecclesiasticarum Papa, Concilium Generale, Sacra Congregatio, Nuncii Apostolici, Episcopi, Prælati Regulares &c.
    - Ferri inter subditos, quales respectu legis Ecclesiasticæ non sunt Infideles, non Baptizati, bene vero Hæretici: respectu legis civilis non sunt Personæ Ecclesiasticæ, tamen indirecte vi juris naturalis obligantur ad servandas illas omnes, quæ non obsunt statui Clericali ac Immunitati Ecclesiasticæ.
    - Esse honesta, justa, possibilis, loco & tempori conveniens.
    - Promulgari & quidem in singulis Provinciis; quod intelligitur non solum de legibus Imperialibus, de quibus nullum est dubium, verum etiam de Pontificiis juxta probabiliorem.
    - Dies assignata transire, quæ si non sit, Ecclesiastica statim obligat, Imperialis vero solum post duos menses a facta promulgatione.
    - Versari circa actus exernos, vel internos, qui per se sunt necessarii ad physicam, vel moralem substantiam actus externi, uti est consensus internus ad contractus, quamvis Legislator humanus Ecclesiasticus possit præcipere, vel prohibere actus etiam mere internos *juxta probabiliorem. Vid. Thom. ex Charmes Tract. de legib. c. IV. Art. II. §. I. Dic.* 2.
    - Respicere materiam, saltem respective gravem, ut obliget sub culpa gravi, & exprimere intentionem graviter obligandi vel expresse, vel tacite, adjectione pœnæ gravis, v. g. mortis, exilii perpetui, excommunicationis majoris, maledictionis æternæ, attestationis divini judicii, aut indignationis Dei, Apostolorum & sub merito S. Obedientiæ.
    - Afficere subditos intra territorium Legislatoris existentes, & ideo extra territorium existentes, ut in loco exempto, non ligantur, quia leges ad differentiam præceptorum primario, ac directe afficiunt territorium. *Ex Cap.* Animarum 2. *de Constitution. in* 6.
    - Esse Moralis, vel mixta ex morali & pœnali: unde si sit solum pœnalis, obligat ad pœnam dumtaxat. Censetur autem moralis, dum Legislator in sua lege absolute aliquid præcipit, vel prohibet nulla adjecta pœna transgressoribus. Mixta vero, dum aliquid legislator præcipit, vel prohibet, & insuper adjicit pœnam a transgressoribus subeundam. Pure vero Pœnalis, dum obligat transgressores ad pœnam solvendam, nihil videlicet præcipiendo, vel prohibendo.
  - Potest esse pure pœnalis habens adjectam pœnam latæ sententiæ; adeoque
    - Si pœna affixa sit positiva, exigens ad sui executionem aliquam actionem sive ipsiusmet delinquentis, sive alterius tertii, ut solutio pecuniæ, flagellatio, incarceratio &c. non obligat ante judicis sententiam ex communi Theologorum, Juristarum, ac expressa D. Thomæ 2. *qu.* 62. *art.* 3.
    - Si pœna sit privativa, auferens bonum sive spirituale, sive temporale jam obtentum & plene possessum, vel sit privativa juris jam acquisiti & possessi, non obligat ad pœnam subeundam ante judicis sententiam, licet lex & statutum diceret incurri ipso facto, absque ulla declaratione, vel processu.
    - *Excipe* Censuras, irregularitates, debitum conjugale, quo privantur conjuges propter incestum commissum cum consanguineis mariti, vel uxoris usque ad secundum gradum: nam ad has pœnas incurrendas nulla requiritur judicis sententia, sed ipso facto incurruntur juxta dicenda.
    - Si pœna sit privativa juris nondum acquisiti, sed primo acquirendi, obligat ad pœnam in conscientia ante judicis sententiam. Hinc Beneficiatus non recitans Horas Canonicas, non facit fructus suos præcisa quacumque sententia juxta dicenda in Tab. XXVIII.
    - N. B. *Pœna latæ sententiæ exigit solum sententiam declaratoriam criminis, & debetur a die commissi criminis. Ubi pœna ferendæ sententiæ poscit sententiam judicis condemnatoriam, qua videlicet Reus judicialiter condemnetur ad pœnam, debetur solum a tempore, quo sententia est lata.*

TAB. VII. *De Modis, quibus Leges Humanae cessare possunt.*

Cessare possunt leges humanæ, vel per

I. Irritationem, seu declarationem, quod lex aliqua imposterum irrita & nullius roboris sit, quod fieri potest a solo Superiore, qui legem tulit. Hinc plures leges, tum Civiles a Magistratibus, tum Ecclesiasticæ aliæ ab Episcopis irritatæ fuerunt, illæ a Principe seculari, hæ a Summis Pontificibus.

II. Abrogationem, si ex integro cassantur, vel Derogationem, si quoad aliquam solum partem: quod a solo Superiore fieri potest, seu legislatore, juxta Regulam illam: *omnes res, per quascumque causas nascuntur, per eas etiam dissolvitur;* vel ejus in jurisdictionem Successore, quia juxta Regulam aliam *Par in Parem non habet Imperium;* qui tamen, etsi valide, absque justa causa licite facere nequeunt.

N. B. *Abrogatio, vel Derogatio prioris legis fieri potest non solum expresse, sed etiam tacite per Legem posteriorem, si hæc sit directe priori contraria, licet in posteriori nulla fieret mentio prioris, juxta probabiliorem. Imo per posteriorem legem directe priori contrariam derogatur etiam legi universali lata in Concilio Generali, licet hujus non fiat specialis mentio, juxta probabiliorem fundatam in textu relato* Cap. & electi protestate in 6. *Quam tamen vim non habet Rescriptum particularibus personis directum.* Ex Glossa Cum expediat de elect. Cap. Licet Romanus, de Constitutionibus in 6. ad verb. Noscatur.

III. Cessationem finis non quidem inadæquati, seu ex parte motivi, seu ex parte subditorum, seu Communitatis, sed adæquati, videlicet tam respectu motivorum, quam subditorum, vel Communitatis.

IV. Interpretationem, seu declarationem verborum

Sive

- Autenticam, quæ fieri debet ab ipso Legislatore, vel ejus Successore, juxta regulam illam: *Illius est interpretari legem, cujus est condere;* & hæc interpretatio dicitur etiam decisiva. Ut autem obliget, debet ad instar legis promulgari.
- Usualem, quam usus & consuetudo facit, juxta axioma communiter receptum: Consuetudo est optima legum interpres, desumptum *ex Cap.* Cum dilectus, *de consuetudine:* & hæc interpretatio dicitur necessaria.
- Doctrinalem, quæ fieri solet ab Auctoribus classicis, & aliis viris doctis, attentis regulis mox referendis; & hæc interpretatio adfert solum probabilitatem, nequaquam vero, uti autentica, necessitatem.

Juxta Regulas

- Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam. *ex l.* 21. *Jur. Civil.*
- Interpretatio facienda est, juxta mentem disponentis, vel hac deficiente juxta verisimilia. *ex Reg.* 45. *J. C.*
- Verba accipienda sunt secundum propriam significationem, & communem modum loquendi. *ex L.* 62. *J. Civ.*
- Verba generalia generaliter sunt intelligenda. *ex cap.* Quia circa. 22. *de Privil.*
- Verba dubia in sensu aptiori sunt accipienda. *ex Reg.* 65. *J. Civil.*
- Verbis, quod quis non expressit, non videtur mente cogitasse. *Ex Cap.* Cum ordine 6. *inter Extrav. de Rescrip.*
- Ubi est eadem ratio, eadem est juris dispositio, quæ tamen non habet locum in odiosis.
- Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam sunt ad consequentiam trahenda. *ex reg.* 26. *J.* in 6.
- Indefinita locutio æquivalet universali. *ex Glos. in Proœmio Decretalium ad verbum, In judiciis.*
- In pœnis benignior est interpretatio facienda. *ex Reg.* 49. *J. in* 6.
- Odia restringi, & favores convenit ampliari. *ex Reg.* 15. *J. in* 6.
- Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis. *ex Reg.* 12. *J. C.*
- In omnibus causis potior debet esse causa æquitatis, quam stricti juris. *ex Reg. Placuit J. Civil.*
- Absurdum ut vitetur, largissima fieri debet interpretatio. *ex plur. Textibus J. C.*
- Absurdum ut vitetur, verba impropriantur, & intelliguntur modo quo possunt. *ex iisdem.*
- Contra eum, qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda. *ex Reg.* 57. *J. Can.*
- Verba debent intelligi cum effectu. *ex Reg.* 164. *J. Civ.*
- Verbum *debet* non semper importat necessitatem. *ex Glos. in Cap.* Sufficiat, *de Desponsatione Impub. ad Verb. Debet.*
- Taciti, & expressi idem est judicium, vel par est virtus. *ex Reg.* 3. *J. Civ.*

V. Epikejam, seu interpretationem, & declarationem mentis ipsius Legislatoris pro casu aliquo particulari, in quo propter aliquas circumstantias observantia legis universalis redderetur vel peccaminosa, ut Auditio Sacri tempore Interdicti; vel nimis gravis & onerosa, ut jejunium tempore infirmitatis &c.

VI. Privilegium, vi cujus privilegiati eximuntur ab observantia alicujus legis communis, qualia plura habent Regulares præsertim Ordinum Mendicantium, vi quorum eximuntur a

- Pluribus Constitutionibus Pontificiis tum Extravagantibus, tum etiam Corpori J. Canonici insertis, de quibus per decursum operis.
- Lege Diœcesana Episcoporum in recipiendo, seu statuente de his quæ sunt conferenda Episcopo; ut Subsidium Cathedraticum consistens in duobus aureis, quos Episcopus a qualibet Ecclesia suæ Diœceseos potest exigere annuatim, vel Subsidium charitativum, quod Episcopus ex causa rationabili & manifesta potest exigere ab Ecclesiis, Beneficiatis, non tamen nimium gravando.
- Lege Jurisdictionis Episcoporum consistente in agendo, gubernando, præcipiendo, prohibendo &c. Referuntur tamen ad triginta & ultra casus, in quibus Regulares, alias exempti, subjiciuntur Episcopis.

TAB. VIII. *De reliquis modis, quibus leges cessare possunt.*

Cessare præterea possunt Leges, vel per

- **VII. Consuetudinem, sive generalissimam, sive generalem, sive specialem, dummodo sit**
  - **1. Rationabilis, qualis censetur quæ nec**
    - *Juri naturali* adversatur, nec jurisdictioni contrariatur.
    - *A jure Canonico* reprobatur velut irrationabilis & corruptela, uti reprobatur introducta contra libertatem, seu immunitatem Ecclesiasticam, secus si prohiberetur simpliciter introductio consuetudinis.
    - Peccati licentiam, vel occasionem præbet, vel alia ratione communi utilitati perniciosa sit.
    - N. B. *In dubio num rationabilis sit, vel irrationabilis? relinquitur prudenti judicis arbitrio, & si omnibus momentis hinc inde bene perpensis, perseveret dubium, præsumenda erit rationabilis.*
  - **2. Præscripta legitime, uti censetur**
    - *Si per decennium* non interruptum durat Legislatore non contradicente, & quidem non solum si agatur de præscriptione, contra legem nunquam usu receptam, sed etiam contra legem usu receptam, quidquid aliqui ad hanc requirant quadraginta annorum spatium.
    - *Excipe;* si agatur de Consuetudine afferente præjudicium tertio, v. g. alicui particulari Ecclesiæ, nam ut huic jamjam acquisito præjudicetur, requiritur vera præscriptio 40. annorum: imo contra Romanam Ecclesiam requiruntur centum anni. *Ex communi & expressa Benedicti XIV. Syn. Diœc. lib.* IX. *c.* 2. *n.* 6.
    - Minus decennio, si, non via præscriptionis vel conniventiæ, sciente videlicet, & connivente, seu non contradicente Legislatore introducta. *Ex Bened. XIV. Syn. Diœc. lib.* XIII. *c.* 5. *n.* 5.
  - **3. Introducta per actus**
    - *Voluntarios*, ac liberos etiam peccaminosos: si enim populus ignoret legem latam, & eam violet ex ignorantia, nullo modo potest præscribere contra legem.
    - *Frequentatos:* quanta autem actuum frequentia requiratur, relinquendum est arbitrio judicis; qui in particularibus causis cuncta perpendendo ac rimando, dijudicabit num id, quo controvertitur, fuerit frequens longoque tempore observatum.
    - *Exercitos* a majori parte Communitatis habilis ad introducendam legem. *Ex Glossa in cap.* Cum tanto, 11. *de Consuetud. ad verbum* Legitime sit præscripta.
  - **4.** Intentio saltem interpretativa, vel inducendi legem & obligationem (loquendo de consuetudine præter legem), vel auferendi legem (loquendo de consuetudine contra legem) *ex Gloss. in can.* Consuetudo 5. *Dist.* 1. *ad verb.* Institutum. Hinc si populus ex devotione solum aliquid faceret (quod in dubio præsumendum) per hoc non induceretur obligatio illud prosequendi: sicut e contra si solum intenderet satisfacere depravatæ suæ voluntati, non induceretur propterea legis abrogatio.
  - **5. Scientia, & consensus Legislatoris vel**
    - *Expressus*, dum Legislator per se approbat consuetudinem, & expresse dat licentiam ut inducatur.
    - *Tacitus*, dum conscius ejusdem, consuetudini gliscenti potens resistere, non resistit, cum deberet, præsertim dum introducitur contra legem.
    - *Legalis*, seu generalis & juridicus datus per legem consentientem in omnes consuetudines rationabiles legitime præscribentes; & hæc scientia, seu consensus legalis, sufficit ad introducendam consuetudinem etiam contra legem. *Ex cap.* Cum tanto *de Consuetud.*
- **VIII. Dispensationem datam sive a**
  - **1. Legislatore, vel ejus in jurisdictionem successore uti est**
    - *Papa*, qui potest dispensare cum omnibus Christifidelibus in omni jure Ecclesiastico, sive a se, sive a suis Prædecessoribus etiam Apostolis, tamquam Ecclesiæ Rectoribus lato. *Ex cap.* Proposuit 4. *de concessione præbendæ.*
    - *Episcopus* in legibus Synodi Diœcesanæ cum suis Subditis ubivis existentibus, secus cum Peregrinis & Advenis, *juxta probabiliorem.*
    - *Uterque* potest in prædictis dispensare valide etiam sine justa causa, non tamen licite: juxta Trident. *Sess.* 25. & 26. *de Refor.*, consequenter peccat graviter, vel leviter pro gravitate materiæ.
    - N. B. *Nulla est, si obtineatur, sive subreptitie reticendo veritatem necessario exprimendam, sive obreptitie exprimendo falsitatem, si contingat subreptio, vel obreptio circa causam motivam & primariam; secus si circa causam impulsivam & secundariam.*
    - 2. *Cessat cessante causa finali, propter quam obtenta fuit, licet jam fuisset ad actum deducta, nisi quis per eam constitutus esset in statu irrevocabili.*
    - 3. *Non cessat morte concedentis, supposito quod contineat gratiam jam factam.*
  - **2. Delegato sive a**
    - *Christo*, quo titulo Papa dispensat in jure positive fundato in actu, vel contractu humano, ut in Votis, sed non nisi ex justa causa.
    - *Papa*, quo titulo dispensant Episcopi cum suis subditis (sub quo nomine veniunt etiam Religiosi alias exempti) vel quando jus sive expresse sive tacite ipsis concedit, asserendo videlicet eos posse dispensare, non reservando sibi facultatem. *Ex Gloss. in cap.* Postulastis 7. *de Clerico excommunicato ad Verb.* Dispensatum: vel quando voluntas Papæ potest rationabiliter præsumi: vel quando habent a Sede Apostolica speciale Privilegium.
    - N. B. *Prælati quoque Regulares ex Delegatione Papæ, dispensant cum suis subditis omnibus, in quibus possunt Episcopi juxta dicenda suis in locis: tum quia habent ex jure Potestatem quasi Episcopalem.* Ex cap. *Abbates* 3. de Privilegiis in 6., *tum ex variis Privilegis tam in, quam extra Corpus juris Canon. expressis, præsertim S. Pii V. Hinc pro casu in quo Prælati Regulares possunt, subditi non debent, imo sine licentia suorum Prælatorum nec audent ad Episcopum recurrere.*

Resolves

- Habens facultatem sive ordinariam, sive delegatam dispensandi potest secum ipso exercere, tum indirecte, eximendo videlicet a lege totam Civitatem, vel Communitatem, cujus ipse est pars: tum mediate eligendo alterum (supposita facultate ordinaria), eique conferendo potestatem dispensandi circa suam personam: tum etiam directe & immediate *juxta probabiliorem*, cum jurisdictio voluntaria non exigat, sicut coactiva, distinctionem personarum.
- Habens potestatem delegatam dispensandi, potest uti commutatione; imo interdum id expedit, ut commutatione suppleatur causa insufficiens, ut dubia emergentia tollantur.

TAB. IX. *De Peccato Mortali et Veniali, eorumque Requisitis*.

Peccatum est *Dictum, vel factum aut concupitum contra legem æternam*, sive commissionis, sive omissionis; aliud esse potest

I. Mortale, quod est *Dictum &c. contra legem æternam graviter obligantem* sub interminatione odii divini, & pœnæ æternæ, ad quod requiritur

1. Cognitum: seu advertentia & quidem plena & perfecta, non solum materialis, sed etiam formalis peccati: censetur autem adesse plena & perfecta, quando intellectus per tempus & perfectum judicium cum libero & expedito interiorum sensuum usu de objecta malitia deliberat, de ea ... expendendo.

   Resolves hujus defectu mortale non est quod fit:
   - In somno, vel semidormitione, vel semiebrietate.
   - Ignoranter, non solum habitualiter, sed etiam actualiter, si nulla præcessit ... dubitatio de gravi malitia objecti, vel saltem de illius periculo, idque inculpabiliter, ... aliqui volunt sufficere virtualem & interpretativam sitam in eo, quod quis possit & debeat advertere ad præceptum, vel malitiam actus.
   - Ex passione præveniente usum rationis, nisi sit consequens, seu antecedenter vo[lit]a.
   - Ex motu primo primo, seu tali, qui præveniat omnem advertentiam & deliberationem rationis superioris; vel primo secundo, seu tali, qui excitatur in appetitu sensitivo, vel voluntate cum imperfecta tantum & semiplena advertentia, superiorisque rationis deliberatione.

2. Volitum, seu consensus in acceptatione & complacentia voluntatis in eo, quod ab intellectu eidem proponitur; & quidem plenus & perfectus qui subsequitur plenam & perfectam advertentiam, sive deinde consensus iste sit

   - *Formalis*, qui habetur dum voluntas directe & expresse vult aliquid, v. g. furtum, homicidium.
   - *Virtualis*, qui censetur adesse cum quis directe aliquam causam vult cum prævisione mali effectus secuturi: effectus enim malus prævisus secuturus ex positione alicujus causæ dicitur indirecte & virtualiter volitus. Vid. Tab. III.

     Excipe, si adsit aliqua honesta, necessaria, aut valde utilis & conveniens causa ponendæ actionis cum prævisione secuturi effectus mali, dummodo absit periculum consensus: ponens tamen actionem venialiter solum malam cum prævisione secuturi motus pravi ..., peccat solum venialiter *juxta probabiliorem*.
   - *Interpretativus*, qui censetur haberi cum quis negative se habet circa malum ab intellectu propositum, præsertim in materia luxuriæ. Hinc dum adest vel prævidetur periculum consensus in motum inordinatum concupiscentiæ, & ipsum non reprimit, sed negative se habet, seu neque consentit neque dissentit, peccat mortaliter saltem dum motus versatur circa materiam luxuriæ. Imo aliqui volunt, etiam pro casu quo abesset tale periculum (quod raro solet abesse) talem se negative habentem peccare mortaliter.

     Excipe, si justa adsit causa non reprimendi positive tales motus pravos, qualis censetur auditio Confessionum, studium in casibus conscientiæ respectu confessariorum, prudens timor, ne ex positiva resistentia augeantur motus, vel iis depulsis insurgant graviores.
   - *Conditionatus*, sub conditione nullo modo auferente malitiam ab objecto: ut transgrederem jejunium, si carnes haberem: vellem inebriari, vel mœchari, si pecuniam vel occasionem haberem, aut nisi Deum timerem, infernus non esset &c., supposito, quod similes ... nes optative proferantur, ita ut significent actualem affectum voluntatis actu ... derantis, tendentisque in talem actum malum sub dictis conditionibus. Secus si proferantur solum enunciative, ut scilicet significent propensionem voluntatis ad tales actus, nisi ... opposita obstaret. Si vero conditio opposita auferat malitiam ab objecto, talis volitio conditionata, non est graviter peccaminosa: unde non peccat, qui dicit etiam optative, vellem prædari, si Deus permitteret; vellem hanc ducere nisi essem Sacerdos vel Religiosus, a quibus tamen abstinendum, præsertim in materia lubrica, tum quia sunt leviter peccaminosa, utpote vana, & otiosa, tum quia habent adnexum periculum.

3. Liberum libertate, non solum *a coactione*, sed etiam *a necessitate*. Ex Alexandro VII. damnante Prop. 3. Jansenii.

4. Materiæ quantitas notabilis, quæ desumitur tum ex S. Scriptura, tum ex auctoritate Ecclesiæ & Sanctorum Patrum, tum ex communi æstimatione Piorum ac Doctorum, tum ex lege humana, præsertim canonica, graviter obligante, juxta dicta in Tab. VI., tum ex ratione naturali dictante aliquid habere gravem repugnantiam cum charitate Dei vel proximi.

II. Veniale, quod est *dictum &c. contra legem æternam leviter obligantem*, sub interminatione aliqualis indignationis divinæ comp[at]ibilis cum ejus amicitia, & pœnæ temporalis, ... est tale vel ex

1. Genere & natura sua, ut ordinarie sunt quæ opponuntur vel liberalitati, ut prodigalitas & tenacitas; vel veracitati, ut mendacium; vel modestiæ, ut nimia cura vel neglectus in vestitu, vel ... liæ, ut nimius excessus in lusu; vel gratitudini, ut ingratitudo: vel studiositati, ut otium, aut nimia & intemperans aviditas sciendi.

2. Accidente, quando videlicet actus de se & ex objecto graviter malus sit, vel cum semiplena advertentia & insufficienti deliberatione, vel cum imperfecto consensu, vel ob materiæ parvitatem, quæ tamen non admittitur in odio Dei formali, nec hujus formali contemptu, itemque Superiorum, ... in blasphemia formali, infidelitate, desperatione, fractione sigilli Sacramentalis, simonia, juramento falso, jejunio naturali ad Eucharistiam; neque in actibus luxuriæ, saltem directe voluntariis.

   Resolves Veniale ex genere suo fieri mortale ratione
   - Conscientiæ erroneæ vincibilis, quando videlicet quis ex conscientia vincibiliter ... & invincibiliter erronea actum, quem ponit, existimat esse mortalem, qui alias solum venialis est.
   - Finis mortaliter mali adjuncti actui, ut si quis verba otiosa coram fœmina proferat ex intentione eam ad fornicationem inducendi.
   - Affectus nimii adeo quod paratus esset propter illum transgredi præceptum grave, ut si quis ex affectu ad venationem omitteret sacrum die festivo: vel si quis adeo afficeretur amore uxoris, ut paratus esset illa abuti etiamsi non esset sua.
   - Scandali gravis prævisi secuturi, ut si quis proferens coram aliis verba jocosa, prævideat alios exinde ad turpes sermones excitandos.
   - Periculi proximi incidendi in mortale, ut si quis ex adspectu mulieris, picturæ, sculpturæ inducatur ad eam concupiscendam.
   - Multiplicationis actuum coalescentium in ordine ad causandum grave damnum, ut qui proponeret per duos menses alicui furari unum grossum.

TAB. X. *De Distinctione Specifica, et Numerica peccatorum.*

Distinctio peccatorum

- **I. Specifica**
  - 1. Physica desumitur ab objectis specie physica diversis & ideo furtum auri, argenti, vestis &c. sunt peccata specie physica diversa, quæ tamen diversitas in genere moris non attenditur.
  - 2. Moralis desumitur ab oppositione actuum vel cum
    - Diversa virtute
      - In diversis actionibus, ut furtum simplex, quod opponitur virtuti justitiæ, fornicatio virtuti castitatis, Blasphemia, quæ opponitur virtuti Religionis.
      - In una actione, ut furtum rei sacræ, quod duplici virtuti opponitur, justitiæ & Religionis; adulterium, quod opponitur virtuti castitatis & justitiæ; violatio castitatis respectu personæ voto solemni ligatæ juxta probabiliorem triplici virtuti opponitur, nempe castitati, fidelitati ratione voti & religioni ratione personæ sacræ; & triplicem specie distinctam malitiam, incontinentiæ scilicet, perfidiæ & sacrilegii continet.
    - Eadem virtute diverso tamen notabiliter modo, ut detractio, furtum, rapina, homicidium, quæ etsi eidem virtuti justitiæ opponuntur, quia tamen diverso notabiliter modo; hinc specie morali inter se differre dicuntur.

      N. B. 1. *Præcepta formaliter, non autem materialiter diversa inducunt diversitatem specificam moralem peccatorum: censentur autem præcepta formaliter diversa, quæ præcipiunt, vel prohibent res diversa intuitu diversæ virtutis & motivi, ut præceptum jejunii et auditionis Missæ.*

      2. *Mox dicta procedunt de peccatis commissionis; nam peccata omissionis diversificantur specie morali ab objectis specie diversis; sic quia omissio sacri & jejunii respicit objecta specie morali diversa, utpote ex diversis motivis ab Ecclesia præcepta, hinc omissio sacri & jejunii specie morali invicem differunt.*

- **II. Numerica, si sermo sit de actionibus**
  - 1. Mere internis, seu quæ solent consummari in corde, ut odium, desumenda est ex multiplicatione physica ipsorum actuum, adeo ut toties numero multiplicentur peccata, quoties actus interrumpantur, unum duntaxat numero peccatum constituent.

    Excipe pro casu quo prædicti actus interni v. g. odii procederent ab uno eodemque impetu passionis non retractatæ, in tali enim casu actus illi, licet per aliquod, breve tamen, tempus interrumpantur, unum duntaxat numero peccatum constituent.
  - 2. Internis tendentibus ad externum, ut desiderium, desumenda est
    - A multiplicatione actus externi, cujus sunt causa.
    - Ab interruptione morali eorum, sive
      - Formali, quæ habetur dum per actum contrarium nolitionis, aut simplicis displicentiæ vel aversionis, prior actus retractatur.
      - Interpretativa, quæ habetur per voluntariam actus prioris cessationem, non vero per involuntariam: ut per oblivionem, somnum &c., juxta probabiliorem & sat claram D. Thomæ. Hinc

        Actus internus tendens in externum si non fuerit moraliter interruptus & revocatus, sive formaliter, sive interpretative, unum cum actu externo constituit peccatum. Ideoque delectatio morosa, tendens ad pollutionem, protracta unum cum ipsa pollutione constituit peccatum.
  - 3. Externis, si
    - 1. Tendant per modum medii non specialiter prohibiti ad unum finem, unum cum ipso fine seu actu specialiter intento constituunt peccatum, licet involuntarie interrumpantur ob superveniens impedimentum.

      Excipe, si media illa assumpta ad finem obtinendum ex se specialem malitiam distinctam a malitia finis intenti adferant. Hinc qui furatur pecuniam, ut hac mediante decipiat puellam, duplex numero peccatum committit; sicut etiam si quis ad hominem occidendum venenum adhibuisset, vel ad fœminam seducendam phyltro usus fuisset.
    - 2. Se habeant per modum complementi ipsius actus principalis, unum cum principali faciunt peccatum, juxta communem, unde oscula, tactus; verba impudica & alii actus copulam fornicariam præcedentes vel concomitantes (secus subsequentes) unum numero peccatum constituunt cum actu principali, seu copula.

      Excipe, si quis exercuisset oscula, tactus, amplexus impudicos sine intentione copulæ, & postea primo novo actu efficaci copula secuta esset, in tali enim casu actus illi prævii interni & externi manent seorsim peccata specie & numero distincta.
    - 3. Non ordinentur ad aliud, tot sunt numero distincta peccata, quoties voluntarie multiplicantur.

      Excipe actus, qui originem habent ex eodem impetu passionis cujuscumque. Hinc qui impetu iracundiæ sæpius repeteret percussiones, vel eadem concupiscentiæ vehementia sæpius repeteret actus impudicos, vel eodem impetu iræ sæpius Deum blasphemaret, unum dumtaxat numero peccatum committeret.
    - 4. Tendant in plura objecta per modum unius, unum dumtaxat peccatum committitur. Ideoque qui ex intentione furandi integram bibliothecam, integrum gregem, integram frumenti aream, successive surripit aliquos libros, aliquot animalia, unum aut alterum modium frumenti, unum tantum peccatum mortale committit.
    - 5. Tendant in plura objecta, quæ inter se seu ad invicem non ordinantur, & consequenter non possunt considerari per modum unius, multiplicantur peccata pro ratione multiplicitatis actuum externorum *juxta probabiliorem & veriorem*. Unde debet explicari numerus occisorum, scandalizatorum, concupitarum fœminarum.

TAB. XI. *De Peccatis Capitalibus, Superbia, Avaritia et Luxuria:*

Peccata capitalia sic dicta quodsint causa & radix aliorum, sunt septem, quorum tria prima sunt

I. Superbia quæ est *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ*, estque ex genere suo mortale peccatum, si sit perfecta, ut si propterea Deo, Superioribus, eorumque legibus subjici detrectet; cujus filiæ sunt

1. *Ambitio*, quæ est inordinatus appetitus dignitatis & honoris indebiti, vel debito majoris, est per se venialis, minime tamen propterea contemnenda, sed sedulo fugienda.
2. *Contentio*, quæ est altercatio circa veritatem animo contradicendi, si sit circa res fidei, est mortalis; secus est per se tantum venialis.
3. *Curiositas*, seu inordinatus appetitus sciendi ea quæ ad se non pertinent, est per se venialis.
4. *Hypocrisis*, qua quis per facta & signa falsa simulat se esse quod non est, est per se venialis.
5. *Ingratitudo*, vi cujus accepta beneficia parvipenduntur vel contemnuntur aut oblivioni dantur, est per se venialis.
6. *Novitatum inventio*, quæ est manifestatio propriæ excellentiæ per verba vel res in admirationem inducentes, est per se venialis; erit mortalis si fidei, bonis moribus, pudicitiæ adversetur.
7. *Judicium* temerarium, quo quis sine sufficienti fundamento judicat de proximo malum, est grave, vel leve peccatum pro qualitate rei judicatæ.
8. *Pertinacia*, qua quis plus æquo suæ adhæret opinioni, ordinarie est peccatum solum veniale.
9. *Præsumptio*, seu inordinatus appetitus se exhibendi supra proprium talentum, vires, capacitatem, ordinarie est solum veniale peccatum.
10. *Vanagloria*, quæ est inordinatus appetitus laudis humanæ, quam si quis ex re mortali et mala quærat, v. g. fornicatione, duello &c. erit mortalis; secus venialis.
11. *Inobedientia*, qua quis dedignatur aliis subesse, & ideo vel contemnit, vel parvipendit auctoritatem præcipientis, quæ si includat contemptum formalem erit mortale, secus peccatum veniale.
12. *Jactantia*, seu inanis & stulta propriæ excellentiæ deprædicatio, est peccatum veniale, si ea quæ jactat, neque sint contra Deum, neque proximum, aut bonos mores; evaderet tamen mortale si contra Dei gloriam, proximi charitatem; vel se jactaret de re turpi, ut fornicatione &c.

II. Avaritia est *inordinatus appetitus habendi, acquirendi &c. res temporales*, estque ex genere suo mortale, si adversetur charitati vel justitiæ, veniale si solum liberalitati ex D. Thoma. Habet filias

1. *Fallaciam*, seu dolum in verbis, quæ posset esse mortalis ratione finis & mediorum.
2. *Fraudem*, seu deceptionem & dolum in rebus, seu in venditione & emptione, ex genere suo est peccatum mortale.
3. *Inquietudinem* mentis & cordis, seu vehementem & inordinatam applicationem mentis ad acquirendas & retinendas divitias, est per se peccatum veniale.
4. *Obdurationem* cordis, seu immisericordiam; quæ impedit, ne cor pauperis misereatur, unde fit, ut violetur præceptum eleemosynæ, est peccatum mortale, vel veniale. *Vid. Tab. XXII.*
5. *Proditionem*, seu illicitam manifestationem rei, vel personæ contra fidem datam in damnum alicujus, explendæ avaritiæ causa, qua fieri potest circa
   - Personas, uti Judas Christum, Dalila Samsonem prodidit.
   - Loca, ut cum quis Arcem, vel Urbem legitt. possessoris hostibus tradit.
   - Res mobiles, aut immobiles, v. g. indicando latroni ubi pecunia &c. sint abscondita, ut ablata cum proditores dividat.
   - Secretum sibi commissum, vel promissum revelando, littera alienas aperiendo, quod communiter est mortale.
   - * *Excipe* si adsit consensus, sive expressus, sive etiam prudenter præsumptus Auctoris litterarum, aut aperiantur a Superiore.
6. *Violentiam*, qua res aliena per vim injustam usurpatur, quæ est per se peccatum mortale.
7. *Perjurium*, quo scilicet ex avaritia pejerando proximus decipitur, uti mercatores faciunt quatenus sua emptoribus carius vendant.

III. Luxuria est *inordinatus appetitus venereorum*, ex genere suo mortalis; sunt que hinc

Filiæ ex parte

Intellectus

1. *Cæcitas mentis*, ob quam turpitudinibus illectus de fine præfigendo & cœlestibus rebus cogitare impeditur.
2. *Præcipitatio mentis*, ob quam quis ob voluptatum affectum sine consilio operatur; & non raro noxia eligit.
3. *Inconsideratio*, quæ luxuriosum retrahit a considerando modum & statum rerum, & a consulendo suo honori.
4. *Inconstantia*, vi cujus sensualis homo facile deserit sua proposita, spernit consilia.

Illæ quatuor filiæ sunt mortales, si propter illas contingat violari grave præceptum.

Voluntatis

1. *Amor sui inordinatus*, quo luxuriosus finem suum ultimum ponit in carne suas obscœnitatibus illius cogitationes ac curas omnes, Deo contempto, referendo.
2. *Odium Dei*, quod a rebus divinis lascivus abhorret & ab ipso Deo luxuriam prohibente.
3. *Affectus præsentis sæculi*; quo in voluptatibus corporeis inhæret, ut aliam beatitudinem non quæreret, si eis semper perfrui posset.
4. *Horror & desperatio futuri sæculi*, eo quod *ex una parte* nihil ibi luxuriosus expectet præter gehennam; *ex alia* obscœnas voluptates deserere, sibi quasi impossibile reputet. Illæ sunt semper mortales.

Species

Perfectæ, ut

1. *Fornicatio simplex*, quæ est copula carnalis soluti cum soluta corrupta.
2. *Adulterium*, quod est copula inter personas, quarum alterutra est conjuncta matrimonio cum alia tertia.
3. *Stuprum*, quod est illicita virginis defloratio per copulam carnalem extra matrimonium.
4. *Raptus*, qui est violenta alicujus personæ abductio explendæ libidinis causa.
5. *Incestus*, qui est peccatum luxuriæ inter personas consanguineas, vel affines intra gradus prohibitos.
6. *Sacrilegium* venereum, quod est rei sacræ violatio per actum venereum.
7. Peccatum contra naturam, estque, vel
   - Mollities, seu voluntaria seminis effusio extra copulam quamcumque.
   - Sodomia, seu coitus libidinosus personarum ejusdem sexus, vel etiam si in vase indebito.
   - Bestialitas, quæ est coitus cum bestia, estque horrendum peccatum, ad quod reducitur concubitus cum Dæmone, qui est peccatum luxuriæ contra naturam & Religionem.
   - Inordinatus concubitus, in quo non servatur ordo naturalis concumbendi, si fiat ex necessitate, absque periculo effundendi extra vas semen, nullum erit peccatum, de se vero est veniale.

Imperfectæ, suntque

Oscula libidinosa, Tactus lascivi, Aspectus impudici, Scripta, turpes Sermones, Repræsentationes obscœnæ &c.

Quæ omnia sunt peccata mortalia ex se, tum ex *Apost. ad Galat.* 5., tum quia in peccato luxuriæ non datur parvitas materiæ.

TAB. XII. *De Reliquis Peccatis Capitalibus, Ira, Gula, Invidia, Acedia.*

Reliqua peccata capitalia sunt

- IV. Ira, quæ est *vindicta*, vel *quasi vindictæ inordinatus appetitus*, qui
  - Contingere potest
    1. Vel injustam vindictam appetendo, quod est peccatum mortale ex genere suo.
    2. Vel justam quidem, sed exequendam a non habente potestatem, quod item est peccatum mortale.
    3. Vel justam non ut justam, verum ut vindictæ satiativam, quod est mortale, aut veniale juxta quod graviter, aut leviter proximus læditur.
  - Habet Filias, quæ sunt
    1. *Blasphemia*, seu injuriosa locutio contra Deum, vel Sanctos, est de se mortalis. *Vid. Tab.* 43.
    2. [sic, printed 3.] *Clamor*, cum iratus extollat vocem, multa inordinate & confuse effutiendo, est veniale peccatum.
    3. *Contumelia*, quæ fit per verba contumeliosa, est peccatum ex genere suo mortale.
    4. *Indignatio*, qua quis reputat se indigne ab alio tractari, est veniale.
    5. *Maledictio*, qua quis malum alteri imprecatur: est ex genere suo mortale.
    6. *Rixa*, seu *contentio* in factis, cum se invicem percutiunt: est mortale, vel veniale.
    7. *Tumor mentis*, quo quis excogitat diversas vias vindictæ: estque mortale, vel veniale, pro ratione vindictæ.
- V. Gula, quæ est *inordinatus appetitus & potus*,
  - Si importat vel violationem jejunii, vel ineptitudinem notabilem ad functiones proprii muneris vel gravem valetudinis læsionem, vel comestionem carnis & sanguinis humani, utpote (extra casum extremæ necessitatis) jure naturæ prohibitam, vel perfectam ebrietatem, ex veniali per se, fit per accidens mortale peccatum.
  - Gignit Filias, quæ sunt
    1. *Hebetudo mentis*, qua homo redditur ineptus ad alia; & si impediatur præstare graviter obligantia, est mortalis.
    2. *Inepta lætitia*, quæ movet ad cantus obscœnos, actus turpes, choreas impudicas; est mortalis, vel venialis.
    3. *Multiloquium:* plerumque enim inter pocula fræna linguæ laxantur.
    4. *Scurrilitas*, ob quam homo potatus erumpere solet in diversos gestus etiam minus honestos.
    5. *Vomitus*, seminisque effusio, seu pollutio voluntaria, vel involuntaria, de qua Tab. 10.

    N. B. *Comedere, & bibere usque ad satietatem solius voluptatis causa, est peccatum* ex Prop. 8. ab Innocentio XI. proscripta.
  - Continet Species
    1. *Crapulam*, seu comessationem, quæ est excessus, quo quis, omnino sanus, ita cibis sese ingurgitat, ut ad vomitum moveatur. Est per se mortale peccatum; quia talis ingurgitatio turpis est & abominabilis (omnibus suffragantibus) naturæ rationali valide contraria: & vel ideo vituperatur ab Isai. *c.* 23. *Vid. Rom.* 16. *ad Galat* 5. *D. Basil. in Asceticis Cap.* 1.
    2. *Ebrietatem*, quæ est excessus voluntarius in potu usque ad violentam privationem usus rationis, si rationem reapse subvertat, est ex genere suo peccatum mortale.
- VI. Invidia est *inordinata tristitia de alterius bono, quatenus apprehenditur ut diminutivum propriæ excellentiæ*, quæ
  - Si sit
    1. *Vera tristitia*, uti est cum quis dolet quod alter æqualis, vel non multum inferior sibi in excellentia crescat ita ut sibi fiat superior; ac incrementum, tamquam sibi malum, apprehendit: est peccatum ex genere suo mortale, quia de ipso bono, prout bonum est, tristatur.
    2. Tristitia
       - De bonis proximi, quia ipsi est inimicus, erit *odium*, non invidia.
       - De bonis prodigi, quia ea dilapidat, vel avari, quæ turpiter recondit, erit *justa indignatio*.
       - De bonis peccatorum, quia illis sunt indigni, erit *zelus inordinatus*, quoniam divinæ omnia subsunt providentiæ.
       - De bono alterius, e. g. de adepta potestate, non quia ipsi bonum, sed quia sibi vel aliis damnum imminet, erit *justus timor*.
       - De bono alterius, non quia ille possidet, sed quia sibi deest, adeo quod hoc illi manens, cupiat & ipse possidere, erit *æmulatio*, non vero invidia.
  - Parit filias
    1. *Odium proximi*, quo quis male vult illi, cui bonum invidet.
    2. *Detractionem*, qua famam ejusdem denigrat, qui proximo æstimationem invidet.
    3. *Sussurationem*, quæ est oblocutio mala & secreta ad dissolvendam amicitiam bonam, & disseminandam discordiam inter amicos quæ est vitium detestabilius detractione.
    4. *Exultationem* in adversis proximis, cui bonum invidetur.
    5. *Afflictionem* in prosperis ejusdem. Et hæc sane pœna invidi acerbissima, & infernus eumdem incessanter discrucians, qui eum tabescere facit, & suometipso livore cor invidi, quasi cancer, exedit.
- VII. Acedia *est tristitia & tædium de bonis divinis ad nos pertinentibus hominis mentem aggravans, adeo ut æternam salutem fastidiat*, cujus
  - Alia est
    1. Generalis, quæ apprehendit omne tædium & languorem in exercitio virtutum ob molestiam & difficultates earum acquisitioni vel custodiæ annexas; & sic considerata non est peccatum distinctum a vitio vi talis acediæ commissa.
    2. Specialis; quæ sita est in quodam odio & fastidio rerum cœlestium, aut servitio Deo exhibendi, & hæc specialis est peccatum ex genere suo mortale.
  - Filiæ sunt
    1. *Evagatio mentis*, qua scilicet acediosus assuescit tempore exercitiorum spiritualium cogitare de aliis sive illicitis, sive indebitis; & hæc, de se quidem venialis, potest fieri mortalis, si contingat eo tempore quo præcepta est mentis attentio.
    2. *Malitia*, qua quis odio habet spiritualia, & vellet ea non esse; aut cum pœnitet bene fecisse vel implevisse id ad quod tenebatur; aut qua contemnit Dei beneficia, desiderando se non fuisse natum, in sinu Ecclesiæ collocatum, se non agnovisse Christum, aut inter Turcas & infideles natum fuisse, est ex genere suo mortale peccatum.
    3. *Pusillanimitas*, quæ hominem retrahit ab exequendis Dei consiliis, & vocationi divinæ, ad perfectiora eum vocanti, ad refragandum impellit ex mero timore deficiendi; & hæc est peccatum de se veniale.
    4. *Desperatio*, qua quis assecutionem beatitudinis sibi impossibilem effingens, de ea obtinenda diffidit, & hæc est peccatum de se gravissimum.
    5. *Rancor*, non quatenus odium, sed quatenus est quædam indignatio contra eos qui ad spiritualia bona eum compellunt: est peccatum ex genere suo grave.
    6. *Torpor*, qui est animi languor, ob quem bonum vel omittitur, vel negligenter fit. Hic torpor est peccatum grave, si bonum sit graviter præceptum.

TAB. XIII. *De Fide Divina, et ejus necessitate.*

Fides Divina

- I. Habitualis, quæ est virtus supernaturalis a Deo immediate infusa, inclinans intellectum ad firmiter credendum omnibus a Deo revelatis propter auctoritatem Dei revelantis. Est & semper in omni statu fuit omnibus omnino hominibus necessaria necessitate medii ad salutem, utpote inseparabiliter adnexa gratiæ sanctificanti.
- II. Actualis, quæ est assensus firmus & certus præstitus rebus a Deo revelatis & per Ecclesiam Catholicam ad credendum fide divina, propositis. Est & semper in omni statu habentibus perfectum rationis usum fuit omnimodis necessaria necessitate medii, quia *qui non crediderit condemnabitur*, Marci *c.* 16. *v.* 16., loquendo tamen cum exceptione tum pueri baptizati statim post adeptum usum rationis mortui, tum baptizati, licet grandævi, a nativitate cœci, surdi & muti, decedentis ex hac vita antequam quidquam audivisset de rebus credendis, & nullius peccati mortalis, contra legem naturæ commissi, conscius esset.
- III. Implicita, qua creditur quidquid credit Sancta Mater Ecclesia, vel quidquid Deus revelavit. Hæc non etiam rudissimo homini sufficit respectu omnium credendorum, cujus contrarium damnatum fuit a Gregorio XI. *in direct, inquis parte* 1. *quæst.* 10. *hæres.* 8., a Bened. XIV. *Constit.* Et si minime, *inserta Tom. I. Bull. fol.* 110. *Edit. Rom.*
- IV. Explicita, vi cujus credenda sunt
  - *Necessitate Medii*
    1. Quod Deus ut Auctor gratiæ existat, *juxta omnes.*
    2. Quod Deus sit supernaturalis Remunerator bonorum, malorumque Vindex, *juxta omnes, & prop.* 22. *ex damnatis ab Innocentio XI.*
    3. Quod Deus sit unus in essentia & Trinus in Personis post sufficientem Evangelii promulgationem, adeoque de facto, *juxta probabiliorem.*

    N. B. *Ignorans etiam* inculpabiliter *necessaria necessitate medii, invalide absolvitur antequam instruatur*, ex propos. 64. ex damnatis ab Innocentio XI. & Bened. XIV. *loco sup. cit.*
  - *Necessitate præcepti divini*
    1. Articuli omnes in Symbolo Apostolorum contenti. *Ex can.* Ante viginti. 53. *& can. Baptizantes* 53. *de Consecr. Distinct.* 4., & merito, nam in dicto Symbolo continentur præcipua fidei nostræ mysteria.
    2. Præcepta Decalogi & Ecclesiæ, utpote in quibus continentur omnia requisita ad honeste vivendum.
    3. Oratio Dominica, utpote continens pulcherrimo ordine omnia a Deo speranda, & petenda.
    4. Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ & Eucharistiæ, quia eorum susceptio est de necessitate Medii, vel præcepti.

    N. B. 1. *Prædicta sufficit scire & credere quoad substantiam, seu ita ut requisitus recte & apposite respondeat; & data occasione debite utatur, attento præcise jure divino: Ex dispositione tamen Ecclesiæ, tenetur ea memoriter scire, ex præf. can.* Ante viginti 55. *Et can.* Vos autem. 165. *de Consecrat. Dist.* 4.

    N. B. 2. *Ignorans* vincibiliter *necessaria necessitate præcepti absolvi non debet, nisi pro casu, quo de sua negligentia doleat & serio ea addiscere promittat*, ex *Bened. XIV. Constit.* Et si minime *ibid. loc. cit.* §. 12.
- V. Obligat ad actum internum
  - *Per se*
    1. Adultos infideles, cum mysteria fidei catholicæ sibi fuerint sufficienter proposita velut vera & credibilia; quamdiu enim infidelis judicat suam sectam esse verisimiliorem & credibiliorem, aut æque credibilem, talis non tenetur suam sectam deserere.
    2. Pueros inter fideles educatos, dum usum rationis assecuti, mysteria fidei tamquam a Deo revelata perfecte apprehenderint.
    3. Omnes adultos usum rationis habentes sæpius in vita & in articulo mortis: non autem sufficit sive semel in vita, sive quolibet quinquennio elicuisse actum fidei, utpote utrumque damnatum ab Innocentio XI. prop. 6. 17. 65.
  - *Per accidens*
    1. Quando quis tenetur, vel vult justificari.
    2. Quando quis vult exercere actum Religionis, qui necessario supponit Fidem, ut sunt actus Spei, Charitatis, Religionis.
    3. Quando quis vult recipere aliquod Sacramentum, quia tunc adest obligatio credendi illius virtutem & efficaciam.
    4. Quando urget tentatio contra quamcumque virtutem, præsertim fidem, quæ non possit superari, quam scuto fidei.
    5. Quando quis tenetur fidem exterius profiteri; quia hanc debite veraciterque confiteri non possumus, nisi interior fidei assensus accedat.

    N. B. *Omittens actum internum fidei, quando per accidens obligat, non duo, sed unum duntaxat peccatum committit, contra præceptum nempe a se violatum.*

TAB. XIV. *De obligatione fidem divinam externe profitendi.*

Confessionis externæ Fidei præceptum affirmativum

- **I. Obligat jure**
  - *Naturali, ac Divino*
    1. Quando id exigit debitus Dei, Christi, vel Religionis Catholicæ honor, seu quando ex ejus omissione notabiliter minueretur honor Dei, vel Christi; aut ejusdem Sanctis, Religionive Catholicæ inferretur blasphemia, aut injuria.
    2. Quando proximi, & a fortiori suiipsius utilitas id exigit, prout exigere videtur: dum ex dissimulatione periclitaretur proximi salus, qui alias facile posset induci ad negandam suam veram fidem, vel parvipendendam catholicam Religionem.
  - *Ecclesiastico*
    1. Baptizandos, vel horum defectu Patrinos. *Ex Can.* Prima igitur 83. *de Consec. Dist.* 4.
    2. Hæreticos ad veritatem fidei catholicæ, & unitatem S. Matris Ecclesiæ sponte redire volentes. *Ex Can.* Ad abolendam 9. *de Hæreticis.*
    3. Græcos omnes schismaticos volentes venire ad unitatem Ecclesiæ ex dispos. Greg. XIII. *in Formula edita an.* 1623. *Tom. II. Bull. Cherubini fol.* 400. & Urbani VIII. *edita an.* 1642. *apud Bened. XIV. in Constit.* Allatæ sunt, *insertæ Tom.* 4. *Bull. ejusdem fol.* 175. *edit. Venet.*
    4. Apostatas a fide catholica, cum pœnitentes ad eamdem revertuntur, a qua impie deflexerant.
    5. Initiandos Sacris Ordinibus. *Ex Conc. Toletano relato Can.* Quamquam 6. *D.* 23.
    6. Promotos ad Episcopatum. *Ex Conc. Carthagin. relato Can.* Qui Episcopus 2. *Dist.* 23. & Tridentino.
    7. Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos & omnes alios, qui de jure, & consuetudine Concilio Provinciali interesse debent in prima Synodo. Ex Tridentino. Idipsum ex decentia in Synodo Diœcesana facere debet Episcopus genuflexus ante Altare, ait Benedictus XIV. *lib.* 5. *Synod. Diœces. c.* 2. *n.* 4.
    8. Promotos ad Canonicatus, & Dignitates Ecclesiarum Cathedralium, vel ad quæcumque Beneficia Curata; & quidem intra duos menses a die adeptæ pacificæ possessionis; secus post duos menses privantur fructibus Beneficii, sed non nisi post sententiam judicis, juxta probabiliorem. Ad quam externam fidei professionem non tenentur promoti ad Canonicatus, & Dignitates Ecclesiarum Collegialium, vel promoti ad Beneficia non Curata; quia horum non facit mentionem in suo Decreto Concilium Tridentinum.
    9. Prælatos Regulares, ubi consuetudo viget. *Ex Constit. Pii IV. quæ incipit.* Injunctum nobis.
    10. Doctores, Magistros, Professores cujuscumque Facultatis, tam Sæculares, quam Regulares. *Ex Constitutione Pii IV. quæ incipit,* Sacrosancta.
    11. Candidatos promotos in Universitatibus ad gradum. *Ex eadem Constit.*

    N. B. *Supradicti (exceptis duobus ultimis) tenentur emittere professionem fidei juxta formam datam a Pio IV. insertam Tridentino* 24. *sess.* cap. 12. *Postremo duo, juxta formam datam ab Eodem & insertam Constitutioni ejusdem.* In Sacrosancta.
- **II. Violatur Præceptum Naturale, & Divinum**
  1. Non respondendo interrogationi sibi factæ a Potestate publica, v. g. Rege, Principe, vel Magistratu licet tyranno, saltem dum interrogatio fit intuitu Fidei.
  2. Tacendo, dum auditur vel videtur quid injuriosum contra Deum, Christum, Sanctos, Religionem, Sacras Imagines, si ex tali confessione speretur fructus.
  3. Tacendo pro casu, quo ex taciturnitate proximus debita utilitate privaretur.
  4. Dissimulando veram fidem, & pejus simulando falsam sectam, dum alias teneretur quis eam externe profiteri: censetur autem quis falsam fidem simulare, dum utitur verbis, signis, quæ vel ex natura sua, vel ex institutione hominum, vel ex circumstantiis locorum, temporum, personarum &c. professionem falsæ sectæ significant.

  N. B. *Negare vel dissimulare fidem externe, quando adest & urget præceptum eam externe profitendi, est peccatum mortale: Et ideo Petrus Apostolorum Princeps metu mortis negando Christum ore tantum, peccavit mortaliter, juxta D. Chrysostomum, & Augustinum;* apud Cornel. a Lapide in Matth. cap. 26. n. 70.
- **III. Non violatur**
  1. Non respondendo (etiam publicæ Potestati) interroganti: an sit catholicus? Si hujusmodi interrogatio fiat non intuitu fidei, sed ad effectum imponendi Catholicis tributum, vel ex alio fine ad fidem nullatenus pertinente.
  2. Non respondendo privatæ personæ idem interroganti; vel eam spernendo, quid ad te? præciso tamen scandalo, & salvo Religionis honore.
  3. Fugiendo, ne citatus cogatur comparere, vel quæsitus ne inveniatur. Excipe tamen Episcopos, & Pastores animarum.

TAB. XV. *De Obligatione Fidem Divinam externe non negandi.*

Confessionis externæ Fidei præceptum Negativum

I. Obligat semper pro semper juxta notionem præcepti negativi: & ideo tam arcte stringit, ut in nullo unquam casu, ceu spoliationis bonorum, infamiæ, mortisque vitandæ causa, licitum sit fidem etsi ficte, vel externe, negare, sive expresse, sive interpretative; uti cum D. Chrysostomo, & Augustino observatum est in Petro præced. Tab.

II. Violatur

- Expresse, dicendo
  1. Apertis verbis, sive serio, sive ficte, nemine tamen advertente fictionem, se non esse Christianum, extra tamen casum, quo nomen Christiani non usurparetur ad exprimendam Catholicam Religionem, sed nomenclatura politica Nationem, vel Nationis ritum connotaret.
  2. Se non credere hunc, vel illum articulum fidei nostræ.
  3. Se esse alterius Sectæ, v. g. Turcam, confessionis Helveticæ, Augustanæ, quia tunc non solum negaret Catholicismum, proindeque fidem Christi, verum profiteretur insuper sectam Catholicismo oppositam.
- Interpretative
  1. Dissimulando, vel occultando veram fidem, dum urget præceptum confessionis externæ fidei, de quo in præcedenti Tabula.
  2. Utendo signis protestationis falsæ sectæ, uti portare appensam imaginem Mahometis, Lutheri &c.
  3. Incedendo indutus vestibus distinctivis Religionis a religione juxta probabiliorem, & expressam Benedicti XIV. *in Synod. Diœces. lib.* 13. *cap.* 20. *n.* 17. referentis & laudantis Toletum ac Sylvium.
  4. Imponendo sibi nomen turcicum, juxta mox laudatum Pontificem. *ibidem lib.* 13. *c.* 20. *n.* 14.
  5. Communicando hæreticorum cœnæ, aliaque ministeria ad eorum sectam spectantia exercendo.
  6. Frequentando ordinarie infidelium Ecclesias, seu conventus & conciones, excipe casum, quo id fieret animo adnotandi, confutandique eorum errores.
  7. Comedendo ordinarie carnes diebus ab Ecclesia prohibitis, præsertim in Anglia, ubi talis comestio habetur pro signo distinctivo Reformati a Catholico; imo etiam protestativo falsæ sectæ.

Colliges: Violans præceptum negativum confessionis externæ fidei, dum illud urget externe fidem profiteri, peccat quadruplici peccato; videlicet

1. Mentiendo contra virtutem veracitatis in materia gravi.
2. Peccato Commissionis ob violatum præceptum negativum, de nunquam neganda fide externe, & consequenter contra virtutem Religionis.
3. Peccato omissionis, ob violatum præceptum affirmativum de profitenda fide externe, quod supponitur obligare ex virtute Religionis.
4. Peccato scandali pro casu, quo alii per illam negationem inducerentur vel ad negandam fidem veram, vel saltem pertinacius adhærendum falsæ.

III. Non violatur

1. Utendo signis solum distinctivis nationis a natione, aut imponendo sibi nomen usurpatum inter infideles, extra Turciam tamen, quia extra hanc nomina passim assumuntur ad distinctionem personæ a persona.
2. Non gestando signum, quod Tyrannus per publicum edictum mandat gestari a Catholicis, ut secernantur ab aliis in ordine ad ipsos condemnandos, juxta probabiliorem.
3. Frequentando una alterave vice hæreticorum, vel infidelium ecclesias, conciones ex curiositate.
4. Comedendo raro, præciso contemptu & scandalo, carnes diebus interdictis, extra Angliam integ-ge, propter superius dicta.
5. Comedendo idolothyta, seu id quod est immolatum idolis, sive sit panis, sive vinum, sive caro.
6. Assistendo matrimonio hæreticorum, vel infidelium; imo etiam coram ministro acatholico tamquam ministro mere politico, contrahendo, dum inter ipsos degit, *ex Benedicto XIV. in Synod. Diœces. lib.* 6 *cap.* 7. *n.* 2. Secus vero, si Minister ille tamquam persona sacra; quæ sacram cæremoniam intenderet exercere, atque per eam tribuere sanctitatem contractui matrimoniali: *Ibid.*
7. Agendo paranymphum in nuptiis hæreticorum, vel infidelium, funus comitando, præsertim in partibus Germaniæ, præciso tamen scandalo, & fidei contemptu.
8. Negando se esse Sacerdotem, Religiosum, Sacrum celebrasse, vel audivisse, diebus Veneris abstinuisse a carnibus: cum enim multi sint Catholici qui non sunt Sacerdotes, aut Religiosi, negando se esse Sacerdotem, vel Religiosum, negat qualitatem accidentalem, quæ abesse potest fide intacta & integra manente; & ideo non censetur talis negare se esse Catholicum: sicut etiam negando se audivisse sacrum, vel abstinuisse carnibus diebus Veneris, quia non pauci Catholici & sacrum non audiunt & carnibus vescuntur diebus vetitis.

TAB. XVI. *De Infidelitate positiva, ejusque speciebus.*

Infidelitas positiva *est carentia Fidei in eo qui fidei sufficienter propositæ dissensit, vel negando veritatem Fidei, vel errorem eidem contrarium asserendo,* cujus species sunt

- I. Paganismus, qui est *Infidelitas* veritati Fidei universaliter contradicens, seu negans ex integro Revelationem divinam in Scriptura sacra, & Traditionibus contentam, uti faciunt Gentiles: ad hanc reducuntur *Atheismus*, qui omnem divinitatis existentiam subvertit; & *Mahometismus*, qui a Mahumetes invectus circa *An. Chr.* 630, doctrinam in *Alcorano* contentam sequitur.
- II. Judaismus, qui est infidelitas Veteri admisso N. T. rejiciens, quæ est propria judæorum, quibuscum (etsi licite in terris Christianorum tolerentur) Catholicis tamen prohibitum est
  - 1. Communicare in cultu, & ritibus eorum superstitiosis, & quidem jure naturali: quia intrinsece malum.
  - 2. Communicare in aliis rebus etiam politicis, cum periculo subversionis, *eodem jure naturali.*
  - 3. Contrahere cum iisdem matrimonia, ex eodem, & jure Ecclesiastico. *Can.* Nullus 23. *causa* 28. *quæst.* 1.
  - 4. Cohabitare in eadem domo, *ex jur. Eccl. Can.* Nullus 13. *caus.* 23. *quæst.* 1.
  - 5. Ingredi ex condicto Idem Balneum. *ex eodem.*
  - 6. Adhibere aliquem in medicum, vel ab eo medicinas sumere, extra casum veræ, & urgentis necessitatis. *ex eodem.*
  - 7. Servire eisdem in eadem domo, imo etiam extra eam assidue, adeo quod nec nutrices, nec obstetrices infantum judæorum esse possint. *ex cap.* Ad hoc 8. de *Judæis.*
  - 8. Invitare illos ad convivia, vel ipsorum interesse conviviis, *Ex Can.* Omnes 14. *causa* 28. *quæst.* 1. Intellige, si id fiat ex condicto; si enim casu Christianus cum judæo in eodem diversorio reperiatur, & in eadem mensa manducet, non est prohibitum.
  - 9. Committere eisdem publica officia, vi quorum eis competat potestas & jurisdictio in Christianos. *ex eod. cap.* Cum sit. 1. *de Judæis.*
  - 10. Instituere eos hæredes in Testamento, vel Legatarios, *ex utroque jure Eccl. & Civ.* Descendentibus tamen a judæis, & aliis infidelibus, possunt conferri Ordines & Beneficia. *Ex Ben. XIV. Syn. Diœc. l.* 12. *c.* 1. *n.* 4. Excipe Neophytos, seu recenter ad fidem conversos, juxta dicenda.
- *Hæresis,* (quæ est hominis baptizati error intellectualis contra aliquam Fidei veritatem) potest esse, vel
  - 1. *Materialis,* si ex sola ignorantia, vel errore proveniat, absque pertinacia in voluntate persistendi in eo contra sententiam Ecclesiæ: & hæc non subjacet pœnis Hæreticorum; imo nec est peccatum, si ex ignorantia proveniat omnino invincibili; bene vero, si ex vincibili, crassa, vel supina, & a fortiori si ex affectata, contra virtutem Fidei de scientia credendorum. *Ex Can.* Dixit Apostolus 29. *causa* 24. *qu.* 3.
  - 2. *Formalis,* quæ est error voluntarius ac pertinax contra aliquam Fidei catholicæ veritatem, ad quam duo requiruntur
    - 1. Error in intellectu, cum Hæresis sit species quædam infidelitatis, qui debet esse voluntarius & deliberatus.
    - 2. Pertinacia in errore ex parte voluntatis. *Ex Can.* Dixit Apostolus, *mox cit.*
    - N. B. 1. *Pertinax censetur, qui perseverat in errore, postquam contrarium eidem sufficienter est propositum; vel etiam quando scit contrarium teneri a vera universali Ecclesia, cui judicium suum præferre præsumit.* Ex Reiffenstuel lib. 5. de Hæret. tit. 7. a. 5. Tales proinde censendi sunt adhærentes erroribus Synodi Pistoriensis post damnationem eidem inustam a feliciter Regnante Pio VI. per Bullam, quæ incipit, *AUCTOREM FIDEI an.* 1794. 28. *Aug.* in iis, quæ tamquam hæretica proscripta sunt in sensu ibidem expresso.
    - 2. *Dubitans positive voluntarie in Fide, vel de aliquo ejus articulo, condemnandus est de Hæresi formali. Ex Cap.* Dubius 1. *de Hæreticis, & Clementina* 1. *de Summa Trinitate.* §. Porro. *Secus, dubitans solum negative.*
    - 3. *Dubitans ex ignorantia, si monitus ab Episcopo, vel Inquisitoribus, aut alio viro docto, adhuc perseveret in suo dubio, condemnandus est de Hæresi formali,* juxta probabiliorem, *quia satis pertinax ostenditur, qui suo judicio innixus contemnit Ecclesiæ auctoritatem per suos Magistros declaratam.*
  - 3. *Interna,* seu mentalis, quæ videlicet in corde, seu mente retinetur; quæ si sit mere interna, præter peccatum mortale nullam inducit pœnam, aut irregularitatem.
  - 4. *Externa,* manifestata, sive
    - Verbo, asserendo, v. g. Christum non esse in Eucharistia, clare tamen, distincte, & quidem affective, seu animo asserendi, & hæresim profitendi.
    - Signo, vel facto ex natura sua, aut hominum institutione, aut circumstantiis personarum, loci, temporis &c. hæresim significante, uti conculcatio Eucharistiæ, frequentatio conventuum, concionum Lutheranorum &c.
  - 5. *Occulta,* quæ scilicet externe quidem profitetur, sed nemine, aut non nisi uno, alterove præsente.
  - 6. *Publica,* seu Notoria, quæ videlicet nota est majori parti Vicinitatis, Communitatis &c.
  - N. B. 1. *Externa, sive occulta, sive publica, inducit Excommunicationem latæ sententiæ.* Ex Cap. Excommunicamus 13. *de Hæreticis, & cap.* Noverit 49. *de Sententia excommunic. Quæ etsi vi horum Canonum nemini sit reservata, ex Tridentino tamen, & Bulla Cœnæ reservatur.*
  - 2. *Externa publica, seu notoria inducit præterea irregularitatem & inhabilitatem ad Dignitates, Officia, & Beneficia Ecclesiastica, extra Galliam & Germaniam: secus vero Externa occulta, juxta probabiliorem.* Ex quo sequitur *hæresim non per se & ratione sui, sed ratione infamiæ inducere irregularitatem.*
- *** Absolutio ab Hæresi
  - Materiali potest impertiri a quovis Confessario. Unde Lutherani & Calvinistæ rudiores redeuntes ad Fidem Catholicam, si agnoscantur fuisse vere materiales, possunt a quolibet Confessario absolvi: quamvis securitatis gratia & ad populi ædificationem consultius sit, ut in foro externo absolvantur ab habente facultatem.
  - Formali nequit impertiri, nisi ab habente Privilegium, prout in Germania habent omnes Episcopi, & Capuccini Provinciæ Styriæ, ad hoc specialiter a suis Superioribus deputati: qui tamen nequeunt absolvere a juridico relapsu in hæresim.
  - Disputare cum Hæreticis de Fide, Laici, licet docti, prohibentur sub pœna Excommunicationis ferendæ sententiæ, *ex cap.* Quicumque *de Hæreticis in* 6. ubi ab Alexandro IV. intimatur: *Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ personæ liceat publice, vel privatim de Fide Catholica disputare; qui vero contrafecerit, Excommunicationis laqueo innodetur.*

TAB. XVII. *De Lectione, et Retentione librorum prohibitorum.*

Librorum aliquorum tam retentio, quam lectio prohibetur

I. In Bulla Cœnæ Domini, sic dicta, quod singulis annis usque ad Clementem XIV. idest usque ad annum 1769. Romæ fer. V. in Cœna Domini solebat publicari & renovari, vi cujus retentio & lectio prohibetur librorum, scilicet

1. Si sint hæreticorum, non quidem in[illegible] scriminatim quorumcu[illegible] librorum, s[illegible] modo:

2. Si tractent ex professo de Re[illegible]ione, v. g. de Theologia Scholastica, Dogmatica, Morali, aut Mystica: hoc est de Mysteriis Fidei, Cultu Dei & Sanctorum, de S[illegible], Peccatis, Conscientia, de Moribus in o[illegible] ine ad finem naturalem re[illegible]e asseq[illegible] libri illi, licet hæretici auctoris, tractent de alia materia, v. g. Logica, M[illegible], H[illegible], vel de rebus Politicis.

3. Si contineant hæresim, non incidenter & per accidens solum, sed ex instituto tractent notabiliter, scilicet deducendo, proponendo, seu defendendo hæresim, vel quas[illegible] errores contra fidem; si enim in libris hæreticorum tractantibus de aliis materiis, essent [illegible] per accidens & incidenter aliquæ hæreses hinc inde sparsæ, non censerentur prohibiti vi [illegible] *Cœnæ Domini*.

4. Si vere rationem habeant librorum, sive demum sint typis impressi, sive manuscripti, dummodo sint hæreticorum, tractent, vel contineant, ut supra: non vero si non [illegible] libri, sed dumtaxat folia, epistolæ &c. non censerentur talia prohibita vi Bullæ præfatæ.

II. In Indice librorum prohibitorum, auctoritate Concilii Tridentini, & Pii IV. edito, appositoque ad calcem ejusdem Concilii, & in tres classes libros prohibitos distribuente. Hinc ad

Primam pertinent illi libri, qui propter ipsos Auctores, hæreticos scilicet, sunt [illegible], seu prohibiti: item omnes illi ab auctore hæretico, vel de hæresi publica suspecto [illegible], qui ex professo tractant de Religione.

Secundam pertinent libri, qui prohibentur, & prohibiti sunt, non propter ipsorum Auctorem, sed propter non sanam, suspectam, moribusque fidelium repugnantem d[illegible] continent; quales sunt libri Auctorum etiam Catholicorum de rebus lascivis, & [illegible] tractantes: item libri eorumdem christianis moribus, aut Fidei contrariam, vel [illegible] materia suspectam doctrinam, quam continent malam, sive in genere [illegible].

N. B. *Quod intelligendum est, non de solo eo idiomate, in quo liber fuit [illegible] sed de omni & quocumque; adeo, quod liber seu italico, gallico, latino [illegible] que hoc prohibitus, in omni censendus est idiomate proscriptus & vetitus.* Ex [illegible] XIV. Constit. quæ incipit. *Cum* insert. Appendici alteri ad Tom. IV. ejusdem Bullar. [illegible] 25. Edit. Venet.

III. Sub Pœnis, videlicet

1. Retinentes, vel legentes libros prohibitos vi *Bullæ Cœnæ* (ubi hæc viget) sine debita licentia incidunt ipso facto in duplicem Excommunicationem, unam Papæ reservatam vi [illegible] Bullæ, alteram latam in Indice librorum prohibitorum, non reservatam.

2. Retinentes, vel legentes libros prohibitos in Indice præfato, si simul sint prohibiti in Bulla Cœnæ, incurrunt ipso facto duplicem Excommunicationem, unam in præfata Bulla latam, & Papæ reservatam; alteram in dicto Indice nemini reservatam. Si vero non sint simul prohibiti in Bulla Cœnæ, seu non sint libri hæreticorum, sed aliorum Auctorum, prohibiti tamen, & damnati ob contentam hæresim aliquam, vel suspicionem falsi dogmatis &c., ipso facto incurrunt Excommunicationem in dicto Indice *Regula* [illegible]. latam.

3. Retinentes, vel legentes libros secundæ vel tertiæ Classis sine debita licentia, qui non ob hæresim aliquam, nec ob falsum Religionis dogma, verum ex alio capite sunt rejecti, v. g. ob doctrinam bonis moribus contrariam, nullam incurrunt excommunicationem, peccant tamen mortaliter & arbitrio Episcopi sunt puniendi. *Ex Reg.* 10.

4. Habentes libros prohibitos sine debita facultate, si sint ex locis ubi viget Officium Sacræ Inquisitionis, ut in Hispania, & magna Italiæ parte, tales libri sub pœna Excommunicationis, aliisque pœnis contra hæreticos latis, debent tradi Inquisitori, neque sub[illegible] propria eos auctoritate comburere. *Ex Constitutione Julii III.* Cum Meditatio, *&* [illegible] *a Pio IV.* Pro munere. Putant tamen aliqui, non incurrere dictam excommunicationem eum qui tales libros propria auctoritate combureret, quia videtur lata solum in hæ[illegible].

5. Habentes libros prohibitos sine debita facultate, si sint ex locis ubi non [illegible] tio, debent eos tradere Ordinariis, qui præsupponuntur præditi dicta facultate eos retinendi & legendi, vel aliis præditis dicta facultate, quam plerumque habent [illegible], qui [illegible] eos diligenter custodire debent, ne ad aliorum, talem facultatem non habentium, manus perveniant. Consultum tamen haud videtur, si comburantur: nam si omnes libri hæretici, & suspecti de hæresi, vel falso dogmate, jam ab aliquo lecti, statim comburerentur, nec possent pro ulteriori lectione reservari, hoc potius in magnum cederet Ecclesiæ, & [illegible] Catholicæ detrimentum.

Resolves. Num prohibitiones retinendi & legendi libros prohibitos factæ sive in Bulla Cœnæ, sive in [illegible] lib. prohib. afficiant partes Germaniæ? Discrepant inter se Doctores etiam Germani. Pro parte affirmativa videtur ratio illa validissime pugnare, quod prudentes & Deum timentes, licet Germani, Roma petant [illegible] facultatem, imo ipsimet Episcopi Germaniæ idipsum præstent. Nisi forte quis [illegible] præstare, non tam necessitatis, quam securitatis gratia, & ex abundanti. Tu vero, quicumque sis [illegible] quo, & [illegible] erga Catholicam Ecclesiam gloriaris, affirmativam sequere, ut in [illegible] Supremi Patris lumen non te deserat, imo Fidei, *sine qua impossibile est placere Deo*, [illegible] augeatur.

TAB. XVIII. *De Spe Theologica, ejusque necessitate, obligatione, et vitiis oppositis.*

Spes Theologica actualis est *Actus, quo voluntas fertur in Deum, ut summum Bonum nostrum assequendum per media nobis promissa*, cujus

I. Objectum

1. *Materiale* principale est Deus, ut aliquando a nobis pacifice possidendus: secundarium vero, ac minus principale, alia dona tum supernaturalia, tum naturalia aliquo modo, tamen saltem necessaria, vel conducentia ad salutem.
2. *Formale* est Bonitas Dei respectiva, seu Deus; quatenus nobis est bonus inclusa promissione divina, ac infinita ejus in servandis promissis Fidelitate.

II. Actus

1. *Principalis* est firma fiducia assequendi Deum, ut summum Bonum nostrum per gratiam, & auxilia divina, ac media nobis promissa. Quo actu obviatur vitio Spei opposito, quod est Desperatio, de qua infra.
2. *Praevius* est
   - Amor concupiscentiae Dei, quo scilicet voluntas fertur in Deum, ut summum Bonum nostrum apprehensum.
   - Desiderium simplex, quo voluntas fertur in Deum, apprehensum ut summum Bonum nostrum absens, quod cuperet jam possidere.
   - Desiderium efficax, quo voluntas fertur in Deum, ut summum Bonum nostrum assequendum per media opportuna.
3. *Concomitans* est timor de non assequenda Beatitudine, utpote cujus assecutio pendet a nostra cooperatione, meritis, perseverantia, de quibus certi esse non possumus. Qui actus opponitur vitio Spei opposito, quod est praesumptio, de qua infra.

III. Obligatio eliciendi Actum Spei urget

1. Per se
   - Sub initium usus rationis; quamprimum videlicet homo pervenit ad usum rationis, eidemque Deus sub ratione objecti beatifici, seu ultimi finis nostri, sufficienter fuit propositus.
   - In articulo, vel probabili periculo mortis, quia vix aliter potest moribundus se se tueri contra insidias & conatus inimici, quam spe firma ad Deum recurrendo.
   - Saepius per vitae decursum; quia jugiter, continuo ad vitam aeternam suspirandum nobis est, inque illam nitendum, quod propriis viribus pertingere non possumus.
2. Per accidens
   - Quotiescumque homo gravi periculo, vel tentatione desperationis pulsatur, nonnisi per actum Spei Theologicae superandis.
   - Quotiescumque tenetur homo exercere actum requirentem necessario spem, v. g. orationis, contritionis &c.
   - Regulariter satisfit praecepto de eliciendo actu Spei, dum quis se peccato dolet, ac propositum nunquam peccandi de caetero mortaliter concipit.

IV. Vitia opposita sunt

1. Desperatio, quae est *abjectio positiva, deliberata, voluntaria omnis Spei consequendi beatitudinem, & media ad eam*, & alia est
   1. Simplex non habens adjunctam haeresim, cujus reus censetur qui desperat de misericordia, gratia, auxilio Dei absque errore vel intentione in materia Fidei, quia putat quod de facto Deus sui non miserebitur &c. & haec simplex desperatio unicam duntaxat speciei malitiam contra virtutem Spei continet.
   2. Qualificata habens adjunctam haeresim, cujus reus censetur, qui desperat vindicando Deum, sive non posse ipsum salvare, sive nolle, licet is se faciat quantum in se est, in ordine ad salutem; & haec desperatio qualificata duplicem malitiam continet.
   3. Non est proprie desperatio, cum quis desperat emendationem vitae, vel consequi salutem ex consideratione suae infirmitatis, peccatorum gravitatis, & inveteratae consuetudinis, non excludendo spem divinae Misericordiae.
   - * Desperationis causae, ut plurimum, sunt Luxuria & Acedia.
2. Praesumptio, quae est *Temeraria fiducia obtinendi a Deo beatitudinem, & mediorum ad eam assequendam necessariorum*, estque vel
   1. Simplex, nullum aliud habens adnexum peccatum, cujus censetur reus qui data opera differt poenitere, & in statu peccati moritur, confidens nihilominus Deum sibi propitium futurum, quod est gravissimum peccatum in Spiritum Sanctum.
   2. Qualificata, habens adnexam haeresim, cujus reus est qui putat, vitam aeternam ac beatitudinem ex se ipso & propriis viribus, more Pelagianorum, vel absque propriis meritis, more Lutheranorum, consequi praesumit.
   3. Qualificata, habens adnexum peccatum tentationis contrarium virtuti Religionis, cujus reus est qui expectat beatitudinem, vel quodcumque aliud donum a Deo mediis extraordinariis, supernaturalibus & miraculosis, exclusis mediis ordinariis.

   N. B. *Non est proprie Praesumptio, cum quis peccat cum fiducia obtinendi misericordiam; communis fiducia divinae misericordiae non est causa motiva peccandi, sed solum concomitans, vel consequens; sed verus actus Spei Theologicae, qua quilibet, quantumvis graviter peccaverit, potest semper usque ad mortem misericordiam Dei sperare tenetur.*

   * Praesumptionis causae sunt superbia & inanis gloria.

TAB. XIX. *De Charitate, seu dilectione Dei, necessitate, obbligatione, et vitio opposito.*

Charitas Theologica, est *Virtus Theologica, qua Deus propter se, Proximus vero propter Deum diligitur*, cujus actus

- I. Cadit sub præcepto speciali intimato tum *Deuter. 6. v. 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota fortitudine tua:* tum *Matthæi 22. v. 37.* dum ad interrogationem sibi factam a quodam legis Doctore, quodnam sit mandatum magnum in lege? respondit Christus *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & in tota anima tua & in tota mente tua.* Ex quo consequitur hominem teneri Deum diligere non solum amore *effectivo* suo in observantia mandatorum, ut aliqui olim docuerunt, sed & *affectivo*.
- II. Debet esse
  - 1. Internus, seu procedere ex toto corde, ex tota anima, ex toto animo & affectu.
  - 2. Supernaturalis, tum ex parte principii, seu gratiæ, tum ex parte objecti, & consequenter debet respicere Deum ut auctorem supernaturalem, adeoque procedere ex cognitione supernaturali.
  - 3. Summus, seu super omnia saltem appretiative & æstimative, id est ut ab amante in majori pretio & æstimatione habeatur Deus, quam cætera omnia, & consequenter nihil supra Deum, vel æque ac Deus ametur.
  - N. B. *Amor intensive summus, licet sit perfectissimus, non requiritur.*
  - 4. Benevolentiæ, seu tendere debet in Deum, ut est summum Bonum in se, non vero ut est nobis Bonus, utpote amor concupiscentiæ pertinens ad virtutem Spei. Et ideo debet ferri in Deum propter suam intrinsecam, infinitam & omnimodam bonitatem, perfectionem, pulchritudinem, excellentiam.
- III. Obligat
  - Per se
    - 1. Dum quis pervenit ad usum rationis & sufficienter instructus de Deo & ejus bonitate apprehendit Deum super omnia debere diligi.
    - 2. In articulo, vel periculo mortis, & non tantum per accidens, scilicet pro casu quo moriturus conscius peccati mortalis, non haberet copiam Confessarii.
    - 3. Sæpius in vita, unde non sufficit, sive semel, sive omni quinquennio semel elicuisse talem actum; vel solum quando quis tenetur justificari, utpote damnatum ab Innocentio XI. proscribente Propositiones 5. 6. 7.
  - Per Accidens
    - 1. Quoties quis tempore annuæ Confessionis non habet copiam Confessarii.
    - 2. Quando ad dignam administrationem, vel susceptionem Sacramenti requiritur status gratiæ, & non datur copia Confessarii.
    - 3. Dum dilectio Dei apprehenditur, ut medium necessarium ad superandam aliquam tentationem.
  - N. B. *Præcepto Charitatis cum satisfieri possit, non modo per actum formalem & explicitum Dilectionis Dei super omnia, sed & per actum virtualem & implicitum: & ideo dictum præceptum*
- IV. Impletur ab eo, qui
  - 1. Observat Dei Præcepta ex motivo præcise, quod sciat id placere Deo. *ita Elbel.*
  - 2. Declinat a peccato committendo, aut jamjam, actu commissum detestatur, quia scit eum repugnare divinæ excellentiæ & bonitati. *ita Elbel cit.*
  - 3. Recitat attente & serio Orationem Dominicam; ita Tornellus: *Dicens enim, inquit ille: „ Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua, sicut in Cælo & in terra, " duos elicit actus amoris affectivi, Deo videlicet summam gloriam expetendo, & promptum se exhibendo ad faciendum quod ipse Christus docuit & fecit.*
  - 4. Elicit actum Contritionis perfectæ, cum non possit detestari peccatum propter Deum summe dilectum, quia hoc ipso Deus super omnia diligitur. Neque obstat, quod Contritio dicatur solum virtualiter continere dilectionem Dei super omnia: nam id ideo dicitur, quia propter amorem Dei includit etiam fugam & detestationem peccati; & ideo Contritio licet perfecta non dicitur actus formalis & explicitus; sed solum virtualis & implicitus dilectionis Dei super omnia.
- V. Non impletur per actus aliarum virtutum, minimeque per susceptionem cujusvis Sacramenti.
- VI. Opponitur
  - 1. Odio Dei *inimicitiæ*, quod opponitur amori Dei *benevolentiæ*, & consistit in affectu quodam maligno in Deum, quo improbus ipsum Deum secundum se aversatur, eique malum vult, ut distinguatur ab
  - 2. Odio Dei *abominationis*, quod opponitur amori Dei *concupiscentiæ*, & consistit in affectu quodam maligno erga Deum, quo ipse Deum non secundum se, sed secundum aliquem suum affectum sibi contrarium aversatur. Utrumque odium est peccatum gravissimum, nullam admittens materiæ parvitatem.

TAB. XX. *De Praecepto affirmativo Dilectionis Proximi.*

Præceptum affirmativum Dilectionis Proximi præcipit ut diligatur

I. Amore interno affectivo

1. Omnis creatura rationalis, divinorum bonorum, gratiæ, vel beatitudinis æternæ capax vel particeps, ut Angeli, Animæ, sive Beatæ, sive Purgantes: omnis homo Viator, sive amicus, sive inimicus, cum omnes mox dicti veniant nomine proximi, qui præcipitur diligendus, juxta illud Matthæi 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; et aliud *Matthæi* 4. *Diligite inimicos vestros etc.*

2. Actu interno ex affectu, non quidem terminato ad singulos in particulari, sed ad omnes in communi, nullum, ne inimicum quidem, excludendo. Unde non sufficit ipsum amare solum amore externo per opera beneficentiæ. Ex Innocentio XI. damnante *Propos.* 10. & 11.

3. Benevolentiæ & non concupiscentiæ tantum; seu quia proximus bonus, utilis, delectabilis est diligenti; nam taliter convinceretur seipsum potius, quam proximum diligere.

4. Supernaturali, seu ex motivo lumine supernaturali fidei cognito, v. g. quia ita Christus præcipit, quia pro illo Sanguinem fudit, vel propter ejus supernaturalem participatam bonitatem.

5. Sæpe per decursum vitæ replicato, præsertim cum necessitas occurrit, sive dandi eleemosynam, sive vitandi odium, sive vitæ periculum.

6. Ordinato, videlicet ut magis & intensiori affectu diligantur meliores, sanctiores, Deoque similiores: ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 6. *in* 8. *Dicendum est, quod etiam secundum affectum oportet magis unum proximum, quam alium diligere.*

II. Amore externo beneficentiæ, qui ut sit ordinatus debet quis

1. Prius seipsum diligere secundum animam & bona supernaturalia ad salutem necessaria, qualia censentur Baptismus, Fides vera, Pœnitentia post lapsum, Gratia sanctificans &c.

2. Plus diligere Proximum quoad ipsa bona spiritualia extreme indigentem, quam seipsum quoad bona corporalia, etiam ipsam vitam.

3. Magis diligere seipsum quoad bona corporis, quam proximum quoad eadem bona; & ideo nemo tenetur propriam vitam corporalem exponere pro sola vita corporali proximi; alias, ut bene inquit S. Augustinus, talis non diceretur diligere proximum sicut seipsum, sed plusquam seipsum.

4. Magis, inter proximos in æquali necessitate bonorum ejusdem ordinis & rationis constitutos, diligere eos, qui sibi magis sunt conjuncti; & præferre conjunctos conjunctione quoad bona pertinentia ad naturam & vitam corporis.

5. Præferre inter conjunctos carnali propinquitate Patrem omnibus aliis, etiam Matri; ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 26. *art.* 9. *in corp.*, cæteris tamen paribus, si enim Pater esset crudelis, Mater benefica, procul dubio Mater esset præferenda; quia præter vinculum conjunctionis naturalis, additur benevolentiæ signum.

6. Præferre Patrem & Matrem uxori & filiis citra contradictionem illius Christi Domini: *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem & adhærebit uxori:* quia id intelligi debet quoad unionem carnalis copulæ, & cohabitationis, *Ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 26. *artic.* 11. *ad* 1.

7. Præferre uxorem filiis & Fratrem in extrema necessitate constitutum Amico & Benefactori; quia mater est principium filiorum, & fraternitatis unio strictior.

8. Subvenire proximo constituto in extrema necessitate spirituali etiam cum periculo propriæ vitæ, juxta illud Christi: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Diligendo quippe nos cum positione vitæ suæ pro nostra salute, modum statuit ponendi etiam cuique vitam suam pro spirituali proximi salute, extreme saltem periclitante.

9. Subvenire proximo existenti in gravi necessitate spirituali, non quidem cum periculo propriæ vitæ (excipe Pastores animarum, scilicet Episcopos, Prælatos, Parochos): bene vero cum aliquo non solum levi, sed & gravi incommodo.

10. Exponere propriam vitam pro conservando bono communi Reipublicæ, aut pro conservanda vita publicæ personæ, ex qua multum dependet bonum commune: secus vero pro conservanda vita alicujus privati, eoquod præceptum de conservanda alterius vita, non potest obligare cum detrimento propriæ: nam alias dicendum esset debere amare proximum plusquam seipsum.

N. B. *Licet homo non teneatur propriam vitam exponere periculo pro conservanda vita alicujus privatæ personæ, potest tamen ex motivo alicujus virtutis Christianæ, v. g. ad substrahendum proximum ab æterna damnatione, dummodo sic se exponens non sit in peccato mortali, aut propria seu ponentis vita sit magis necessaria vel utilis, quam alterius privati, utpote potentis juvare animas Patris, Personæ publicæ; hi enim nequeunt exponere propriam vitam, pro conservanda vita alicujus personæ privatæ.* (*)

(*) Hinc ex motivo virtutis potest quis

1. *Existens in extrema necessitate alteri cedere panem, quem unicum habet, & uni tantummodo personæ sufficiens est.*

2. *Fugiens ab hostium furore alteri cedere equum, ut ipse fugiat, etiamsi cedens effugere non posset.*

3. *Existens in periculo naufragii possunt unus alteri cedere tabulam, cujus auxilio salvari posset: non posset tamen tabulam, qua jam uti incæpisset, alteri cedere, si aliter non posset, quam seipsum conjiciendo in mare, quia talis suicida censeretur.*

Colliges. Amorem sive affectivum, sive effectivum tendentem in proximum inimicum, respectu motivi propter quod diligitur, esse actum magis meritorium, quam si tendat in amicum, quia nonnisi propter Deum moveri quis potest ad diligendum inimicum; si vero respiciatur ipse proximus, dilectionem amici supereminere dilectioni inimici. *Ex D. Thoma* 2. 2. *qu.* 27. *art.* 7. Hinc si beneficium impertiendum non sufficit omnibus, potest, omissis calumniatoribus, aliis conferri: recte Castropalaus *de Charitate Tract.* 6. *disp.* 1. *Puncto* 6. *n.* 4.

TAB. XXI. *De Praecepto Dilectionis Proximi negativo*.

Praeceptum Negativum dilectionis Proximi

- **I. Prohibet**
  - 1. Odium abominationis & inimicitiæ erga proximum, seu proximo velle malum, quatenus tale, quod est peccatum ex genere suo mortale: secus si velit malum, quatenus ipsi, alteri, vel Reipublicæ bonum est.
  - 2. Delectari de malo proximi, quatenus malum est illius; non vero in quantum est causa boni præponderantis. Ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 76. *art.* 1. *ad* 3.
  - 3. Optare proximo mortem, ut est præcise ipsi malum, vel ad obtinendum inde temporale emolumentum; aut tristari de ejus vita. *Ex Innocentio XI. damnante propos.* 13. 14. 15.
  - 4. Denegare inimico signa communia benevolentiæ, uti sunt
    - 1. Orare pro omnibus saltem in communibus orationibus ab Ecclesia, vel a Deo in hunc finem institutis.
    - 2. Resalutare salutantem, seu etiam gratias agere pro salutatione.
    - 3. Respondere alloquenti.
    - 4. Vendere merces postulanti.
    - 5. Prosequi in negotiatione jampridem incœpta cum inimico.
    - 6. Præstare omnia illa officia, & obsequia communia quæ passim in Communitate, Collegio, Domo, Oppido, Civitate aliqua omnibus exhiberi solent.
  - 5. Declinare inimicum eo advertente & graviter sentiente; secus si id fiat ex rationabili causa, v. g. ad evitandam occasionem alicujus rixæ, novi rancoris, vel alterius mali, & declinans non intentatur sibi.
  - 6. Denegare signa particularia & extraordinaria, quando
    - Inimicus versatur in extrema, vel gravi necessitate spirituali vel corporali, nec alium habet, qui sibi opituletur.
    - Circumstantiæ indicant id fieri ex odio, vel rancore.
    - Prævidetur Scandalum oriturum, v. g. majoris odii & inimicitiæ.
    - Speratur ex ipsorum exhibitione inimicus facilius reconciliandus.
    - In his enim & similibus casibus, præter signa communia, quivis tenetur exhibere signa particularia benevolentiæ inimico. Nam hic præcipue urget mandatum divinum: *Benefacite his qui oderunt vos*.
  - 7. Exigere reconciliationem ab offendente per veniæ petitionem, quando
    - Injuria illata non fuit gravis.
    - Aliter satisfactum, vel satisfieri potest læso.
    - In usu non est apud aliquos, v. g. Nobiliores, veniæ petitio.
    - Offendens est Superior, vel majoris auctoritatis offenso.
    - Offendens reciproce fuit læsus ab offenso; quia tali casu injuriæ invicem quoad pœnam se compensant, non tamen quoad reconciliationem faciendam, aliis charitati & amicitiæ signis præstandis a primo lædente.
    - Offensus est absens, nec facile sive per se, sive per alium conveniri potest.
  - 8. Recusare reconciliationem tempore opportuno ab offendente quæsitam, non negativam modo, sitam in depositione odii & rancoris; verum etiam positivam, sitam in exhibitione specialium quorumdam signorum.
- **II. Non Prohibet**
  - 1. Denegare signa communia, cum talium denegationem exigit
    - 1. Charitas, ut si hinc speretur ab inimico error agnoscendus, aut timeatur deterior futurus, aut in malam partem acceptaturus, aut inimicus elatior evasurus, & novas injurias sibi illaturus.
    - 2. Justitia, si correptionis gratia denegentur, ad puniendum videlicet sublatorum errorem; & ut a lædente agnoscatur commissus, vel ut hujus protervia & insolentia frangatur.
    - 4. Rationabilis causa, v. g. ad significandum justum dolorem & tristitiam de percepta injuria.
  - 2. Assumere aliam viam, ne occurratur inimico ex justa & rationabili causa, v. g. ad declinandam novarum rixarum, rancoris &c. occasionem: vel omnino non advertente inimico, vel saltem non putante id sui, aut inimicitiæ causa fieri.
  - 3. Denegare signa externa particularia & extraordinaria, qualia censentur
    - Ægrotum invisere, mœstum consolari.
    - Hospitio, vel convivio recipere.
    - Ad familiare colloquium admittere.
    - Salutare, loqui ei.
    - Hæc enim & similia signa non sunt alicui debita ex præcepto charitatis; & hoc ipso eorum omissio non est signum odii, aversionis, vel vindictæ.
  - 4. Exigere petitionem veniæ ab offendente, quando illata offensa fuit gravis, nec aliud superest remedium reconciliationi; vel omnibus bene perpensis, aliud remedium non congruit.
  - 5. Negare reconciliationem positivam, etiam veniæ petitione quæsitam statim post offensam & injuriam perceptam.
  - 6. Instituere actionem
    - Injuriarum, seu prætendere satisfactionem pro illata injuria, quamvis pro posse condonandum, ut ad imitationem Christi patientis tentatur, præsertim cum læso inutilis, lædenti vero gravissime damnosa evaderet.
    - Civilem pro compensatione damni illati: hinc damnificatus potest licite prosequi coram Judice competente suam causam ad effectum obtinendæ compensationis pro damno sibi illato.
    - Criminalem ad justam sceleris vindictam pro bono communi, sed hæc actio criminalis omnimode dissuadenda, quia facile est ut potius ex passione & desiderio vindictæ, quam zelo justitiæ instituatur.

TAB. XXII. *De Effectu externo Charitatis, qui est Eleemosyna.*

Eleemosyna est opus misericordiæ, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum; cujus

I. Actus

1. Cadit sub præcepto tam naturali, quia *quod tibi vis fieri, alteri feceris;* tum divino, incluso in præcepto dilectionis Proximi, ac intimato a Christo Domino: *Veruntamen, quod superest, date eleemosynam.* Hinc ob denegatam eleemosynam finalis proferretur sententia: *Ite maledicti &c. esurivi enim &c.*
2. Est virtus moralis, si exerceatur præcise ex motivo sublevandæ pauperis miseriæ; vel charitatis simul, si a dilectione imperetur, seu si exerceatur propter Deum; vel etiam pœnitentiæ, si fiat ad satisfaciendum pro peccatis.
3. Est vera Donatio; ideoque ad eam nonnisi habentes plenum & perfectum dominium obligantur.
4. Remittit per accidens peccata, quatenus frequentatus impetrat auxilia gratiæ actualis ad resurgendum a peccatis, & eliciendam contritionem perfectam.

II. Obligatio

Afficit

1. Bona superflua naturæ & vitæ in ordine ad succurrendum constituto in extrema necessitate, seu vita periclitantibus, vel versantibus in periculo incurrendi damnum aliquod gravissimum æquivalens morti.
2. Bona statui suo etiam necessaria in ordine ad succurrendum extreme indigenti, etiam cum quodam sui status detrimento.
3. Bona superflua naturæ & statui in ordine ad succurrendum extreme indigenti, gratis & absque aliquo onere recompensandi, etiam sub conditione, si forte ad meliorem statum perveniret, dum egens tam in re, quam in spe sit pauper.
4. Bona superflua naturæ & statui in ordine ad succurrendum constituto in gravi necessitate, in qua censetur, qui vitam valde difficulter, status sui conditionem vero omnino tueri non valet.
5. Bona superflua naturæ & statui in ordine ad succurrendum saltem aliquando laborantibus communi necessitate, in qua versantur pauperes vulgares.

N. B. *Detrectans succurrere extrema necessitate laboranti, peccat graviter juxta quosdam contra justitiam, juxta alios vero contra charitatem, quia graviter lædit præceptum dilectionis: & contra justitiam; nam si verum est in extrema necessitate omnia esse communia adeo, quod furans in extrema necessitate constitutus non peccet; manifestum est talem jus stricte tale pro talibus temporum adjunctis in bona alterius habere: unde sit æquivalens, vel eleemosynam extreme indigenti denegare, vel extreme indigenti sua auferre, quibus sibi consulere posset.*

N. B. *Cum ratio status sit illa, quæ congruit cum regulis Evangelicis, id est cum decentia victus & potus convenientium naturæ rationali; & cum modestia Christiana in vestitu & ornatu, juxta illud D. Pauli ad Timoth.* 1. *c.* 2. *v.* 9. Similiter & mulieres in habitu, ornatu, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non intortis crinibus &c. *proscribentibus Comessationes & Luxus: Hinc superflua statui & conditioni illa dicuntur, quæ cum illis regulis conveniunt. Unde colliges: Fœminas Nobiles habentes bona paraphernalia, in omnem vestium corruptelam effusas, graviter peccare, dum illa bona in luxum excessivum, in ornamenta, vestis luxuriem & scandala spirantes, insumentes, ab impertienda eleemosyna pauperibus in extrema vel gravi necessitate constitutis se subtrahunt; quia quod pauperum est & egenorum, in lasciviam promovendam prodigant.*

Non Afficit

1. Bona necessaria naturæ, seu ad conservandam suam, suæque familiæ vitam in ordine ad succurrendum, licet extreme indigenti, nisi hic esset persona publica.
2. Bona statui suo necessaria cum notabili status sui detrimento, aut cum ejusdem destructione in ordine ad succurrendum etiam extreme indigenti.
3. Bona statui superflua in ordine ad succurrendum etiam extreme indigenti, si ad hoc foret necessaria magna summa, eg. tria, vel quatuor millia aureorum. *Ex D. Thoma* 2. 2. *qu.* 32. *art.* 10., & multo minus ad succurrendum constituto in grave necessitate.
4. Bona statui superflua in ordine ad succurrendum extreme indigenti, centum, vel ducentis florenis in integrum, si plures adsint habentes bona superflua statui suo.
5. Bona statui, vel naturæ superflua in ordine ad succurrendum etiam extreme indigenti gratis, quando egens re quidem, non tamen spe pauper est; exemplum habes in Josepho, qui ab Ægyptiis fame laborantibus pro frumento eis tradito terras accepit.
6. Bona superflua sive naturæ, sive statui in ordine ad succurrendum seu extremæ, seu gravi proximorum necessitati cum onere tales requirendi, nisi pro casu quo dubitaretur in particulari de alicujus indigentia extrema, vel gravi.

(**) Detrectans succurrere huic vel illi communi necessitate laboranti, non nisi venialiter peccat imo si id faciat ex rationabili causa, inter quas est etiam prohibitio facta, e. g. a Magistratu; nullum est peccatum.

Statuens ex proposito nullam unquam se velle præstare eleemosynam constitutis in communi necessitate, peccat mortaliter; quod intelligendum est non solum de proposito expresso, sed etiam implicito; quod censetur haberi, quando quis nunquam elargitur pauperibus eleemosynam, omnesque pauperes absque rationabili causa a se inhumaniter depellit.

Satisfacit huic obligationi, subveniendo pauperibus constitutis in communi necessitate, Laicus distribuendo pauperibus annuatim quinquagesimam partem suorum redituum, & consequenter ex centum elargiendo duos florenos; Episcopus si quartam, alii Beneficiati si quintam, vel sextam partem proventuum distribuant.

Simulans se vere pauperem, peccat mortaliter accumulando eleemosynas, & juxta probabiliorem obligandus esset ad restitutionem; quamvis plures talem eximant a tali onere, eoquod præsumendum sit, quod dantes non intenderint reduplicative pauperi dare, seu sub conditione paupertatis, sed primario amore Dei, quod habere potest locum respectu dantium modica.

Actus Misericordiæ Corporalis, sunt Septem scilicet: Visitare infirmos, potare sitientes, cibare esurientes, redimere captivos, vestire nudos, suscipere peregrinos, sepelire mortuos: hoc versu comprehensi: *Visito, Poto, Cibo, Redimo, Induo, Colligo, Condo.*

TAB. XXIII. *De Effectu externo Charitatis, qui est Correctio fraterna.*

Correctio fraterna

I. *Est actus charitatis, & misericordiæ spiritualis ordinatus ad emendationem delinquentis*, ad differentiam correctionis coactivæ, quæ est *actus justitiæ vindicativæ habens pro fine punitionem delicti.*

II. Per se ordinatur vel ad emendandum peccatum proximi, si jam commissum; vel impediendum, si versatur in periculo illud committendi.

III. Cadit sub præcepto graviter obligante, tum *naturali* (*unicuique Deus mandavit de proximo suo*, *Eccl.* 17. 12.) in ipso naturali dictamine recluso, tum *positivo divino* per Christum enuntiato: *Si peccaverit in te* (id est coram te sciente, aut vidente, *Corn. a Lapid. in hunc locum*) *frater tuus, vade & corripe eum.* Quod præceptum reducitur ad quartum præceptum Decalogi. *Ex D. Thoma* 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 2. *ad* 2.

IV. Obligat sub mortali, si

- 1. Sit materia sufficiens, qualis est peccatum quodvis præsertim mortale, sive præteritum, sive præsens, præcipue vero imminens, seu primo contrahendum.
- 2. Adsit notitia certa peccati commissi, vel committendi; secus vero in dubio: nam dubitans in ordine ad faciendum correctionem, non tenetur inquirere in rei veritatem, juxta illud *Proverb.* 24. *Ne quæras iniquitatem in domo proximi, & ne vastes requiem ejus.* Excipe tamen Superiores, præsertim Ecclesiasticos, qui tenentur vi muneris pascendi gregem inquirere, si quos forte maculosos inveniant.
- 3. Sit spes probabilis, licet non omnino certa emendationis in delinquente; secus si non speretur fructus, vel prævideatur obfutura potius, quam profutura correctio. *Ex D. Th.* 2. 2. *qu.* 33. *art.* 6. In dubio de fructu reportando nec ne, facienda est: in dubio an sit profutura, vel obfutura, conferenda est utilitas, quæ speratur cum damno, quod timetur: & majus minori est præferendum.
- 4. Adsit tempus opportunum ex parte corripientis, quod censetur cum sine gravi suo incommodo & periculo talem correctionem facere potest.
- 5. Adsit tempus opportunum ex parte corripiendi, quale censetur cum prudenter creditur quod passio in eo defervuerit & magis sit dispositus ad eam suscipiendam; vel in quo prudenter sperari potest profutura.

V. Afficit quemlibet Fidelem, sive superiorem, sive inferiorem; sive Sacerdotem, sive Laicum; sive Religiosum, sive Sæcularem præsertim justum, juxta illud Eccli. 17. *v.* 12. *sup. Unicuique &c.* Præ omnibus tamen afficit Superiores.

VI. Publica facienda est ad correctionem peccati publici, nullo servato ordine.

VII. Privata pro peccato occulto facienda est servato hoc ordine

- 1. Admonendus est proximus in secreto & quidem sub gravi obligatione, quæ sæpius iterari potest. *Ex D. Thom.* Quæ si nihil profuerit,
- 2. Admonendus est coram uno alterove teste: & si adsint conscii delicti, charitas exigit ut hi assumantur; inter quos assumi potest ipsemet Superior. Quod si neque hoc profuerit,
- 3. Debet delictum denunciari Superiori, non quidem ut judici, sed ut Patri ad emendationem; qui tamen juxta aliquos non posset procedere contra delinquentem ad punitionem, quod alii admittunt cum restrictione loquendo de pœna moderata, quæ nec infamiam inducat, nec delictum, si grave est, manifestet.
- N. B. *Ordo iste servandus est sub peccato mortali, nisi prudentia aliquid melius suggerat, magis videlicet expedire ut peccatum potius Superiori, quam testibus innotescat.*

VIII. Privata fieri potest non servato ordine mox dicto, dum

- 1. Peccatum est publicum, notorium & scandalosum, quia tunc publice reus est arguendus. *Ex D. Thoma.*
- 2. Peccatum est Reipublicæ, aut Ecclesiæ perniciosum, ut proditio, conspiratio &c. *Ex D. Thom.* Hinc Hæretici denunciandi sunt Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis.
- 3. Peccatum vergit in præjudicium Ordinis, vel Monasterii alicujus, nec aliter posse impediri prævidetur, quam rem ad Superiorem deferendo.
- 4. Prævidetur quod correctio secreta, aut etiam coram uno, alterove teste facienda nihil sit profutura. *Ex D. Thoma* 2. 2. *qu.* 33. *art.* 7.
- 5. Quis sponte renunciavit juri suo de tuenda fama, estque contentus, ut delictum suum immediate superiori innotescat.
- 6. Peccatum cedit in præjudicium tertii præponderans damno aliquali, quod peccans incurrere deberet apud Superiorem & secreta admonitione præcaveri non potest: in tali enim casu, ad avertendum damnum potest Superiori, vel illi tertiæ personæ denunciari.
- 7. Extat lex, vel præceptum obligans sub culpa, vel pœna, ut tale peccatum cognitum aliunde & extra Confessionem Sacramentalem, prætermissa omni correctione fraterna, immediate deferatur Superiori; quod tamen non probatur a D. Thoma 2. 2. *qu. art.* 7.

IX. Peccati præteriti licet gravis, juxta aliquos, non cadit sub præcepto correctionis, dum constat de emendatione vel jam secuta, vel proxime secutura, & simul absit periculum relapsus, sed solum peccatum primo committendum.

X. Peccati venialis, per se loquendo, cadit sub præcepto veniali respectu personæ privatæ saltem dum correctio facile fieri potest & sine ullo corrigentis incommodo; sub mortali vero respectu Superiorum, præsertim Regularium, loquendo de illis, quæ vergunt in detrimentum Regularis observantiæ.

a Opera misericordiæ Spiritualis sunt septem sequentia.

1. Docere ignorantem.
2. Consulere dubitanti.
3. Consulari mæstum.
4. Corrigere errantem.
5. Tolerare onerosum.
6. Remittere offensam.
7. Pro omnibus orare.

Comprehenduntur uno versu:
Consule, Carpe, Doce, Solare, Remitte, Fer, Ora.

TAB. XXIV. *De Scandalo tam Activo, quam Passivo, Directo, et Indirecto.*

Scandalum quod est *dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis*, aliud est

- I. Activum, & est illud *dictum, vel factum minus rectum &c.* est peccatum ex genere suo mortale repugnans præcepto naturali negativo charitatis, & misericordiæ spiritualis, ne proximo noceamus, & multo magis, ne proximum in peccatum inducamus; ad quod non requiritur ut ruina proximi directe, aut indirecte sit volita, vel ut realiter sequatur; sed sufficit quod ex se sit inductiva in peccatum, vel prævideri potuerit & debuerit, Quod est vel
  - * Directum, quod
    - 1. Committitur, dum quis suo dicto, vel facto ex proposito intendit alterum inducere in peccatum, etiam ob solam delectationem & utilitatem, etsi alter esset paratus, vel habitualiter dispositus.
    - 2. Inducit duplicem malitiam, unam scandali oppositam charitati, alteram contra virtutem oppositam vitio, in quod ipsum induxit, vel inducere intendebat; imo ordinarie etiam tertiam includit malitiam proprii peccati. Hinc qui inducit fœminam ad fornicandum, reus est triplicis peccati, nempe fornicationis propriæ, alienæ & scandali.
    - 3. Non committitur, suadendo jam determinato facere majus malum, ut eligat minus sive ejusdem, sive diversæ rationis, cum utrumque impediri non potest, juxta probabiliorem, salvo tamen jure tertii, id est, ut inde nullum damnum corporale, vel spirituale, inferatur tertiæ personæ determinatæ. Ideoque
    - 4. Committitur, suadendo potius fornicationem cum Berta determinato committere v. g. Sodomiam cum Petro; vel determinato furari Petro, ut potius furetur Paulo.
  - * Indirectum, quod
    - 1. Committitur, dum quis suo dicto, vel facto minus recto non intendit proximum inducere in peccatum.
    - 2. Exigit, ut ponatur dictum, vel factum cum præcisione, quod vi illius audientes, vel videntes inducendi sint, vel induci possint in peccatum.
    - 3. Contingere potest, vel
      - Dicendo, aut faciendo, quod suapte natura malum est & inductivum alterius in peccatum, ut turpia loqui; canere; uti etiam sunt oscula, tactus pressiores fœminæ.
      - Dicendo, aut faciendo aliquid, quod ex sua natura malum quidem non est, speciem tamen mali præsefert, ut si Clericus fœminam populo suspectam domi suæ alendam retineat.
      - Dicendo, aut aliquid faciendo de se quidem est justum; hisce tamen rerum, loci, temporis, personarum adjunctis prævidetur, vel prævideri potest & deberet, aliquos occasionem peccandi inde accepturos; uti si maritus liberius ageret cum uxore, vel in loco, in quo videri posset, vel coram illis, qui ignorant suam esse uxorem.
      - Tacendo, patiendo, tolerando, aut omittendo cum præcisione damni secuturi ex taciturnitate, patientia &c. quod vel maxime verificatur de Superioribus Regularibus; item de puellis & fœminis permittentibus se turpiter & sine renitentia contrectari a sponsis, vel aliis, etiamsi in turpitudinem, vel delectationem non consentiant.
    - 4. Inducit ad modum directi duplicem, imo ordinarie triplicem malitiam, & ideo inducens alium indirecte in peccatum, tenetur in confessione exponere numerum & circumstantias personarum, quibus scandalum præbuit, vel certe pluralitatem in confuso.
    - N. B. *Scandalum activum seu* directum, *seu* indirectum *inducit obligationem ex parte præbentis procurandi emendationem inducti in peccatum ex charitate, non vero ex justitia, nisi pro casu, quo alter vi, dolo, fraude, suasione, consilio &c., juxta* probabiliorem, *etiamsi ipso suo malo exemplo inductus fuisset, vel induceretur in peccatum contra justitiam.*
- II. Passivum est ipsa ruina spiritualis proximi orta ex dicto, vel facto alterius; quod est vel
  - 1. Datum, si videlicet ipsa ruina spiritualis oriatur ex dicto, vel facto alterius minus recto.
  - 2. Acceptum, quod
    - Est ipsa ruina spiritualis proximi, orta ex dicto, vel facto alterius de se indifferente, aut nullam speciem mali præseferente.
    - Si oriatur ipsa ruina spiritualis ex ignorantia aut fragilitate alterius, dicitur *debilium, & pusillorum.*
    - Si oriatur ipsa ruina spiritualis ex alterius malitia, dicitur *Pharisaicum.*
    - Impedire non tenemur, dum necessitas, vel utilitas propria, aut aliena cogit aliquid facere, vel dicere, ex quo putetur proximus accepturus occasionem ruinæ spiritualis, sive ex ignorantia, sive ex fragilitate, aut etiam malitia.
    - Debet impediri, cum nulla necessitatis, aut utilitatis propriæ, vel alterius ratio urget aliquid dicere, vel facere, ex quo putetur proximus accepturus occasionem ruinæ spiritualis, seu ex ignorantia, seu fragilitate, seu malitia.
    - Si præmissa debita instructione, vel admonitione perseveret, non amplius *pusillorum* dicitur, sed evadit pharisaicum & ideo non curandum. *Ex D. Thoma* 2. 2. *qu.* 43. *art.* 7.
    - Si sit *Pusillorum*, licitum est impedire etiam positione actionis alias prohibitæ, vel omissione actionis alias præceptæ jure solum positivo divino, vel humano. *Ex D. Thom. ibid.* Secus vero si sit *pharisaicum.*
    - Permitti potest, imo & præberi ansa, de se tamen mere indifferens ad peccata alterius eo fine, ut deprehensus corrigatur & emendetur; secus vero eo fine ut peccet, vel puniatur.

TAB. XXV. *De Cooperantibus remote, et proxime ad Peccatum.*

Cooperari ad peccatum

- **I. Proxime, quod connotat concursum simultaneum ad actionem peccaminosam intrinsece malam; estque illicitum adeo, ut etiam vitandæ mortis causa non possit. Unde peccant**
  1. Cooperantes proxime ad occisionem, vel mutilationem sui, aut proximi innocentis.
  2. Christiani captivi in triremibus Turcarum actu pugnantes contra Christianos, vel Catholicos, eos occidendo, mutilando, tormenta in ipsos explodendo.
  3. Deferentes litteras amatorias turpia continentes ad concubinam.
  4. Adducentes concubinam ad domum alterius in ordine ad peccandum.
  5. Admoventes scalas, aut humeris sustentantes volentem accedere ad stuprandam virginem.

  * Posteriora tria, si exerceantur a famulo eo fine, ne a domino suo male tractetur, neve torvis oculis aspiciatur, vel ne a domo expellatur, non propterea immunis est a culpa gravi; nam in terminis damnata sunt ab Innocentio XI. in Propositione 51.

- **II. Remote, & materialiter, quod censetur dum quis exhibet alteri materiam, vel occasionem ad peccandum quod**
  - **1. Licitum est, dummodo**
    1. Actio, qua quis cooperari dicitur, de se sit bona, vel indifferens.
    2. Actio illa ponatur ex rationabili causa, quæ
       - Eo major requiritur, quo peccatum gravius est.
       - Gravior requiritur, si peccatum sit contra justitiam, quam si sit contra alias virtutes.
       - Gravior item, si cooperatio propior, quam remotior sit peccato.
       - Gravior, cum ipso non cooperante, alius facile non inveniretur.
       - Major, si cooperans minus juris habeat ad ponendam aliquam actionem.
       - Insufficiens, imo nulla est causa purum libertatis exercitium.
    3. Non adsit obligatio inpediendi alterius peccatum.

    N.B. *Stantibus mox adductis conditionibus non dicetur quis* proxime & positive *cooperari ad peccatum alterius, sed solum* permissive & negative, *quando enim aliena peccata impediri non possunt, saltem moraliter sine magno incommodo, tunc censentur permitti & non intendi, sicut e contra, quando possunt sine gravi incommodo impediri: qui enim non impedit*, censetur ea velle.
  - **2. Illicitum sine justa & rationabili causa**
    1. Idola & thus Ethnicis vendere, fana & synagogas construere; & cætera hujusmodi, quorum malus prævidetur usus.
    2. Captivis Christianis in Turcarum triremibus remigare adversus Christianos, etiam in ordine ad eos solum captivos faciendos.
    3. Pecunias, sive mutuo accipere ab usurario cum certa scientia, quod non sit sine fœnore mutuaturus; sive eas apud ipsum deponere cum prævisione; quod fœnerator eas fœnerando distrahet, seu illis ad exercendas usuras utetur.
    4. Vendere vinum tabernario, qui creditur illud aqua mixtum venditurus.
    5. Petere absolutionem, sacrum, aliaque Sacramenta a Confessario, Parocho, Presbytero concubinario, vel alio in statu peccati mortalis existente, quando alius haberi potest.
    6. Vocare Medicum, vel Chirurgum ad fœminam infirmam, cum prævisione quod sit lapsurus.
    7. Ministrare vinum, aliumve potum sese inebriaturis; cibos infringentes jejunium soluturis; invitare ad cœnam paratos illud violare.
    8. Ministrare carnes diebus vetitis, etiam Hæreticis, saltem in locis & civitatibus, ubi Catholici cum hæreticis promiscue vivunt, & multo magis dicendum in locis mere Catholicis.
    9. Vendere, vel locare domos meretricibus, aut usurariis, præsertim si domus aptior reputetur ad illam negotiationem & turpitudinem exercendam.
    10. Implorare a concubina judicis intercessionem, ad hunc sibi propitium habendum.
    11. Inservire meretricibus, aut concubinis, etiam in rebus duntaxat physicis & indifferentibus, ut est cibos coquere, domum verrere, lectum parare, in egressu comitari, &c.
    12. Exigere juramentum ab eo qui creditur pejeraturus, aut ab Ethnico per falsos deos juraturo.

TAB. XXVI. *De oratione, ejusque necessitate, ac requisitis.*

Oratio est *actus Religionis, quo homo Deo veluti Auctori bonorum supplicat pro aliquo beneficio impetrando:* alia est

- I. Pure Mentalis, quæ non ore, sed sola mente profertur, exercendo nimirum erga Deum affectus interiores circa Mysteria Fidei, Spei, Charitatis, perfectiones divinas, ac desiderando ut ab omnibus agnoscatur, laudetur, ametur.
  N. B. *Ad quam, ut Christifideles excitaret Benedictus XIV. tum eam facere docentibus, tum exercentibus saltem per mediam horam, vel quadrantem quotidie, concessit Indulgentiam Septem Annorum, totidemque Quadragenas toties quoties, dummodo Pœnitentes, & Sacra Communione refecti fuerint. Quod si assidue id peregerint, sive docendo, sive addiscendo, concessit, ut semel in mense, pro uniuscujusque commoditate, & arbitrio Indulgentiam Plenariam, etiam pro Defunctis per modum suffragii applicabilem acquirere possint.* Constitut. *Quemadmodum.* Tom. 2. Bull. ejusd. fol. 101. edit. Rom.
- II. Mixta, seu, quæ simul verbis & vocibus internum mentis affectum exprimentibus, instituitur, qualis fuit oratio Publicani: *Deus propitius esto mihi peccatori.*
- III. Publica vocalis, idest, quæ publica Ecclesiæ auctoritate instituta, nomine totius Ecclesiæ, per suos Ministros ad id deputatos offertur: hujusmodi sunt Missæ Sacrificium, Supplicationes, Horarum Canonicarum persolutio; ad quam
  - Tria requiruntur
    1. Ut illa Oratio sit instituta ab Ecclesia.
    2. Ut fiat a Ministro Ecclesiæ.
    3. Ut procedat ex tali intentione.
- IV. Privata, quam quis proprio motu & nomine pro se, vel pro aliis ante Deum effundit; cujus
  - 1. Requisita ex parte
    - * Intellectus, sunt
      1. Cognitio practica divinæ excellentiæ ac bonitatis, quam sequitur
      2. Firma Fides & spes, seu Fiducia a Deo postulata impetrandi.
      3. Practica cognitio nostræ ad Deum subjectionis, dependentiæ, necessitudinis & infirmitatis.
      4. Humilitas, seu cognitio nostræ indignitatis, malitiæ & ingratitudinis.
      5. Attentio, vel superficialis ad verba, litteralis ad sensum verborum, vel spiritualis ad Deum, cui obstant voluntariæ, non vero involuntariæ distractiones.
    - ** Voluntatis
      1. Detestatio culparum, si in peccato mortali invenitur, vel saltem desiderium hujus detestationis; nam alias quomodo necessariam fiduciam poterit habere impetrandi Dei inimicus?
      2. Desiderium impetrandi aliquod bonum.
      3. Applicatio, seu practica expositio hujus desiderii per modum deprecationis, seu piæ petitionis.
      4. Humilis submissio suiipsius ad Deum omnium bonorum Auctorem.
      5. Interna devotio, seu intentio Deum colendi & honorandi.
  - 2. Finis est tum
    - Protestatio nostræ erga Deum subjectionis.
    - Impetratio illius, vel eorum, quæ nobis per gratias donare disponit.
  - 3. Terminus est solus Deus, utpote qui solus orandus est *absolute* & *terminative*, tamquam supremus & absolutus Auctor omnium bonorum, gratiæ & gloriæ: Sancti vero solum *transitive & respective*, veluti Patroni & Intercessores apud Deum, & juxta probabiliorem etiam Animæ Purgatorii.
  - 4. Necessitas, quia in actuali Providentia Evangelica, & dispositione divina adultis est non solum *præcepti* obligantis per se tempore indeterminato (non tamen diu v. g. per mensem negligendo): sed etiam *medii*, utpote sine qua obtineri nequeunt auxilia gratiæ. *Ex Div. August. lib. de Ecclis. Dogmat.* c. 57. *& Thoma* 3. *part. quæst.* 39. *art.* 3. *in Corp.*
  - 5. Obligatio per accidens afficit adultum
    1. Quando homo tenetur se justificare, seu se in statum gratiæ reponere.
    2. Quando gravis tentatio urget, quæ alio modo superari nequit.
    3. In manifesto articulo, vel periculo mortis.
    4. Quando Reipublicæ imminet gravis pressura sola oratione removenda.
    5. Quoties aliquo auxilio divino speciali indigemus ad salutem tum animæ, tum corporis.
  - 6. Impetratio est infallibilis, si
    1. Petuntur necessaria, vel utilia ad salutem.
    2. Pie, seu cum devotione, ad quod reducitur firma fides, spes & fiducia impetrandi.
    3. Servatur Ordo Evangelicus, ut prius petantur bona animæ, postea corporis.
    4. Petuntur perseveranter.
    5. Petuntur pro se; secus vero pro aliis.
    6. Suppositis conditionibus mox allatis, Oratio etiam peccatoris habet vim infallibiliter impetrandi, fundatam in promissione Christi. Ex D. Thoma. 2. 2. *qu.* 83. *art.* 11. *in Corp.*
  - 7. Modus diversus quidem esse potest, optimus tamen & præstantissimus per Orationem Dominicam, utpote institutam, præscriptam & imperatam ab ipsomet Christo. *Matthæi* 6. *v.* 9.
  - 8. Objectum
    - *Absolutum*, sunt bona spiritualia gratiæ, virtutis & gloriæ.
    - *Conditionatum*, bona temporalia sive naturæ, ut scientiæ, artes &c. quæ animum respiciunt, dein sanitas &c. quæ ad corpus spectant; sive fortunæ, ut divitiæ, proficua prolium collocatio, bonum conjugium ad honestum finem &c.
    - Nullo modo malum culpæ, etsi solum veniale, utpote semper includens peccatum mortale, & consequenter duplex specie distinctum, si grave malum culpæ; secus vero si ob bonum finem, v. g. ad pœnitentiam, malum solius pœnæ petatur.
  - 9. Applicatio fieri potest pro
    1. Beatis, pro eorum videlicet augmento gloriæ accidentalis impetrando, v. g. ut canonizentur, ut miracula patrent, &c.
    2. Viatoribus omnibus, sive in communi, sive in particulari, etiam pro peccatore quantumvis obstinato & inimico, etiam excommunicato: sed pro hoc vetitum est publice orare. Ex Benedicto XIV. *Constit.* Ex quo primum *Tom.* 4. *Bull. ejusd. fol.* 225. §. 23. *edit. Venet.*
    3. Animabus in Purgatorio existentibus, ut a pœnis liberentur (*est Dogma Fidei*). Et orantes flexis genibus pro eisdem sub horam noctis ad pulsum Campanæ Psalmum *De profundis* lucrantur toties quoties Indulgentias Centum Annorum, & semel in mense plenarias, ex concessione Clementis XII. *Const.* Cœlestes, *edit. an.* 1736. 14. *Aug. apud Bened.. XIV. lib. Instit.* 61.
    4. Damnatis nunquam, quia *in inferno nulla est redemptio:* unde tamquam fabula rejicienda est historia, quod per orationem S. Gregorii M. Trajanus Imperator fuerit post quingentos annos liberatus ab inferno.
    5. Pro pluribus quæ æque prodest, ac facta pro uno secundum aliquos, quamvis alii probabilius negent; imo contendant talem opinionem continere errorem Wicleffi ordine 19.

TAB. XXVII. *De Horis Canonicis, Institutione, Fine, Obligatione, Qualitate, Loco, Tempore et Ordine.*

Horæ Canonicæ sunt *Preces, Laudes, quas certæ quædam Personæ nomine Ecclesiæ persolvere tenentur ad Deum honorandum* quatum

I. Institutio non est divini, sed juris Ecclesiastici & Canonici, jam ab Apostolorum tempore, fundata tamen in jure divino, quo Ecclesia tenetur certo aliquo indeterminato tempore Deum colere. Et vel ideo dicuntur vulgariter *Officium Divinum*.

II. Finis est Deo cultum exhibere, seu Deum colere, ex quo fit, quod persolutio earum sit actus pertinens ad virtutem Religionis, habeatque rationem Orationis saltem minus stricte talis.

III. Obligatio afficit

1. Sacris Ordinibus initiatos *ex cap. Presbiter ac celebratione Missarum*. Ex quibus Subdiaconi obligantur prima die & hora suscepti Ordinis incipere ab Hora Canonica correspondente Horæ suscepti Ordinis. Quod si quis ex Dispensatione Papæ ducat uxorem, juxta aliquos liberatur ab obligatione recitandi Horas, quod tamen alii negant sine speciali dispensatione.

2. Beneficiatos Beneficium Curatum, vel non Curatum, tenue, vel pingue possidentes, etsi non sint in Sacris constituti, dummodo percipiant fructus ex Beneficio, *Ex can. si quis* 9. *Dist.* 92. *& Conciliis Basileensi & Lateranensi V. sess.* 9.

3. Regulares utriusque sexus professos Religionem Choro adstrictam, saltem in choro. *Ex Concilio Generali Viennensi relato cap.* Gravi 1. *inter Clement. de celebr. Miss.* Imo etiam extra Chorum, quamvis plures velint, quod extra Chorum non obligentur sive Religiosi, sive Moniales, qui aliunde non sunt initiati Sacris Ordinibus, neque vi Regulæ tenentur, eo quod non sat constet quod Consuetudo, vi cujus contraria sententia vult tales obligari, introducta sit, ut habeat vim legis, sed potius devotionis gratia.

N. B. *Nulla est Horis Canonicis superaddendi* Officii. Parvum B. M. V., Defunctorum, Psalmos Graduales, Pœnitentiales, *diebus præscriptis respectu utentium Brev. Rom. sive in, sive extra Chorum*. Ex Declarat. S. Pii V. præfixa Brev. Rom. Vid. Instit. 107. §. 1. Bened. XIV. *nisi aliunde adfuisset consuetudo in aliqua Ecclesia Officium Marianum dicendi in Choro; quam consuetudinem non sustulit, quin imo firmavit laudatus Pontifex. De qua solum dubitatur, an obliget sub mortali.*

4. Ad Officium Defunctorum *tam in, quam extra Chorum sub gravi obligatione recitandum secunda Novembris. Privatim quidem potest pridie præoccupari, in Choro tamen mane ipso die, præcisa tamen consuetudine introducta ipsum etiam in Choro recitandi.* Sacr. Congreg. an. 1745. Pro quo Vid. *Ferraris* verb. (*Matutinum*) *n.* 14.

5. Litanias omnium SS. *in Festo S. Marci, & tribus Feriis Rogationum sub pari obligatione; cui non satisfaciunt interessentes, nisi simul canent:* Ex Declar. S. Cong. *Pridie tamen non possunt anticipari, seu dici post Matutinum pridie recitatum juxta* Meratum, *quidquid* Gavantus *affirmet*.

6. Psalmos *item* Pœnitentiales & Graduales; *qui pridie post Completorium recitari possunt* ex Decret. S. Congr. 2. Augusti 1603. *Quod & de* Officio parvo B. M. V. & Defunctorum *affirmat* Cavalieri T. II. cap. 46. *De officiis adjunctis*.

IV. Qualitas exigit, ut recitentur

Ex Breviario Rom. jussu S. Pii V. edito, & a Clem. VIII. confirmato, atque ab Urbano VIII. Hymnis adornato, adeo ut per aliud non satisfiat, nisi in illis solum Ecclesiis, Capitulis & Monasteriis, quæ ducentis annis ante editam Constitutionem S. Pii V. solebant alio uti. Qui, juxta aliquos, extra chorum possunt uti Romano, etiam propria auctoritate, quod tamen in praxi videtur non practicandum.

De *Tempore, Sanctis, Dominica, Feria*, sicut præscribitur, adeo quod scienter absque rationabili causa mutans officium diei peccet & quidem mortaliter.

Ex rationabili causa v. g. ob impotentiam etiam moralem, conformitatem, societatem, ac inculpabilem errorem, officium pro officio quandoque recitans, nullum committit peccatum; advertens tamen errorem, debet prosequi corrigere errorem, seu prosequendo de eo, de quo fieri alias debuisset. Et qui per errorem recitasset hodie Officium, quod cras recitandum fuisset, cras debet denuo idem officium recitare, *juxta probabiliorem*.

V. Locus

Pro publica recitatione, quæ ex Clementina *Gravi*, fieri debet in Cathedralibus, Collegiatis, & Ecclesiis Regularium, est Chorus, adeo quod si Horæ recitentur extra Chorum, præcisa causa legitima, non satisfiat publicæ recitationi.

Pro privata est quivis locus honestus non expositus distractionibus, ubi possunt recitari vel stando, vel flectendo, vel sedendo.

VI. Tempus recitationis

Tam in, quam extra Chorum est dies naturalis, qui incipit a media nocte præcedentis diei, & terminat cum media nocte sequentis; quod si quis inchoaret Officium præsentis diei paulo ante mediam noctem, & sine interruptione recitando finiret hora prima, talis nequaquam satisfaceret suæ obligationi.

In Choro servari debet tempus consuetum in Ecclesia vel Religione, sub mortali, nisi justa causa excuset.

Extra chorum laudabiliter idem ac in Choro servatur, quod tamen necessarium non est, veniale tamen est ipsum sine causa mutare.

Si ex justa causa servari nequit, semper melius est anticipare, juxta illud S. Victoris: *ante horam orare est providentiæ, post horam negligentiæ, in hora obedientiæ*.

Prævidens se impeditum iri post meridiem, licite recitat mane omnes horas; imo tenetur.

Matutinum cum laudibus ex usu & consuetudine potest pridie recitari, quando sol est propinquior ad occasum, quam ad meridiem, nullus tamen ad id tenetur.

Vesperæ in Quadragesima privatim recitari possunt post meridiem, uti extra Quadragesimam, absque aliquo peccato, etiam sine justa causa, imo congruentius fieri, si etiam in Quadragesima privatim recitantes, eas post meridiem persolvant, ait Ferraris. *Verb. Officium Divin. art.* 4. *n.* 15.

Matutinum cum laudibus præmitti debet celebrationi Missæ, juxta plures fundantes se in Rubricis Missalis Romani & Constitutione Innocentii IV. *edit. an.* 1254. sub mortali, quamvis alii negent adesse tam gravem obligationem, asserentes legem illam Rubricæ, & Innocentii præfati nec esse editam, neque receptam ut graviter obligantem; quod satis patet ex plurium, ac DD. consensu.

VII. Ordo in recitando

Tam in, quam extra chorum servari debet præscriptum in Breviario, ut videlicet recitetur primo Matutinum ante alias Horas, Prima ante Tertiam &c.

Inversio in recitatione publica inducit peccatum mortale, juxta aliquos. *Ferraris ib. n.* 2. *& alii.* negant alii secluso scandalo.

Inversio in recitatione privata, juxta omnes, non excedit veniale, quod si fiat ex rationabili causa, nullum committitur peccatum.

TAB. XXVIII. *De Modo recitandi Horas Canonicas, earumque Omissione seu culpabili, seu inculpabili.*

Horarum Canonicatum

I. Modus recitandi

In Choro est, ut recitetur alta voce, seu tali, quæ intelligatur ab altera parte, pausa interposita, & maxima qua decet reverentia, ac religione. Ex Clemente XI. & Benedicto XIV. *lib.* 13. *n.* 11. *Syn. Diœc.* Quare Canonici cum aliis non canentes in Choro (intellige) de cantu juxta Ritum Ordinarium & consuetum suæ Ecclesiæ) sed submissa voce Horas recitantes, satisfaciunt quidem præcepto recitandi Horas Canonicas, ac propterea lucrantur fructus Beneficii, qui dantur propter Officium quomodocumque dictum, non tamen satisfaciunt servitio Ecclesiæ, & Distributiones quotidianas amittunt ex Benedicto XIV. *Contit.* Cum semper *Tom.* 1. *Bull. ejusd.*, *fol.* 366. §. 24. *edit. Rom. Vid. Concinam. lib.* 2. *in Decal. dissert.* 2. *de Horis Canon. c.* 11. *n.* 6. Quod a fortiori procedit, si solum Choro assistant cæteris canentibus, nisi habeant privilegium, de cujus existentia dubitat prælaudatus Pontifex.

Extra Chorum, ut recitentur articulate, verba ex ore promantur, & quidem tam alte, ut seipsum recitans audiat, si nullum adsit impedimentum. Quidquid aliqui vocitent satisfacere suæ obligationi eum qui attente & distincte proferens, seipsum tamen non audiret.

Cum Socio extra Chorum debent alternatim recitari, duplicem tantum faciendo Chorum, etsi plures sint socii, voce intelligibili, ut a socio, vel sociis audiatur; adeoque hi partem ab altero prolatam faciant moraliter suam. Hinc surdaster nihil omnino percipiens ex iis, quæ ab altera parte proferuntur cum socio, non satisfacit suæ obligationi, sicut nec persolvendo in choro.

Sive in, sive extra Chorum, cum vel sine socio, debent recitari integre sine syncopatione, vel mutilatione, quæ si contingat voluntarie & culpabiliter per partem notabilem, inducit peccatum mortale, & obligationem supplendi; secus si id non contingat per notabilem partem, vel vero contingat ex naturali balbutie, vel linguæ præcipitatione incorrigibili.

Sive in, sive extra Chorum debent recitari cum intentione saltem virtuali & implicita, vel etiam interpretativa Deum colendi, gratias agendi & ab illo postulandi salutaria; non tamen intentio satisfaciendi præcepto, est absolute necessaria.

Cum attentione tam externa, quam interna, juxta probabiliorem, ex Decreto Concilii Lateranensis, præcipiente ut Divinum Officium *studiose* pariter, *& devote recitetur*: sufficit autem si attentio sit saltem superficialis ad verba rite proferenda, virtualiter saltem perseverans, juxta Communem, cui nihil officiunt distractiones involuntariæ. Ex D. Thoma: nam cum involuntariis distractionibus perseverat utique virtualiter pristina voluntas.

N. B. *Applicari nequeunt seu tibi, seu alteri tam in, quam extra Chorum; sed eo ipso, quod nomine Ecclesiæ persolvuntur, debent pro Ecclesia persolvi, seu pro toto Fidelium Cœtu; licet pro se & aliis possint applicari quoad fructus solum ex speciali recitantis devotione, difficultate, molestia, corporis compositione &c. redundantes. Quia nimirum stando, genuflectendo, tempore hyemali recitando, majorem experitur difficultatem.*

2. *Quamvis aliqui velint moraliter peccare eum, qui sibi, vel alteri particulari personæ Officium divinum quoad integrum fructum tam satisfactorium, quam impetratorium, applicaret; verius tamen alii volunt eum solummodo venialiter peccare: quod de mente Ecclesiæ non constat, nec præsumendum sit, recitantes divinum Officium se velle tam graviter obligare ad illud pro toto populo applicandum.*

II. Omissio culpabilis inducit

Peccatum mortale, sive integrum Officium omittatur, sive pars ejus notabilis, qualis juxta communiorem censetur unum Nocturnum, vel parva hora.

Duplex peccatum respectu Beneficiati constituti in Sacris, aut Religiosi alias Choro adstricti, juxta aliquos volentes Beneficiatos & Religiosos teneri ad Horas Canonicas non solum ex virtute Religionis, sed & ex virtute justitiæ; licet alii forte probabilius unicum dumtaxat peccatum contra virtutem Religionis agnoscant etiam in Beneficiato & Religioso.

Obligationem restituendi fructus ex Beneficio percepto respectu Beneficiati post sex menses adepto, & pacifice possesso Beneficio omittentis, pro rata tamen, & habito respectu ad alia onera; quæ obligatio juxta probabiliorem non est imposita ob læsionem juris alieni, sed solum in pœnam delicti, quam non incurrunt recitantes Horas cum voluntariis distractionibus.

N. B. *Parochus omittens totum Officium satisfacit suæ obligationi, si restituat quintam partem, Canonicus quartam, Beneficiatus alius tertiam partem fructuum: imo aliqui Parochum ex integro eximunt a tali onere, volentes Beneficium Parochiale non dari præcise propter recitationem Breviarii, sed principaliter propter Officium Curæ Animarum.*

Restitutionem fructuum pro neglectu Horarum Canonicarum faciendam, juxta præscriptum Constitutionis S. Pii V.; videlicet, qui omnes Horas unius diei omittit, tenetur *omnes fructus* correspondentes illi diei restituere; qui Matutinum tantum, *dimidiam partem;* qui cæteras alias Horas, *alteram dimidiam:* qui harum singulas, *sextam partem;* quæ restitutio facienda est ante sententiam judicis; nec potest satisfieri per eleemosynas antecedenter factas a Beneficiato. *Ex Alex. VII. damnante Propositiones* 21. *&* 33.

III. Omissio inculpabilis ex

1. Impotentia physica, aut morali: ad quam reducuntur oblivio inculpabilis, inculpabilis carentia Breviarii; sciens tamen memoriter aliquam partem, ad hanc tenetur: Cæcitas, quæ tamen excusat solum respectu illius, quod memoriter nescitur: Metus, cum qui ex recitatione Breviarii prudenter sibi grave malum timet.

2. Infirmitate non solum physica, sed moraliter incompossibili cum recitatione Horarum, judicio Medici, vel alterius viri experti & timorati, aut Superioris: In dubio an indispositio obstet recitationi, petenda est dispensatio.

3. Charitate, vi cujus excusantur omnes illi, qui nisi totaliter, vel in parte Officium divinum omittant, coguntur aliquod magnum Charitatis opus proximo negare, quod raro admodum contingere solet; nec sub hoc titulo venit volens vacare studiis, utpote damnatum ab Alexandro VII. propos. 21.

4. Dispensatione quam de jure Ordinario solus Papa potest concedere: urgente tamen necessitate etiam Episcopus, nec non Prælatus Regularis respectu suorum subditorum.

N. B. *Non valens ex aliqua rationabili causa totum Officium recitare, bene vero partem, ad hanc licet minorem tenetur. Ex prop. damnata* ab Innoc. XII. n. 54. *Si tamen quis ob cæcitatem, vel aliam causam non posset recitare, nisi aliquos Psalmos, ad hos non tenetur, ne reddatur perplexus; quod si talis cæcus sine suo gravi incommodo posset habere socium, tenetur hunc adhibere, imo & conducere, si sit Beneficiatus.*

Non valens ex quocunque demum impedimento recitare horas, non tenetur aliud orare, nec orantem audire, nec substituere alium, qui loco sui oret.

TAB. XXIX. *De Praeceptis Decalogi in genere.*

Præcepta Decalogi sunt Decem, quorum

- I. Primum, quatenus
  - Affirmativum, præcipit adorationem & cultum soli Deo exhibendum.
  - Negativum, prohibet Idololatriam, seu ut alicui creaturæ cultus divinus exhibeatur.
- II. Secundum, quatenus
  - Affirmativum, virtualiter & implicite præcipit, ut Nomen Domini, Christi, Sanctorum, ac res sacræ cum veneratione sumantur, quod fieri potest
    - Frequenter ipsum Nomen Domini &c. cum reverentia pronunciando.
    - Invocando ipsum & laudando cum reverentia.
    - Per illud debite jurando.
    - Vovendo & promittendo.
  - Negativum, prohibet
    - Invocationem Dei & Sanctorum sine debita reverentia & devotione.
    - Blasphemias in Deum & Sanctos.
    - Juramenta temeraria, præsertim perjuria.
    - Votorum violationem & transgressionem.
- III. Tertium, quatenus
  - Affirmativum præcipit sanctificationem Festorum
    - Auditionem Missæ, de qua Tab. 51.
    - Abstinentiam ab operibus servilibus, de qua Tab. 52.
    - Cessationem ab actibus forensibus, de quibus ibidem num. II.
    - Partim est morale, quatenus præcipit cultum Deo exhibendum, partim cæremoniale, quatenus determinat diem certum sanctificandum, qui olim erat dies Sabbati, nunc vero dies Dominicus.
  - Negativum, virtualiter prohibet profanam Festorum violationem.
- IV. Quartum, quatenus
  - Affirmativum, præcipit debitum honorem & obsequium, levamen &c. Parentibus.
  - Negativum, virtualiter, ac implicite prohibet
    - Inhonorationem Parentum, aliorumque Majorum.
    - Contemptum Superiorum & inobedientiam.
    - Ingratitudinem erga Benefactores.
- V. Quintum, quatenus
  - Affirmativum virtualiter, ac implicite præcipit conservationem propriæ vitæ mediis ordinariis procurandam.
  - Negativum, prohibet
    - Primario injustam proximi & a fortiori suiipsius occisionem.
    - Secundario vero & accessorie omnia ea quæ ad mortem inferendam concurrunt, sive antecedenter, sive concomitanter.
    - Consequenter omne consilium ad mortem inferendam, omnem proximi injustam læsionem, percussionem, vulnerationem, mutilationem, incarcerationem, & cum homo præter vitam corporalem & naturalem possideat vitam etiam civilem, quæ maxime lingua, scriptis etiam sauciatur, omnia illa præterea prohibet, quæ nacta sunt bonum proximi nomen obscurare.
- VI. & IX. Sextum & Nonum, quatenus
  - Affirmativa, virtualiter & implicite præcipiunt servare castitatem, cuilibet statui propriam.
  - Negativa, prohibent omnem immunditiam & luxuriam, tam internam, quam externam, tam completam, quam incompletam. De qua Tab. 70. & seqq.
- VII. & X. Septimum & Decimum, quatenus
  - Affirmativa, virtualiter & implicite præcipiunt jus suum quoad bona temporalia cuique tribuere.
  - Negativa, prohibent furtum, quo nomine venit late omnis injuria, seu injusta læsio, vel damnificatio proximi in bonis temporalibus.
- VIII. Octavum, quatenus
  - Affirmativum, virtualiter & implicite præcipit primario, ut in judicio veritas manifestetur; secundario vero conservationem famæ, & honoris proximi.
  - Negativum, prohibet primario, ne quis in judicium vocatus, sive ut Reus, sive ut Testis, mentiatur pernicioso mendacio; Secundario vero omnem injustam læsionem famæ & honoris proximi.

TAB. XXX. *De Adoratione et Cultu Deo, Sanctis, Rebusque sanctis debito.*

Adoratio est *Reverentia, & honor alicui exhibitus in protestationem nostræ subjectionis, & excellentiæ illius.*

- **I. Divisio est in**
  - 1. Internam, quæ fit per actus internos, quomodo solummodo Angeli Deum adorare possunt, actuque adorant.
  - 2. Externam, quæ fit per actus externos, v. g. prostratione, genuflexione, aut osculo ipsius personæ adoratæ, aut vestis, manusve illius.
  - 3. Profanam, seu Politicam & Civilem, quæ est reverentia & honor debitus alteri propter illius excellentiam creatam humanam & naturalem, in naturalibus virtutibus & prærogativis, dignitate, potestate sitam. Hæc debetur hominibus virtuosis, Regibus, Principibus, Magnatibus.
  - 4. Sacram & Religiosam, quæ exhibetur personis ob eorum excellentiam supernaturalem, quæ subdividitur in
    - 1. *Latriam*, per quam intelligitur cultus soli Deo debitus propter suam summam & increatam excellentiam.
    - 2. *Duliam*, per quam intelligitur cultus debitus creaturæ propter ejus excellentiam creatam supernaturalem participatam, nempe gratiam & gloriam.
    - 3. *Hyperduliam*, per quam intelligitur cultus debitus alicui creaturæ ob excellentiam ejusdem supernaturalem creatam non qualemcumque, sed valde sublimem.
    - N. B. *Unam Adorationem*, v. g. Duliæ, *non differre ab altera*, v. g. Latriæ *quoad actus externos. Adeoque possunt exerceri, & de facto etiam sæpius exercentur, tam in profana, quam in qualibet specie sacræ, seu religiosæ Adorationis; sed solum inter se differre quoad actus internos voluntatis.*
  - 5. Absolutam, qua aliquid colitur cultu absoluto propter excellentiam suam intrinsecam.
  - 6. Respectivam, qua aliquid colitur propter excellentiam alterius, quam repræsentat.
  - 7. Publicam, quæ ex institutione Ecclesiæ, ac ejus nomine exhibetur Sanctis, eorumque Imaginibus & Reliquiis, uti fit per Sacrificia, Supplicationes, Festa, Officia Divina &c.
  - 8. Privatam, quæ cultu privato, seu exhibito solo nomine & devotione privata aliquibus, ubi exhiberi potest & solet hominibus, vitæ sanctitate, vel martyrii fama insignibus, licet nondum Canonizatis, eorumque Reliquiis & Imaginibus. Hinc potest aliquis secluso scandalo Corpus, aut reliquias alicujus defuncti cum publica sanctitatis fama osculari, easdem cum honore servare; ejusdem imaginem imprimi curare & domi habere; diem obitus ejus privatim colere; in ejusdem vigilia jejunare; eumque orando invocare.
- **II. Modus in**
  - Veteri lege ad diversa sacrificia, aliasque cæremonias determinatus fuit; ut constat ex *Pentateucho Moysis*.
  - Nova, seu Evangelica lege, ex Institutione & Præcepto Christi determinatus fuit ad Sacrificium Missæ & Sacramenta: ex institutione vero Ecclesiæ ad auditionem Missæ, religiosa Feriatione & persolutione quotidiana divini Officii.
- **III. Tempus in**
  - Veteri Lege, ad diem Sabbati & alia Festa fuit determinatum.
  - Nova, seu Evangelica, ad diem Dominicum & alia Festa.
- **IV. Terminus**
  - 1. Latriæ
    - 1. Absolutæ, est Deus, Christus etiam, ut existens in Eucharistia sub speciebus panis & vini, imo & ipsæ species sacramentales tamquam objectum *quod*.
    - 2. Respectivæ, est SS. Nomen JESU, Ceræ Papales, Imagines Dei & Christi, Lignum SS. Crucis, Sudarium, Spinæ ex Corona, Sanguis Christi.
    - * Crux, quæ tetigit Christum, duplici titulo est adoranda; idest & in quantum repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea, & ratione contactus ad membra Christi.
    - ** Os Judæ; manus illius, qui alapam Christo inflixit; Crucifixores, etsi adhuc existerent, non essent adorandi; eo quod ex Christi contactu non participaverunt ejus sanctitatem.
  - 2. Hyperduliæ
    - 1. Absolutæ est Humanitas Christi, seorsim a Verbo considerata, & Beatissima Virgo Maria.
    - 2. Respectivæ, earum Imagines, ac Reliquiæ, quæ licet a quovis secum portantur, dummodo pie, religiose ac decenter & tangi possunt etiam a Laicis; & si auferantur, committitur furtum sacrilegum.
  - 3. Duliæ
    - 1. Absolutæ sunt Sancti omnes, qui recte invocantur a Fidelibus; non quidem ut auctores bonorum, sed ut Amici Dei, Patroni & Intercessores apud Deum, & consequenter *transitive*: est Dogma Fidei.
    - 2. Respectivæ, eorum imagines sive sculptæ, sive pictæ, ac Reliquiæ, scilicet Corpora, Ossa, Sanguis, Membra, Dentes, Capilli, Cineres, Pulveres, Vestimenta, Utensilia, Mortificationis Instrumenta &c. Ex Concil. Trident. damnante contrarium asserentes. *Sess.* 26. *de Invocat. &c.*
    - N. B. *Nequeunt Reliquiæ publicæ venerationi exponi, nisi sint approbatæ a Summo Pontifice & ab Ordinario recognitæ*: ex Tridentino ibidem, *approbatione autem semel habita, si alio transferantur, non indigent nova approbatione Episcopi loci, ad quem transferuntur.*

* Deus adorandus est ab hominibus non solum adoratione interna, sed etiam externa: atque adeo utriusque hominis substantiæ operibus, internis videlicet animæ, & externis corporis; idemque dicendum de adoratione, seu veneratione Sanctorum.

TAB. XXXI. *De Superstitione in genere et ejus Speciebus.*

Superstitio, quæ est *Cultus vitiosus, quo vel Creatura ut Deus indebite colitur*, dividitur in

- I. Superstitionem *Cultus indebiti*, quæ committitur, dum verus quidem Deus colitur, sed modo indebito, quæ alia est
  - 1. *Cultus falsi*, quæ committeretur ab eo qui vel offerret nunc Deo cultum per cæremonias Veteris legis, v. g. per Circumcisionem, immolationem agni &c., vel per falsas Reliquias proponeret, vel falsum Miraculum, Revelationem a Deo sibi factam fingeret, ceu ad animas lucrandas, ceu ad devotionem augendam.
  - 2. *Cultus superflui*, quæ committitur, dum Deus colitur in certis circumstantiis, certisque imo cæremoniis, quæ neque ad illius gloriam, aut populi devotionem excitandam, neque pia, imo contra Ecclesiæ institutum, & regulas excogitatæ usurpantur; uti si quis sacrum audire vellet ante ortum solis, cum certo numero, situ, ordine cereorum; vel die Dominico vellet jejunare, non solitus alias diebus præscriptis ab Ecclesia jejunare &c.
- II. *Superstitionem rei cultæ*, quæ videlicet cultum Deo debitum tribuit creaturæ, quæque abit in
  - 1. Idololatriam, quæ est cultus divinus Creaturæ exhibitus, dividiturque in
    - I. Perfectam, ad quam requiritur
      - Ut quod Creaturæ tribuitur, sit vere cultus divinus contestans divinam quamdam excellentiam in ea sitam, ac nostram erga eam subjectionem: unde si quis absque eo quod judicaret inesse idolo aliquid divinitatis, & consequenter sine animo, contestandæ divinæ in eo excellentiæ, ei cultum exhiberet externum, uti faciunt sagæ, non committeret perfectam idololatriam.
      - Ut talis cultus vere exhibeatur, vel tribuatur creaturæ, seu ut exhibeatur eidem, animo contestandi divinam in ea excellentiam.
    - 2. Imperfectam, quæ censetur committi non solum cum ex pravo animo erga Deum, cupiditate aliquid a dæmone impetrandi, idolo, vel ipsimet dæmoni voluntarie ac deliberate cultus externus tamquam Deo defertur, absque tamen judicio, quod illi divinitatis aliquid insit: sed etiam cum quis ex infirmitate, metu persecutionis, tormentorum, mortis &c. [illegible] creaturæ, vel dæmoni exterius tantum & simulate exhibet cultum Deo debitum, prout [illegible] factum a S. Marcellino Papa, cujus lapsum passim hodie confictum a Donatistis, dicunt saniores Critici, Conciliumque Sinuessanum commentitium.
    - N. B. *Idololatria originem traxit ex duplici capite, scilicet ex parte hominis, & ex parte dæmonis; ex parte hominis, quod vel creaturam plus nimio amaverit, vel excessive venerando, eidem tandem honorem divinum impenderit: ex parte vero dæmonis, qui hominibus a via virtutis, & justitiæ aberrantibus se colendum exhibuit in idolis, dando responsa, & parando quædam, quæ hominibus videbantur mirabilia.* Ex D. Thom. 22. quæst. 94. a. 4.
  - 2. Divinationem, quæ est occultorum inquisitio ope dæmonis ad hoc invocati, quæque sequitur vel
    - Ex pacto cum dæmone explicito; quæ contingit cum quis explicite & expresse petit a dæmone rerum occultarum notitiam, sive simplici petitione & invocatione ejusdem, sive pacto & mutua conventione, qua petens se obligat ad certa obsequia præstanda dæmoni, qui reciproce promittit se facturum quod alter petit.
    - Ex pacto, seu invocatione tacita & implicita dæmonis; ut cum quis occultorum notitiam, aliumve effectum consequi intendit per signa vel media omnino impertinentia, inepta & vana; quæ scilicet neque ex natura sua, neque ex institutione Dei & Ecclesiæ habent [illegible] vim particularem, vel virtutem ad causandum talem effectum. Hæc subdividitur in plures species, præcipue vero in *Astrologiam*, & *Sortilegium*, de quibus Tab. seq.
    - N. B. *Divinatio superstitiosa cum pacto explicito videtur specie differre ab ea, quæ fit cum pacto implicito. Ex D. Thoma, qui ait:* Multo gravius est dæmones invocare, quam aliqua facere, quibus dignum sit ut se dæmones ingerant: *ibid. quæst.* 95. *art.* 3. *ad* 1., *atque adeo inducit malitiam specie distinctam.*
  - 3. Vanam Observantiam, qua media inutilia, & improportionata ad effectum extraordinarium obtinendum adhibentur, alia est
    - *Signorum & eventuum*, quæ contingit cum ex observatione variorum signorum de prospero, vel adverso eventu quis aliquid facit, vel evitat: uti sunt, qui die Martis, vel alia die infra horam undecimam, vel duodecimam meridianam nolunt e domo egredi, putantes talem diem vel horam esse infaustam.
    - *Precum & Caracterum:* cum videlicet ad certum effectum obtinendum adhibentur certæ quædam preces vel characteres, aut verbo proferendæ, aut scripto gestandæ ad collum.
    - *Mediorum innaturalium*, quæ contingit cum ad causandum certum effectum adhibentur res quædam per modum causarum naturalium; cum tamen nullam habeant ad id causalitatem, seu naturalem, seu supernaturalem ex institutione Christi, vel Ecclesiæ.
    - *Sanitatum*, qua videlicet ad sanandos morbos adhibentur media varia & inutilia. v. g. Nomina ignota, certæ figuræ, cæremoniæ inanes, remedia naturalia quidem, sed quibus aliqua vana adjunguntur tamquam necessaria, v. g. herbæ collectæ in Vigilia S. Joann. Baptistæ.
    - N. B. *In dubio an signa, vel res applicandæ, aut applicatæ habeant aliquam vim naturalem, seu supernaturalem virtutem talem effectum causandi, præsumi potest quod habeant. Stante tamen & persistente tali dubio præmittenda est protestatio, quod nempe talem effectum consequi non velles, si aliqua vis diabolica, ex quocumque demum pacto, subesset.*
    - N. B. *In dubio an res applicata, vel applicanda, v. g. ad morbum depellendum, vim habeat a Deo, vel dæmone, res illa nequit applicari, saltem extra casum urgentis necessitatis, & in hoc etiam casu præmissa protestatione; quando autem moraliter constat medium esse superstitiosum, nunquam, & in nullo casu, aut necessitate licitum est illo uti, quia est intrinsece malum, & protestatio non tollit malitiam.*

TAB. XXXII. *De praecipuis speciebus Divinationis, Astrologia et Sortilegio.*

Divinationis Species sunt

- **I. Astrologia judiciaria, quæ dividitur in**
  - 1. Naturalem, quæ ex motu, cursu, situ, conjunctione, oppositione astrorum prædicit effectus naturales, vel necessario eventuros, ut eclipses; vel contingenter, ut tempestates; vel temperamentum hominis sub tali conjunctione concepti; hæcque est licita, imo utilis humano generi, præcipue quoad tria: scilicet Medicinam, Agriculturam, & Nauticam, licet quoad effectus contingentes sit incertissima; & vel ideo eidem fides infallibilis adhiberi nequit absque peccato, non quidem superstitionis, sed imprudentiæ, temeritatis & mendacii.
  - 2. Superstitiosam, quæ est futurorum contingentium prædictio sumpta ex consideratione astrorum, quæ esse potest vel
    - *Revolutionum*, si ex iisdem prædicantur totius anni belli & pacis vicissitudines, annonæ caritatem, morborum qualitates, eventus, mortes magnatum.
    - *Nativitatis*, si ex aspectu siderum in puncto nativitatis prædicantur homini eventura per vitæ decursum: v. g. evectio ad talem dignitatem, felicitas, vel infelicitas, mors hæc vel illa tali loco, tempore eventura.
    - *Electionum*, si ex aspectu astrorum prænuntietur quid in singulis rebus, vel occasionibus agendum, vel omittendum sit, quando e domo egrediendum &c.

      N. B. *Prædictorum prænuntiatio ex aspectu astrorum, sive certa, sive probabilis solum, dicitur superstitiosa, cum nulla sive certa sive probabilis connexio astrorum sit cum humana voluntate.*

      2. *Conjecturalis solum prædictio præfatorum effectuum non videtur superstitiosa, quia corpora cœlestia tametsi non agant in intellectum & voluntatem, influunt tamen in passiones, quibus pauci resistunt: quamvis id asserant aliqui a Sixto V. prohibitum. Const.* Cœli & terræ Creator Deus. *T.* 2. *Bull. Cherubini fol. mihi* 510.
- **II. Sortilegium per Sortes, vel**
  - 1. *Divisorias*, quibus indagatur, quidnam cuivis tribuendum de bonis communibus e. g. de Hæreditate; quæ licita est dummodo
    - 1. Eventus sortis a solo Deo, ut provido distributore, expectetur.
    - 2. Sors fiat simplici animo & cum debita reverentia sine admixtione alicujus superstitionis, vel rerum sacrarum abusu.
    - 3. Qui sortiuntur, jure æquali fruantur, vel pœna æquali digni sint.
    - 4. Intentio sortientium non sit voluntatem Dei inquirendi medio extraordinario, sed solum litium, discordiarum, invidiæ occasionem præcidendi.
    - 5. Non fiat in Electionibus Ecclesiasticis, cum in his dignior persona eligi debeat. *Ex Cap.* Ecclesia Vestra 3. *de Sortilegiis*. Quam prohibitionem aliqui volunt extendi etiam ad casum in quo duo æqualibus suffragiis ad Præbendam vel Prælaturam electi essent, & nonnisi per sortes posset dirimi dubium.
  - 2. *Consultorias*, quibus exquiritur divina voluntas circa agenda, vel non agenda; quæ per se licita est, sive
    - Expresse, aut tacite petatur a Deo signum aliquod extraordinarium, quo rem agendam vel amplectendam manifestet, dummodo præter necessitatem ita petendi a Deo, concurrat ejus jussio, aut specialis ejus inspiratio.
    - Petatur a Deo occulta solum Sortium directio per specialem Providentiam; in quo casu debet concurrere necessitas vel utilitas spiritualis vel temporalis grandis; simulque debita reverentia, subordinatio, præmissa ad Deum oratione.
  - 3. *Divinatorias*, quibus futurorum, aut occultorum dependentium a libero hominis arbitrio, manifestatio petitur per media vana & impertinentia ad Deum minime relata, vel referenda. Quæ divinatio per se illicita est & superstitiosa: quare si qui de facto, ut olim, teste Gonzalez, fiebat, investigaret furtum sumptione Eucharistiæ, aut inspectione Astrolabii, seu Stellarum situs, aut motus ipsarum; cribri versione, vel taxillorum projectu prædiceret aliquem victoriam consecuturum: vel vero experiri vellet alicujus innocentiam usu aquæ ferventis, aut candentis ferri; talis damnandus esset de peccato superstitionis, quod est ex genere suo mortale.
- **III. Necromantiam, quæ est responsio dæmonis immediate invocati, quæque dicitur.**
  - *Oraculum*, si fiat per Idolum:
  - *Vaticinium*, si per vates:
  - *Aruspicium*, si per signa apparentia in visceribus animalium dæmoni immolatorum:
  - *Pythonismus*, si per vocem ex umbelico aut pudendis vatum:
  - *Necromantia*, proprie talis, per manes, idest mortuos in speciem resuscitatos:
  - *Chiromantia*, si per inspecta manus delineamenta:
  - *Augurium*, si per observationem garritus Avium:
  - *Auspicium*, si per earumdem volatus:
  - *Omen*, si per verba alicujus hominis casu aliquo, vel alia intentione prolata:
  - *Geomantia*, si per signum effectum in terra:
  - *Hydromantia*, si in aqua:
  - *Pyromantia*, in igne:
  - *Aeromantia*, in aere.

TAB. XXXIII. *De Magia et Maleficio*.

Magia, seu ars operandi mira, alia est

- I. Naturalis, estque ratio operandi mira per applicationem agentium naturalium, quæ per se licita est. Hujus ars præcipua est Alchymia, quæ dividitur in Resolutoriam, Purificatoriam & Transmutatoriam, per quam ultimam secundum aliquos conficitur aurum, quæ ob periculum incidendi in magiam diabolicam prohibita est jure Canonico, per Extravag. Joannis XXII. *Cap.* Spondent, *unico, de Crimine falsi*.

- II. Superstitiosa & diabolica, quæ est ars operandi mira ope dæmonis: dividiturque in artem
  - 1. *Notoriam*, qua per certa verba, preces, aut alia signa vanæ scientiæ vel doctrinæ subitanee & absque labore acquiruntur; uti faciunt Anabaptistæ, ad quam reducitur Ars Cabalistica dum ei vis divinandi futura infallibilis attribuitur.
    N. B. *Vi artis notoriæ acquirens aliquam scientiam, potest ea uti, cum ipsemet usus non pendeat ab auxilio dæmonis, hinc sciens ope dæmonis, quodnam medicamentum possit hunc, vel illum morbum curare, licite eo potest uti; sicuti obtinens pecunias ope dæmonis, potest iis uti, dummodo constet eas esse veras pecunias, nec tertio fuisse furto ablatas.*
  - 2. Mirificam
    - Qua sanitas a morbis, vel vulnerum curatio in hominibus, vel animalibus, aliarumque rerum incolumitas, aut quodvis bonum procuratur per media, aut signa prorsus vana, inutilia, & ad rem non facientia, quæque nullam naturalem, vel supernaturalem vim ad talem effectum obtinendum ex veræ philosophiæ & Fidei principiis habere constat.
    - Cui passim dediti sunt
      - 1. Pastores, qui non raro superstitionibus utuntur, ut gregem suum a bestiis, scabie, vel aliis incommodis tueantur.
      - 2. Fabri ferrarii, qui circa equos sanandos utuntur verbis, vel ex Psalmis, vel ex Oratione Dominica deprompt s.
      - 3. Vetulæ, quæ circa mulieres laborantes in partu, vel &c. vanas & superstitiosas adhibent orationes.
      - 4. Milites, qui deferunt secum sacra Nomina vel orationes cum certitudine se in bello vel duello haud fore vulnerandos.
  - 3. Maleficam, qua per certa signa, ope dæmonis alicui malum infertur, diciturque Maleficium, quod dividitur in
    - *Veneficium*, quo nocumentum infertur in ipso corpore, rebus mobilibus, vel immobilibus; ad quod reducuntur
      - 1. Morbi omnes occulti, pestes, venenationes, intoxicationes, contractiones membrorum, tabes, ac tandem mortes hominibus, vel jumentis a dæmone illatæ ad positionem signorum, qualia plerumque conficiuntur ex capillis, fragmentis, ossiculis murium, serpentum &c.
      - 2. Tempestates, grandis, pluviæ immodicæ ad frugum destructionem.
      - 3. Impotentia coeundi per conjuges, quod communiter vocatur *Maleficium ligaminis:* cum enim potentia coeundi dependeat a duobus principiis, calore scilicet & spiritu; dæmon autem non ignoret media necessaria ad calorem minuendum, & spiritum impediendum; hinc causare potest impotentiam coeundi.
    - *Amatorium*, seu *Philtrum*, quo per signa aut media ope dæmonis fit immutatio in affectibus, adeo ut hominis animus flectatur & excitetur ad amorem carnalem.
    - Colliges *utrumque* maleficium *præter malitiam superstitionis contra virtutem Religionis, & primum præcepti Decalogi, continere gravissimam injustitiam cum onere resarciendi in integrum damnum illatum*.

- Resolves.
  - 1. Maleficium, si mediis naturalibus (quæ ante omnia adhibenda sunt) solvi nequit, pro ejus solutione recurrendum est ad media supernaturalia, tum generalia, tum specialia.
  - 2. Maleficii solutio, si possit a Malefico præstari absque novo maleficio, ceu per ablationem signi malefici, ceu per signi contrarii positionem, sine labe superstitionis, potest induci ad ejus destructionem, tum ipse Maleficus ex justitia, tum quivis alius ex charitate.
  - 3. Nequit peti solutio maleficii ab eo, quem constat id sine novo maleficio præstare non posse, imo neque pro casu dubio, an videlicet sine novo maleficio obtineri possit? Bene vero ab eo, qui sine novo maleficio scit quidem antecedens solvere; dubitatur autem, num hic & nunc sine novo maleficio id præstiturus sit?
  - 4. In dubio, an modus solvendi maleficium contineat superstitionem, præmittenda est protestatio, ne fiat novo maleficio, vel nova dæmonis operatione.
  - 5. Nequit peti a dæmone ut solvat maleficium, quia petitio est signum subjectionis & indigentiæ in petente, & superioritatis ac potestatis in eo cui petitio dirigitur, imo nec imperative, aut præceptive juberi potest ut solvat maleficium, eo quod tale imperium (seclusa divina virtute, seu nomine Christi, & Ecclesiæ per Exorcismos) videatur vanum & superstitiosum; quia dæmon homini mortali non subditur, neque ab hoc cogi potest, nisi virtute alicujus pacti cum ipso, per quod dæmoni fit superior.

TAB. XXXIV. *De Tentatione Dei.*

Tentatio Dei est dictum, vel factum, quo quis absque justa causa explorat an Deus in se habeat vel exerceat aliquam perfectionem; quæ communiter dividitur in

I. Formalem, seu expressam, qua quis reipsa dubitando vel diffidendo de divina aliqua perfectione, ex proposito & expressa intentione tentaret Deum, aliquid ab eo petendo, vel agendo animo experiendi perfectionis illius veritatem, realitatem; uti censeretur qui in puteum se projiceret animo experiendi, numve tam potens sit ut valeat, vel tam bonus, ut eum eripere velit?

II. Virtualem, ac interpretativam, cum quis non quidem practice dubitat de aliqua Dei perfectione, neque intendit inde capere experimentum; nihilominus aliquid agit, quod suapte natura refertur ad Deum tentandum, seu perfectionem divinam experiendam; hujusmodi censentur

- Qui contempta & recusata omni medicina, expectant a solo Deo sanitatis restitutionem; quod nequaquam factum fuit a D. Agatha, ut ostendit D. Thomas 2. 2. *qu.* 97. *art.* 1. *ad* 3. *in Corp.*
- Qui absque prævio studio, nec a justa causa coacti, prædicare præsumunt, temere confidentes, quod Spiritus Sanctus sibi adsistet & inspirabit omnia necessaria ad debite prædicandum; atque adeo sperant miraculum, qua spe seclusa cessaret tentationis peccatum, licet non cessaret malitia præsumptionis & indebitæ prædicationis.
- Qui quantumvis irreverenter orent, nihilominus sperant se impetraturos a Deo idem, quod alii orantes reverenter & devote.
- Qui more Paganorum & Epicureorum viventes, christiane tamen & pie se morituros credunt.
- Qui sponte se exponunt periculo, a quo nonnisi divinitus liberari possunt; uti faciunt, qui temere & sine justa causa necessitatis vel utilitatis se offerunt ad Martyrium; secus vero illi qui, ut ait D. Augustinus *apud Luc. Ferraris Verbo* Martyrium *num.* 21. non humanitus decepti, sed divinitus jussi, nec errantes, sed obedientes id faciunt, uti factum creditur a Samsone.
- Qui expectant, vel se offerunt ad probationes vulgares, seu quæ fiunt per duellum, ferra candentia, aquam ebullientem vel frigidam ad probandam innocentiam; imo etiam per sumptionem Eucharistiæ. *Ex D. Thoma* 2. *Part. qu.* 80. *art.* 6. *ad* 3.
- Qui hisce temporibus peterent miraculum a Deo ad astruendam fidem coram hæreticis, cum non desint alia signa & argumenta veritatis cognoscendæ, & aliunde sciri non possit, quod petens miraculum, eo posito, sit convertendus, etsi promittat, & non magis obdurandus in obstinatione & errore, uti Pharisæi visis miraculis Christi, & Simon magus visis prodigiis Apostolorum.

Resolves

- Formalem & expressam esse gravissimum peccatum, nullam admittens parvitatem materiæ, includensque triplicem malitiam, 1. contra Fidem ob dubitationem, 2. contra spem ob præsumptionem, 3. contra Religionem ob irreverentiam.
- Virtualem & interpretativam esse peccatum ex genere suo mortale; eo quod absque necessitate ulla, aut gravi utilitate miraculum, seu signum extraordinarium petere a Deo, sit agere cum eo, sicut cum curiositatum fautore & patrono; quod absque dubio innuit gravem irrogari irreverentiam divinæ Sapientiæ & Majestati: nihilominus propter ignorantiam, simplicitatem, inconsiderationem &c. per accidens fit veniale.
- Quamvis aliqui velint, quod ob materiæ levitatem tentatio Dei solum interpretativa sit peccatum veniale. Alii tamen probabilius negant dari parvitatem materiæ, quia sive per medium grave, sive leve cum divina ejus potentia &c. exploretur, Deo semper irrogatur injuria; imo eo majorem dixerim, quo levior est effectus qui expectatur.

TAB. XXXV. *De Sacrilegio Personali et Locali*.

Sacrilegium est *violatio rei sacræ, Dei cultui, videlicet solemniter dedicatæ*, quod communiter dividi solet in

I. Personale, quo Persona sacra indigne violatur; committitur vero

1. Violando luxuriose corpus personæ Deo sacræ, quacumque specie luxuriæ, saltem si persona sit ritu solemni Deo consecrata.

2. Commiscendo se turpiter cum persona cognatione spirituali sibi conjuncta: Imo juxta aliquos, etiam cum propria Pœnitente, quod est extra dubium, si id contingat ex sollicitatione in confessione, vel occasione confessionis.

3. Inferendo violentas manus in Clericum, vel Religiosum, sive percossione, sive mutilatione, sive occisione, aut alia atroci injuria contra privilegium Canonis.

4. Subjiciendos personas Ecclesiasticas judicio Fori Sæcularis, seu ad Tribunalia Sæcularia indebite trahendo contra privilegium exemptionis & immunitatis Ecclesiæ.

5. Exigendo tributa a Personis Ecclesiasticis, extra casum necessitatis.

Resolves; violationem Corporis Personæ Deo ritu solemni sacratæ, quacumque demum specie luxuriæ, juxta probabiliorem triplicem malitiam specie distinctam continere, scilicet *incontinentiæ* oppositam castitati, *perfidiæ* oppositam voto, & *Sacrilegii* oppositam Religioni: ideoque constitutum in Ordine Sacro, vel Religiosum Professum peccantem contra Sextum Præceptum Decalogi secummetipso, vel alia persona, debere exprimere in confessione circumstantiam Ordinis sacri, vel Religiosæ Professionis (quamvis aliqui negent, agnoscentes duplicem solum malitiam); ex qua opinione sequitur, etiam violationem Personæ Deo simplici voto castitatis adstrictæ habere rationem sacrilegii.

II. Locale, quo locus sacer indigne violatur; committitur autem

1. Violando immunitatem locorum sacrorum, quod fieri potest, & solet, vel infringendo fores, ac bonis suis ea exspoliando: *ex cap.* Conquesti 22. *de Sententia Excommunic.*, vel extrahendo per vim delinquentes, qui ad loca sacra confugiunt, juxta dicenda de jure Asyli.

2. Exercendo in loco sacro actum, quo polluitur, uti censetur fieri per

1. Voluntariam, & culpabilem hominis occisionem. *ex cap.* Proposuisti 4. *de Consecratione*.

2. Voluntariam & mortaliter malam effusionem humani sanguinis, licet causata esset ab existente extra Ecclesiam. *ex Cap.* Si Ecclesiam *unico de consecrat. in* 6.

3. Culpabilem humani seminis effusionem, seu pollutionem, *ex eodem textu*: imo, & per copulam maritalem, saltem extra necessitatem, exercitam in loco sacro.

4. Sepulturam hominis non baptizati tam adulti, quam infantis, extra tamen uterum matris existentis. *ex cap.* Si Eccl. 26. *de Consecrat. dist.* 1.

5. Sepulturam hominis excommunicati. *ex cap.* Cœmeteria 7. *de consecrat.* Quod post Extravagantem Martini V. procedit de Excommunicato non tolerato & vitando.

Minime vero per solos tactus, aliasve impudicitias cordis, oris, aspectus, amplexus; & ideo priores quinque actus, licet occulti, induunt rationem sacrilegii; secus vero posteriores: imo nec priores exerciti in Oratoriis privatis.

3. Exercendo actionem profanam in loco sacro, uti est

1. Omnis actio judicialis, præsertim criminalis, & quidem juxta probabiliorem etiam in causis Ecclesiasticis. *ex cap.* Quia 1. *de Immunit. Eccl. in* 6.

2. Negotiatio, quæ fit erectione Officinæ. *ex cap.* Decet Domum 2. *eod. tit.*, cujus erectio tamen in cœmeterio nonnisi veniale est: imo nullum, si res vendenda ad populi devotionem pertineat, ut Candelæ, Rosaria &c.

3. Manducare & bibere: *ex cap.* Non oportet 4. *distinct.* 42. quod tamen non excedit culpam venialem: imo factum ex pietate, vel necessitate vacat omni culpa.

4. Tripudia & clamores profani. *ex cap.* Cum decorum. 12. *de Vita & Honestate Cleric.*, minime tamen Tragædiæ ad pietatem moventes.

N. B. *Nomine loci sacri veniunt Ecclesia consecrata, vel benedicta, Cæmeteria & Oratoria, publica auctoritate constituta & deputata ad cultum divinum, seu ad publice peragenda Officia divina, Missas celebrandas, verbum Dei audiendum, Sacramenta administranda & recipienda, quibus adnumerantur Monasteria & Xenodochia, si hæc sint auctoritate Episcopi erecta, quorum violatio inducit sacrilegium.*

III. Reale, quo res sacræ violantur. Vide seq. Tab

TAB. XXXVI. *De Sacrilegio Reali et Pœnis in Sacrilegos.*

Sacrilegium Reale, quo res sacræ violantur

- **I. Committitur**
  - **1. Indigne tractando res sacras, cujusmodi sunt**
    - Sacramenta Ecclesiæ, præsertim Eucharistiæ, cujus indigna tractatio importat gravissimam malitiam Sacrilegii; Sacra vasa ad usum Sacramentorum deputata, ad quæ
    - **Reducuntur**
      - 1. Ædes sacra, Altaria, Crux, Imagines Christi, & Sanctorum, Reliquiæ eorum; Sacri liquores; Nomina Dei, Christi, Sanctorum, Scripturæ Sacræ.
      - 2. Omnia, quæ pertinent ad ornatum Altarium & Ministrorum, ut Palla, Corporalia, Paramenta &c.
      - 3. Bona mobilia deputata ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, Fabricam Templorum, uti & deposita in Ecclesiis, Pia legata & similia, quæ licet in rigore loquendo non sint sacra, seu consecrata, quia tamen remote saltem ad Dei cultum præ cæteris rebus profanis, specialiter deputata sunt, ideo indigna eorum tractatio, vel injusta usurpatio a jure sacrilegium passim appellatur.
  - ***** Indigne tractari censentur**
    - **1. Sacramenta**
      - 1. Invalide, ac ficte ea applicando quocumque ex capite.
      - 2. In statu peccati mortalis ea administrando, vel suscipiendo.
      - 3. Tangendo illicite & irreverenter S. Eucharistiam; quod respectu laici peccatum mortale est.
      - 4. Permittendo ut Particulæ consecratæ corrodantur a vermibus, aut corrumpantur.
      - 5. Tangendo quæcumque consecrata immediato contactui Eucharistiæ; ut Calicem, Patenam, Ciborium, Lunulam Ostensorii, Chrisma, Aram Portatilem &c.
      - N. B. *Prædicta tangentes, excepta Eucharistia, Laici & Fœminæ, secluso contemptu, peccant venialiter; a quo eximuntur, si ea ex rationabili causa, vel interposito velo, chirotheca, aut alio instrumento tangantur.*
    - 2. Vasa sacra & Paramenta, dum ea propria auctoritate in profanos usus convertuntur, saltem eadem forma permanente: imo, juxta aliquos, forma etiam destructa: quamvis contraria sit aliorum sententia volens quod materiam, destructa forma, in usus profanos convertere, non excedat culpam venialem.
    - 3. Scriptura Sacra, cum ea scienter pervertitur; vel cum quis illius sententiis abutitur ad irrisiones, cachinnos, jocos, mendacia & ad alia peccata præsertim luxuriæ.
  - **2. Injuste res sacras usurpando, quod fit auferendo sive**
    - 1. Sacrum de sacro, quod contingit cum quis furatur aliquid ex rebus præfatis, præsertim vero ex tribus primis, ex Templo, vel Cœmeterio: quod furtum duplicem continet malitiam sacrilegii, realis scilicet & localis.
    - 2. Non sacrum de sacro, quod contingit cum quis furatur res non sacras ex Ecclesia, si huic in depositum consignatæ sint; secus vero si solum per accidens vel casu in Ecclesia extitissent, aut alio loco sacro, quod furtum unicum includit sacrileginm locale.
    - 3. Sacrum de non sacro, uti cum quis furaretur calicem, e. g. ex privato Oratorio, aut cista, vel arca domestica; quod furtum unicum includit sacrilegium reale: quidquid in contrarium jus civile asserat; negans committi sacrilegium per ablationem non sacri de sacro, aut sacri de non sacro; sed solum per ablationem sacri de sacro.
    - 4. Legata Pia, aliaque jura Ecclesiastica infringendo, detinendo, occupando, defraudando. *Ex Glossa ad cap.* Cum sit. 8. *de foro competent. ad verb.* Malefactores. Unde usurpans Decimas committit Sacrilegium.
    - Nequaquam vero committitur Sacrilegium auferendo Parocho, aut alteri Sacerdoti etiam ex beneficio provenientem pecuniam, frumenta &c.
  - **Resolves**
    - 1. Plura sacrilegia specie inter se differre. *Ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 99. *art.* 3., adeoque in confessione non solum explicandus numerus, quoties, sed etiam species, seu quænam sacrilegia commisit.
    - 2. Sacrilegium, sive illud sit Personale, sive Reale, sive Locale, esse peccatum ex genere suo mortale, quod evadere veniale potest non solum ex inadvertentia & indeliberatione, verum etiam ex parvitate materiæ.
- **II. Punitur, videlicet**
  - 1. Exercens copulam cum Moniali, si Laicus sit, pœna mortis; si Clericus, non modo Beneficio privandus est, sed præterea ab Ordine depositus detrudendus est in Monasterium ad agendam inibi pœnitentiam. Monialis vero libere consentiens debet in aliud arctius Monasterium transferri ad agendam ibi pœnitentiam; vel quod magis consonat lapsus gravitati, in perpetuos carceres sui Monasterii detrudi.
  - 2. Injiciens manus violentas in Clericum vel Monachum, incurrit excommunicationem latam in Concilio Lateranensi, *relato Can.* Si quis suadente, de qua alibi.
  - 3. Auferens res sacras cum effractione Templi, incurrit excommunicationem latam *cap.* Conquesti 22. *de sentent. Excommunic.*
  - 4. Violans immunitatem Ecclesiasticam, incurrit excommunicationem, ex dicendis Tab. seq.
  - 5. Abutens Missæ sacrificio ad sortilegia, præter pœnas latas a Sixto V. & Gregorio XV., incurrit etiam perpetuam inhabilitatem ad præfati Sacrificii celebrationem. *Ex Decret. Sac. Inquis. de Mandato Benedicti XIV. an.* 1745. *die* 21. *Augusti. Tom.* 2. *Bull. ejusd. in Append. fol. mihi* 46.

TAB. XXXVII. *De Immunitate Ecclesiarum, seu jure Asyli.*

Asyli Jus, quo prohibetur extractio Malefactorum ab Ecclesia & aliis locis sacris

I. Introductum in ins titutionem V. Legis.

1. *Jure Gentium*, eoquod omni ætate stabilitum, apud omnes fere Gentes viguerit: Uti apud Romanos confugientes ad Romuli templum indemnitatem nanciscebantur. *Ex Nicol. I. in respons. ad quæsitum 6. a Bulgaris propositum, relat. a Bened. XIV. Syn. Diœc. libr. 13. c. 18. n. 1.*
2. *Jure Civili* per Legem 2. Cod. De his qui ad Ecclesiam confugiunt, & per Leg. 6. Cod. eod. *ac per* Constitutionem Leonis I. Imperat.
3. *Jure Canonico* per textus relatos. *Can.* Minor. 8. *Can.* Reum. 8. *Can.* Fratet. 10. *Can.* De[illegible] 1. 35. *Causa 17. quæst. 4. & Cap.* Inter alia 3. *De Immunit. Ecclesiarum.*

II. Competit

1. Ecclesiis omnibus auctoritate Episcopi erectis, etsi nondum consecratis.
2. Locis illis, quæ Fabricæ Ecclesiæ conjuncta sunt; qualia sunt Sacristia, Turris, Atrium, Porticus, &c.
3. Campanili, quamvis ab Ecclesia sejuncto, dummodo non distet ultra passus triginta.
4. Cœmeteriis, seu contiguis, seu separatis ab Ecclesia, dummodo auctoritate Episcopi sint erecta, ac in sepulturam Fidelium deputata.
6. Monasteriis & Conventibus; omnibus locis intra septa Monasterii contentis; item Villis, seu Grangiis Regularium.
7. Omnibus Locis piis auctoritate Episcopi erectis; uti sunt Seminaria, Hospitalia, Montes Pietatis.
8. Confugientibus ad Sacramentum Eucharistiæ, quod defertur infirmo, vel ab eo reportatur, aut in Processione circumfertur.
9. Palatiis Cardinalium & Episcoporum.

III. Gaudent

1. Laici omnes Catholici, cujuscumque ætatis, sexus & conditionis, etsi specialiter interdicti, aut excommunicati; etiam denunciati, ut publici Clerici percussores.
2. Clerici Sæculares, juxta probabiliorem & declarationes S. Congregationis, non solum respectu judicis sæcularis, verum & Ecclesiastici.
3. Religiosi delinquentes in Monasterio, si confugiant ad Ecclesiam sui Conventus animo gaudendi jure Asyli adeo, quod neque a proprio Superiore extrahi possint. *Ex Declarat. S. Congregat.*
4. Judæi, Pagani & cæteri Infideles, juxta omnes, & declarationem S. Congregationis *Vallisoletana an.* 1627. 19. *Maji*; quidquid Jus Civile in contrarium disposuerit, extra casum in quo confugientes ad Ecclesiam id facerent animo sese convertendi.

N. B. *Prædicti omnes gaudent jure Asyli (excipe, si commiserint delictum exceptum) etiam pro casu quo e carceribus, vel e manibus satellitum sese proripientes, dum ducuntur ad carceres, vel ex his ad supplicium, in Ecclesiam, vel alium locum ex præfatis se reciperent.* Ex decis. S. Congreg.

IV. Non gaudent

1. Publici latrones, quo nomine veniunt illi qui in frequentatis viis vel publicis prædæ rapinæque causa homicidium committunt, & vere commissum fuisse notorie constat, *Ex Constit. Gregorii XIV. quæ incipit.* Cum alias *inserta Tom. 2. Bulli Cherubini fol. mihi* 694.
2. Grassatores viarum, seu illi qui in viis publicis, aut itineribus frequentatis prædæ causa, absque cæde, per quod a publicis latronibus distinguuntur, violenter transeuntes aggrediuntur. *Ex ead. Constit.*
3. Depopulatores agrorum, seu, qui agrorum segetes, vinearum fructus depopulantur, eosdem destruendo, devastando, comburendo &c., deque hoc constet, & depopulatio agri sit vel totalis, vel notabilis, sive dein sit nocturna, sive diurna. *Ex ead. Constit.*
4. Occidentes, vel mutilantes proximum in ipsis Ecclesiis, Cœmeteriis, &c., sive id faciant in Ecclesia existentes, sive extra Ecclesiam; secus si existentem extra Ecclesiam in atrio, porticu, scalis occiderent, vel mutilarent. *Ex eadem Constit.*
5. Assassini, quo nomine veniunt tam illi qui pretio conducti alium occidunt, quam qui pretium dant, vel promittunt, ut homicidium committatur, dummodo & mors vere secuta sit, & pretium certum sit ac determinatum, consistens seu in pecunia, seu in alia re. *Ex ead. Const.*
6. Occidentes alium proditorie, id est cum occiditur quis a vero vel simulato amico nulla præcedente sive rixa, sive injuria. Quibus adnumerantur tam occidens infantem, vel puerum usu rationis carentem; quam mulier procurans abortum medicamento. *Ex ead. Const. & Declar. S. Congreg. relat. a Ferraris verbo* Immunitas Eccl. *art. 2. n. 114.*
7. Hæretici, si propter hæreseos crimen confugiant ad locum sacrum; secus si propter aliud crimen non exceptum. Hinc cum in Germania passim tolerentur Hæretici, hi non propter crimen Hæreseos, sed propter alia delicta confugere solent ad locum sacrum. *Ex ead. Constit.*
8. Committentes crimen læsæ Majestatis in persona ipsiusmet Principis, quod committi censetur, quando exercetur actio aliqua positiva in ejusdem personæ damnum, vel offensam, v. g. percutiendo, vulnerando, hostiliter invadendo; aut ipsum Principem occidendo. *Ex ead. Constit.*
9. Inferentes vim confugientibus, atque ipsos ab Ecclesia, alioque loco immuni extrahentes, & abducentes. *Ex Const. Ben. XIII. quæ incip.* Ex quo divina, *edit. an.* 1725. *quam refert Ferraris ib. art. 2. n* 9[illegible].
10. Interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato, ex Const. Bened. XIII. quam confirmavit Clem. XII. & Ben. XIV. *Const. quæ inc.* Officii Nostri *t. 3. Bull. ejusd. f.* 278. *edit. Rom.* §. 7. *& seqq.*
11. Occidentes proximum, licet in rixa, dummodo non fuerit homicidium casuale, vel ad propriam defensionem. *Ex Constit.* Clementis XII. edita pro Ditione temporali Pontificia; quam Benedict. XIV. ad diversa alia Dominia extendit. *ibid. loc. cit.*
12. Occidens hominem in duello, sive publice, sive privatim indicto, sive occisus mortuus fuerit ex vulnere in duello accepto, seu in loco conflictus, sive extra illum. *Ex Benedicto XIV. Constit.* Detestabilem. *insert. Tom. 4. Bull. ejusd. fol.* 22. §. 6. *edit. Venet.*
13. Falsificantes Litteras Apostolicas. *Ex Benedicto XIII.*
14. Furtum commissum a Ministris Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banchi, adeo ut Arca ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit, *ex eod. Bened. XIII. in relata Constit.*
15. Conflantes, adulterantes, vel detondentes quascumque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, vel ipsas monetas ita conflatas, adulteratas & detonsas scienter expendentes. *Ex Constit. Benedicti XIII. ibid.*

TAB. XXXVIII. *De Privilegiis Juris Asyli et Pœnis violatorum ejusdem.*

Juris Asyli

I. Effectus, seu Privilegia sunt, nimirum

Confugientes ad Ecclesiam vel alia loca Religiosa, debent a Rectoribus earum recipi; nec inde possunt expelli, aut excludi. Et si Judex promissione securitatis vel impunitatis reum inde deturbaret, fides si necessario est servanda, vel denuo restituendus est loco asyli, secus vero si solum blanditiis vel suasionibus id obtineat: imo nec si ab aliquo tertio, v. g. occulto inimico Rei, dato, fraude & mendacio ad exeundum induceretur.

Rectores Ecclesiarum &c., nequeunt Reum extradere Potestati Sæculari, etiam recepto impunitatis juramento, extra casum, quo certo constaret delictum esse exceptum, & requisiti essent a Potestate Sæculari. *Ex Gregor. XIV. Constit. præced. Tabul. relat.*

Rectores Ecclesiarum &c. Reum nequeunt extradere potestati sæculari pro casu dubio, an delictum sit exceptum, sine licentia Ordinarii. *Ex Greg. XIV. & Benedict. XIII. cit. Constit.* §. 9., bene vero si clare & indubitanter id constet; in quo casu opus non est, ut extradatur præmissa protestatione. Optime agent, si in omni casu exquirent Ordinarii consensum.

Ecclesia, vel alius sacer locus de bonis suis tenetur Reum alere, nisi propria habeat bona vel aliunde a consanguineis habere possit.

Nemo potest prohibere, ne Reo in loco Asyli existenti deferantur necessaria ad victum & vestitum, debetque ei admitti locus pro naturæ necessitatibus etiam extra locum asyli.

Nequit Reus, quandiu existit in loco Asyli, damnari ad mortem vel ad aliam pœnam corporalem.

Neque potest spoliari suis, quæ secum ad locum asyli tulit.

Minimeque ad carceres rapi vel in vincula conjici a Potestate sæculari, etiam pro casu quo constaret delictum esse exceptum: excipe, si Potestas Ecclesiastica requisita tenueret Reum ultra custodire.

Non potest Reus, quem liquido constat non admisisse delictum exceptum, accipiens asylum, in hoc sive custodiri, sive ad carceres rapi, ab aliqua, quacumque demum potestate; *ex Declarat. S. Congreg. & Benedicto XIV. lib. Instit. Eccl. inst.* 41. §. 7. Extra tamen locum Asyli Potestas sæcularis potest ponere custodes, dummodo liber permittatur accessus deferentibus necessaria Reo. Si tamen dubium sit, & a fortiori si constet, delictum esse exceptum, Rector Ecclesiæ &c. requisitus, tenetur Reum caute custodire. Ex Greg. XIV. *ibid.*

Neque pro casu dubio, neque pro casu certo excepti criminis, potest Potestas sæcularis delinquentem e loco Asyli extrahere absque licentia expressa Ordinarii. Ex Greg. XIV., & Bened. XIII. *ibid.*, extra casum, quo Episcopus requisitus recusaret præstare assistentiam.

Rei criminis excepti antequam extradantur brachio sæculari, debent duci ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ, ibique per Episcopum vel alium examinari, an commiserint delicta excepta? Quo comperto saltem ex indiciis & conjecturis eos delicta excepta commisisse, extradi debent brachio sæculari.

II. Violatores præter reatum gravissimi sacrilegii

1. Juri Civili gravissimis pœnis afficiuntur, teste Benedicto XIV., qui refert, quod sæculo IV. Eutropius, qui Imperatorem Arcadium ad Jus Asyli penitus abrogandum impulerat, post annum omnis honoris titulo destitutus, ut evaderet Gainæ furorem, ipse primus confugerat ad Ecclesiam; ast non meruit frui Asylo, quia jussu Imperatoris in ipsa Ecclesia captus fuit & condemnatus: uti legitur in Vita S. Joannis Chrysostomi *lib. Instit. Eccl. instit.* 41. §. 1.

2. Jure Canonico

1. Excommunicationem subeunt a variis Pontificibus & Conciliis latam, innovatam, confirmatamque præsertim a Tridentino *Ss.* 25. *de Reform. cap.* 20. Gregorio XIV. Benedicto XIV., quæ est latæ sententiæ reservata Sedi Apostolicæ *ex Decr. Clementis VIII. & Declarat. S. Congreg.* in una Lyciensi ann. 1617. Neque Regulares habentes alias potestatem in reservata, possunt ab ea absolvere *intra Italiam*.

2. Privantur omni Beneficio & Privilegio Ecclesiastici confugii, & asyli tum apud Ecclesias & loca omnia ab ipsis sic violata, quam apud alias quascumque Ecclesias & loca Religiosa; *ex Benedicto XIV. Constit. qua incipit* Officii nostri. *insert. Tom.* 3. *Bull. ejusd. fol.* 278. §. 14. *edit. Rom.*

3. Non debent absolvi, nisi primo restituto reo, præstitaque læsæ Ecclesiæ satisfactione; quæ restitutio fieri debet publice & solemniter ipsi Ecclesiæ per eos, qui Reum extraxerunt; *ex Declarationibus S. Congreg. vid. Ferraris Verb.* Immunitas Eccl. *art.* 3. *ann.* 103.

III. Violatores censentur, qui

1. Aliquem etiam criminis excepti Reum existentem in loco Asyli sine expressa licentia Episcopi, vel alterius ab eo deputati, capere, extrahere, in vincula conjicere, inque carceres detrudere præsumunt.

2. Id solum attentaverint facere, effectu non secuto; seu qui Ecclesiam, Monasterium &c. invadunt eo fine ut Reum capiant, extrahant &c., quamvis id efficere non possint, vel quia reum non inveniunt, vel quia Rector Ecclesiæ validam facit resistentiam.

3. In loco Asyli capiunt, extrahunt, aut in vincula conjiciunt volentem, consentientem ac permittentem, sicque juri suo, seu privilegio cedentem.

4. Mandant capi, vel extrahi, vel id conantur & attentant.

5. A fortiori capientes vel extrahentes e loco Asyli non gravatum crimine excepto vel etiam dubio.

TAB. XXXIX. *De Natura et Divisione Simoniae.*

Simonia est *studiosa voluntas emendi vel vendendi spirituale, vel spirituali annexum pro temporali*, quæ dividitur in

I. Mentalem, quæ contingit cum quis offert vel dat temporale animo & intentione alterum movendi ad sibi, vel alteri tribuendum spirituale, vel spirituali annexum, vel vicissim, absque tamen ullo pacto seu expresso, seu tacito eatenus, ut prava illa intentio dantis vel accipientis neque ex opere externo, neque ex ejus circumstantiis aliquo modo se prodat.

II. Conventionalem, quæ esse potest vel

- *Pure conventionalis*, si supposita conventione expressa vel tacita externe manifestata dandi spirituale pro temporali, aut vicissim, ex neutra parte sit secuta traditio.
- *Mixta*, ex conventionali & reali, si supposita conventione, ex parte solum unius sit secutus effectus.

  N. B. *Si conventio non sit ab altero acceptata, non dicitur conventionalis, sed mentalis, quia non est vera conventio, usquedum non acceptetur promissio; nam conventio ex jure dicitur:* Duorum vel trium in idem placitum consensus tacitus vel expressus.

III. Realem, quæ contingit dum conventio ex utraque parte executioni mandatur, saltem inchoative, seu cum & res temporalis pro spirituali data est, & spiritualis pro temporali, acceptata saltem inchoative. Censetur autem inchoative datum vel acceptum temporale pro spirituali, si obligatus dare, e. g. centum florenos pro consecutione Beneficii, dedisset interim decem vel viginti.

IV. Confidentialem, quæ committitur, cum quis Beneficium Ecclesiasticum cuipiam providet eligendo, postulando, præsentando, resignando, vel electum, præsentatum &c. instituendo, confirmando &c., cum certa confidentia, id est cum expresso vel tacito pacto, conditione, ut is qui beneficium adeptus est, suo tempore iterum cedat ipsi præfato modo providenti, aut alteri e. g. Fratri, Nepoti suo, vel alicui aut partem, aut pensionem ex fructibus beneficii præstet.

N. B. *Non censetur Simonia confidentialis, cum quis fundat Beneficium ea conditione, ut ipse vel Filius aut Nepos eo primus investiatur. Ex Bened. XIV.* lib. Instit. Eccl. Instit. 95.

N. B. 1. *Simonia est peccatum Sacrilegii gravissimum, quia per eam vel maxime res sacræ profanantur, indignissime tractantur, iniquissime contemnuntur & vilipenduntur eo ipso, quod instar temporalium rerum venalitati subjiciantur: ideoque nullam admittit materiæ parvitatem, & in jure vocatur EXECRABILE FLAGITIUM, TURPISSIMUM LUCRUM, CRIMEN LÆSÆ MAJESTATIS.*

2. *Simonia non includit malitiam injustitiæ: includeret tamen, si venditor rei spiritualis nullum pateretur incommodum, nullumque emolumentum amitteret, juxta probabiliorem.*

V. Jure naturali, ac *divino* prohibitam, quæ contingit, dum pro re temporali datur vel promittitur res vere spiritualis aut spirituali annexa, de qua in sequenti Tabula.

VI. Jure solum Ecclesiastico prohibitam, quæ committitur dum datur vel promittitur spirituale pro spirituali, vel temporale pro temporali contra prohibitionem Ecclesiæ, de qua in Tab XLI.

* Etsi Simonia a Simone Mago denominationem accipiat, non tamen hic hujus nefandi criminis auctor fuit. Plures enim ante illum ejusdem criminis rei fuerunt, inter quos numerantur Jason, quem pro obtinendo Sacerdotio multa talenta Regi Antiocho obtulisse liber II. Macchabæorum *c.* 5. commemorat: Giezi Elisæi famulus, qui, quantum in illo fuit, sanitatis gratiam vendidit Naaman Syro: Judas, qui triginta argenteis infinitum Bonum vendidit. Nomen accipit ab eo, ut ait Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 3. *n.* 2.; quia ipse primus in N. Testamento per Apostolos jam promulgato rem maxime spiritualem, mirabilem illam potestatem videlicet conferendi Spiritum S., malitiose pecuniis emere volebat. *Actor.* 8. v. 15. Hinc Glossa allata ad initium Causæ primæ putat vocandos Gieziticos qui gratiam vendunt, Simoniacos vero qui eam emunt; cum Giezi vendere, Simon vero pecunia emere voluerit Dona Sp. Sancti. Hæc pro eruditione.

** Hanc materiam valde practicam esse, experientia testatur, non quidem aperte & explicite, sed variis modificationibus involutam, & consequenter ejus in tota sua latitudine notitiam Confessario valde necessariam.

TAB. XL. *De Simonia jure Naturali Divino prohibita.*

Simonia prohibita jure naturali divino committitur dum

I. Offertur, datur, recipitur

1. Temporale pro *administratione Sacramentorum* vel *Sacramentalium*, si detur vel recipiatur per modum pretii; secus vero si per modum stipendii ad honestam sustentationem ordinati, licet etiam id exigatur vel in pactum deducatur, dummodo exigatur solum id quod vel ex jure Ecclesiastico, ex consuetudine vel legitima præscriptione dari solet & debet; quod intelligitur etiam respectu illius, qui habet media aliunde.

2. Temporale pro *Precibus*, *Orationibus*, aut alio bono opere supernaturali per modum pretii; secus vero si detur per modum stipendii ad honestam sustentationem; vel sub spe obtinendarum precum, aliorumve bonorum spiritualium: imo nec si detur sub conditione obtinendi spirituale, seposito tamen titulo retributionis.

3. Temporale pro *Præsentatione*, *Collatione &c. Beneficii*, quo nomine venit etiam *Prælatura Regularis*, juxta probabiliorem. Secus Commendæ Ordinis Melitensis: *Ex Bened. XIV. In Syn. Diœces. lib.* 12. *c.* 5. *n.* 15. *& seqq. præsertim* 17., & quidem pro casu etiam, quo detur tertio, cum huic detur ea conditione, ut apud Patronum vel Collatorem pro ipso intercedat, committitur Simonia; secus vero si pro sola informatione de qualitatibus & meritis.

4. Temporale pro exercitio *Potestatis & Jurisdictionis Ecclesiasticæ* seu contentiosæ, seu voluntariæ, ut pro *Absolutione*, *Dispensatione &c.*

II. Temporale Exigitur vel extorquetur

1. Pro *Functionibus & Actionibus spiritualibus*, debitis ex officio, pro quo habentur redditus sufficientes, quando illud exigere, nec jus, nec publica authoritas, nec consuetudo permittit: *Ex cap.* Clericos 6. *causa* 1. *quæst.* 2.

2. Pro *Labore* intrinseco & inseparabiliter annexo ipsi functioni spirituali; secus pro labore extrinseco, nisi hic aliunde debeatur ex officio.

3. Ante præstitam functionem spiritualem debitam ex officio sub *comminatione* non prius præstandi functionem illam spiritualem. *Ex cap.* Ad Apostolicam. 42. de *Simonia*.

III. Datur, promittitur vel recipitur Temporale pro

1. *Obtinendo suffragio in electionibus* ad beneficia ecclesiastica; vel titulo gratuitæ compensationis pro obtinendo v. g. spirituali beneficio. *Ex Innocentio XI. damnante Propositionem* 45. Imo & dum solum promittitur, illum gratificatum iri saltem pro casu quo his verbis intenderet revera dare vel præstare temporale pro spirituali.

2. *Omissione actus spiritualis*, qui sit Ordinis vel jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut negare absolutionem disposito, suffragium digno; secus vero omissione actus, qui non sit Ordinis vel jurisdictionis; ne v. g. Sacerdos celebret, ne recitet horas canonicas, ne excipiat confessionem, ne baptizet &c.

3. *Ingressu ad Religionem* vel *admissione ad Professionem*; imo, juxta probabiliorem, etiam si exigatur solum titulo honestæ sustentationis, in supposito, quod Monasterium habeat sufficientes redditus; secus vero si esset destitutum mediis & redditibus sufficientibus.

4. *Evadenda justa vexatione*, seu ne quis incipiat justam vexationem, vel ab incœpta desistat, in beneficio sive jam acquisito, sive primo acquirendo: secus vero si detur ut impediatur vexatio injusta saltem ab eo, qui non obesse modo, sed & prodesse potest de jure; e. g. præsentando, eligendo, confirmando, dando votum: si tamen daretur ad redimendam injustam vexationem in jure plene acquisito & possesso, nulla esset Simonia: uti in jure *cap.* 28. *in Simon.* & D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5. Vide tamen, quæ Bened. XIV. *in Synod. Diœces. lib. XI. cap. VI. n.* 7. *in fin. & lib. Inst.* 93. dicit.

IV. Emitur, venditur aut commutatur temporale concomitanter vel consequenter spirituali annexum; secus vero si sit annexum antecedenter, in quo casu id quod venditur ad usum profanum, ante traditionem debet confringi vel alias ita tractari, ut amittat consecrationem.

V. Venditur Jus Patronatus secundum se præcise spectatum, juxta communiorem; secus si vendatur per accidens; vendendo scilicet bona quibus est annexum, dummodo ratione hujus præcise juris bonum illud non plus vendatur.

TAB. XLI. *De Simonia Jure Ecclesiastico prohibita.*

Simonia Juris Ecclesiastici, (*quæ est Pactio quælibet, aut conventio ab Ecclesia sub pœnis Simoniæ inhibita, quatenus labem redolet Simoniacam*) committitur, dum

I. Venditur

- Beneficium Ecclesiasticum, in quantum importat jus percipiendi fructus temporales, juxta aliquos, & communior talem venditionem reducit ad simoniam jure divino vetitam.
- Jus Patronatus secundum se. *Ex Cap.* De jure Patronatus, quamvis alii id reducant item ad Simoniam jure divino prohibitam, juxta dicta in Tabula 34.
- Chrisma, seu Oleum Cathecumenorum, vel Infirmorum consideratum præcise ratione materiæ. *Ex Cap.* Non satis 8. *&* *Cap.* In tantum 36. *de Simonia & Bened. XIV. Constitut.*
- Sepultura sumpta pro ipso loco sepulcri, seu parte Cœmeterii, vel Templi. *Ex cap.* Non satis 8., *& cap.* Audivimus 41. *de Simonia.* A fortiori si sepultura sumatur pro jure sepulturæ sito in eo, ut quis jure sepeliatur in terra sancta, quia in hoc casu committeretur Simonia stricte talis & juris divini, cum tale jus sit mere spirituale.
- Pensio Clericalis, quæ scilicet datur vel Parocho seni, vel renuncianti beneficium, vel Clerico pauperi, vel ad litem in beneficio componendam.
- Officium extrinsece tantum ordinatum ad rem sacram, uti Sacristæ, Œconomi, &c. *Ex cap.* Consulete 33. *de Simonia*; in supposito tamen quod præfata Officia soleant per Clericos exerceri; secus vero si per Laicos.

II. Resignatur

- Beneficium cum clausula *Non aliter*, seu in favorem tertii sine consensu Summi Pontificis, non vero si resignatio fiat simpliciter in manibus Ordinarii, ea etiam intentione, spe, supplicatione, ut alicui certæ personæ conferatur.
- Beneficium cum conditione, aut pacto, ut ille, in cujus favorem fit resignatio, solvat Resignanti expensas, quas fecit in assecutione beneficii, aut facere debebit pro expeditione litterarum respectu resignationis faciendarum.

III. Permutatur

- Beneficium cum alio beneficio absque Superioris authoritate. *Ex cap.* Pactione 8. *de Pactis.* Jus Patronatus, sive cum alio jure Patronatus, sive cum alia re spirituali sine consensu Episcopi, saltem si jus illud transferatur in Laicum & præcise secundum se: non vero si transferatur una cum fundo.
- Beneficium cum obligatione compensandi inæqualitatem fructuum spiritualium, v. g. decimarum, obligationum &c. absque consensu Papæ. Consensus Ordinarii non sufficit, juxta communiorem.

IV. Convenitur

- Inter Resignantem & Resignatarium de cassanda, seu abolenda pensione assignata & constituta authoritate Superioris per anticipatas solutiones, vel anticipandas, si talis conventio fiat concomitanter ad resignationem beneficii factam cum reservatione pensionis in electionibus Regularium de reciproco suffragio ad electiones.

V. Redimitur Pensio propria auctoritate juxta aliquos, licet alii talem redemptionem absolvant a Simonia.

VI. Accipitur aliquid etiam sponte oblatum pro examine ad Parochiam, aut pro collatione Primæ Tonsuræ, Ordinum, ac Litteris Dimissorialibus, excepta decima aurei parte pro Notario non habentem salarium. *Ex Tridentino sess.* 21. *cap.* 1. *& sess.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.*

VII. Exigitur pecunia pro honesta sustentatione a volentibus ingredi Religionem ex suppositione, quod Monasterium habeat redditus sufficientes. *Ex Concil. Lateranensi relato Cap.* Quoniam 40. *de Simonia.*

N. B. *Aliqui volunt, quod tum exigentes, tum dantes taliter, dum Monasterium sufficientes habet redditus, committant Simoniam jure divino vetitam; alii tamen negant, quibus adhæret Bened. XIV.* Syn. Diœc. cap. 6. n. 3. *Nam non exigitur pro ipso præcise ingressu. Nulla tamen committeretur Simonia exigendo pecuniam ex eo quod Parentes cogant ingressuros Monasterium cedere omni juri hæreditario, vel alteri justæ prætensioni, aut ipsimet id præstarent, vel sponte inducerentur ad præstandum.*

TAB. XLII. *De Notis, seu Requisitis ad veram Simoniam.*

Notæ, seu Requisita ad veram Simoniam sunt, debentque concurrere

- **I. Materia seu Merces, quæ sunt res, vel**
  - **Spirituales secundum se, quales censentur**
    1. *Essentialiter*, & ex natura omnes gratiæ supernaturales tam *gratis datæ*, quam *gratum facientes;* habituales & actuales, uti & omnes virtutes tum Theologicæ, tum Morales.
    2. *Causative*, quæ aliquo modo sunt causa rerum spiritualium essentialiter talium; quales sunt omnia Sacramenta, Sacramentalia, Officia Ecclesiastica ordinata ad finem seu spiritualem, seu supernaturalem, v. g. Prædicatio Verbi Dei, Orationes, quæ fiunt ex institutione Ecclesiæ.
    3. *Effective*, quæ procedunt ab Officio, vel jurisdictione spirituali proxime tamquam a causa, uti sunt patratio miraculorum, actus officiorum & potestatum spiritualium; ut ordinare, consecrare; actus omnes jurisdictionis spiritualis fori interni & externi, uti dispensatio in votis, juramentis &c.; Electio, Postulatio, Præsentatio, Institutio, Collatio Investituræ, beneficiorum, dignitatum, prælaturarum ecclesiasticarum.
  - **Temporales spirituali tamen annexæ, sive**
    1. *Antecedenter*, quales censentur, quæ prius jam extiterunt & præsupponuntur, antequam rei spirituali adnectantur; ut Ecclesiæ, Calices, Patenæ, Paramenta &c. quæ præsupponuntur ordinata ad consecrationem, vel benedictionem.
    2. *Concomitanter*, quæ cum re aliqua spirituali intrinsece ac inseparabiliter connectuntur, ut quivis labor & actio, sine qua functio sacra, seu spiritualis exerceri nequit.
    3. *Consequenter*, quæ rem spiritualem tamquam causam supponunt, eamque sequuntur, sive effectus, uti sunt jura decimandi, sive fructus ex beneficio Ecclesiastico percipiendi.
- **II. Pretium, quod loquendo de Simonia juris divini debet esse aliquid temporale, sive est**
  1. *Munus a manu;* quo nomine venit non solum pecunia, sed etiam omnis alia res temporalis pretio æstimabilis, utilitatem aliquam, vel commodum afferens, sive sit mobilis, sive immobilis, sive corporea, sive incorporea.
  2. *Munus a lingua*; quo veniunt non ipsæ preces & commendatitiæ simpliciter factæ ab illo qui petit spirituale, utpote licitæ, sed preces, laudes, recommendationes, intercessiones, quæ pro beneficio, vel alia re spirituali interponuntur, aut interponendæ promittuntur, aut exiguntur apud Principem, Communitatem, Magnatem, vel alium quemcumque ab illo, a quo petitur res spiritualis.
  3. *Munus ab obsequio;* estque quodvis servitium, vel obsequium temporale præstitum, vel præstandum pro spirituali, uti agere Cappellanum Episcopi, Instructorem Juventutis &c. pro obtinendo beneficio.
- **III. Pactum**
  - Sive *Expressum*, ut si quis diceret v. g. promitto, do, præsto vel de futuro hoc temporale, ea tamen conditione, seu onere, ut mihi des, conferas, præstes &c. hoc, vel illud spirituale, v. g. Beneficium.
  - **Sive *tacitum*, nullo quidem adjecto pacto externo, intentione tamen, animo, fine, & motivo consequendi spirituale, quod colligi potest**
    - Pro foro interno ex dictis ipsius pœnitentis, si nempe dans, vel offerens temporale pro spirituali, asserat pro fine & motivo, & quidem principali, habuisse consecutionem spiritualis, & quidem ex debito, quod colligi potest consequenter, si delusus conqueratur, obmurmuret, judicetque sibi factam fuisse injuriam.
    - **Pro Foro externo ex circumstantiis, seu**
      1. Ex qualitate Personæ dantis, vel accipientis, si sit pauper, vel dives.
      2. Ex qualitate muneris, si videlicet magni, vel minoris pretii sit res data.
      3. Ex tempore donationis, si scilicet datum, vel oblatum fuit instante necessitate. *Ex Glossa in cap.* Etsi quæstiones 8. *de Simonia.*
      4. Ex effectu, si dans, vel præstans munus temporale conqueratur de non adepto spirituali.
  - **Cujus defectu nulla committitur Simonia, dum**
    1. Promittitur ficte temporale pro spirituali, vel vicissim, licet talis ficte promittens semper graviter peccet: imo, juxta aliquos, nec est Simonia promittere temporale pro spirituali sine voluntate implendi.
    2. Quis simpliciter se recommendat pro aliqua re spirituali, e. g. Beneficio, sicut qui beneficium confert habito respectu ad instantiam factam.
    3. Datur, vel præstatur obsequium aliquod sine intentione inducendi in alterum strictam obligationem sibi illud spirituale conferendi, sed gratis, & liberaliter. Hinc licite potest quis servire Episcopo, vel alteri spe remunerationis. *Ex Glossa in cap.* Cum essent 12. *de Simonia ad verb.* Promiserat. Quod si ea intentione & animo præstetur temporale, ut alter inde moveatur ad dandum spirituale, esset Simonia. *Ex Innocentio XI. damnante Proposit.* 45.
    4. Datur, vel offertur temporale, præciso quocumque prævio pacto tam implicito, quam explicito post obtentum spirituale, ex mera gratitudine. Excipe dantes, vel recipientes pro Examine ad Parochiam, Collatione ordinum, & Dispensationibus.

TAB. XLIII. *De Pœnis Simoniacorum*.

Pœnæ statutæ in Simoniam

I. Mentalem pure talem nulla est, quamvis facienda sit restitutio percepti temporalis pro spirituali, secus vero Spiritualis.

II. Conventionalem pure talem nulla est, nisi in Simoniam *Confidentialem* in electione Papæ.

III. Mixtam ex Conventionali & Reali etiam nulla est. *Ex Stylo Curiæ, Rotæ & S. Pœnitentiariæ*, nisi in Simoniam *Confidentialem*, & ideo, qui percepto Spirituali, non præstat temporale promissum, nullam juris pœnam incurrit; imo nec si post tempus aliquod præstaret, saltem attento Foro Conscientiæ: *Ex Tornerio*.

IV. Realem commissam in

- 1. *Ingressu Religionis*, est
  - 1. Excommunicatio ipso facto reservata Summo Pontifici, quam incurrunt tam dantes, quam recipientes. *Extrav. Sane de Simonia*.
  - 2. Infamia juris, si delictum sit notorium, & consequenter Irregularitas.
  - 3. Translatio Simoniaci admissi ad arctius Monasterium, nec in eodem absque dispensatione Papæ manere potest. *Cap.* 25. *de Simonia*.
  - 4. Restitutio percepti temporalis; ad quam tamen non tenetur, si percipiens sit Monasterium; si vero sit Abbas, vel Abbatissa, aut alius ex Monasterio, debet converti in communem usum.
  - 5. Suspensio ab Officiis Capitularibus Papæ reservata, lata in Conventum si consenserit. *Extrav.* Sane *de Simonia*.
  - N.B. *Prædictæ Pœnæ non incurruntur, nisi secuta Professione*, ex Lessio & aliis, Pe [illegible] lib. 5. Decr. tit. 3. n. 255. *Numquam a Monialibus recipientibus temporale*. [illegible] cit. n. 256., Layman lib. 4. Tract. 10. n. 5., fundati in Declarat. Clem. VII. & Innoc. VIII.
- 2. *Collatione & susceptione Ordinum*, est
  - 1. Excommunicatio latæ sententiæ tam in conferentem, quam in suscipientem.
  - 2. Suspensio, vi cujus Ordinans a collatione omnium Ordinum & exercitio muneris Pontificalium suspenditur per triennium; & ubi recepta est Bulla Sixti V., etiam ab Ingressu Ecclesiæ. *Cap. de Simonia*. Ordinatus vero ignoranter simoniace ipso jure ab Ordine taliter suscepto suspenditur, scienter autem ab omnibus seu simoniace, seu non simoniace susceptis, quamvis crimen esset occultum. *Ex Extr.* Cum detestabile *de Simonia*.
  - 3. Restitutio percepti temporalis, si collatio facta sit sine damno & incommodo conferentis.
- 3. *Provisione Beneficii Ecclesiastici*, est
  - 1. Excommunicatio major reservata Summo Pontifici, provisione quomodocumque facta seu per electionem, constitutionem, seu per præsentationem, confirmationem.
  - 2. Provisio ipso jure nulla est, sive sit facta per Simoniam
    - a Seipso scienter commissam, juxta omnes.
    - a Seipso ignoranter ignorantia etiam invincibili sive juris, sive facti commissam juxta veriorem.
    - a Tertio, ipso tamen sciente & non contradicente: secus vero si ipso contradicente & ignorante, quod alter prosequatur in Simonia, nec ante collationem venisset in cognitionem. *Ex cap.* Sicut 33. *de Simonia*.
    - a Tertio ipso omnium ignorante, juxta probabiliorem. Ex stylo ordinario *absque Simoniaco ingressu*. Excipe casum, quo a tertio ipso id factum fuisset in odium & fraudem; ut scilicet tali modo ab assecutione illius Beneficii in [illegible] redderet, *ex cap.* 27. *de Simon.*, vel ipse bona fide per triennium jam illud possedisset, *ex Cabass. Less. Laym. Delugo, Goma, Rebuff. P. Antoine &c.*, quia illa verba *absque Simoniaco ingressu* videntur in rigore requirere, ut Simonia se teneat ex parte ingredientis.
  - 3. Dimissio Beneficii Simoniace percepti etiam ante sententiam judicis. *Ex jure Eccles. In Extrav. cum detestabile* 2. *de Simon.* Quod si sine gravi incommodo & infamia dimitti non posset, posset retineri animo petendi dispensationem. *Ex eodem*.
  - 4. Restitutio fructuum ex Beneficio perceptorum, secus vero eorum, quos percepit et intuitu laborum, aut functionum, e. g. Parochialium. *Ex eodem juris textu*.
  - 5. Inhabilitas perpetua Provisi ad idem Beneficium obtinendum, etiam ante judicis sententiam.
  - 6. Privatio Beneficiorum prius obtentorum, ac depositio a Ministerio Altaris post judicis sententiam.
  - 7. Inhabilitas perpetua ad quævis alia Beneficia; sed post judicis sententiam.
  - 8. Restitutio percepti temporalis ante judicis sententiam ipsi Danti; post sententiam vero Ecclesiæ, in qua est Beneficium, vel pauperibus. *Ex cap.* De hoc 11. *de Simonia*.

V. Confidentialem

- *Mentalem* pure talem nulla est.
- *Conventionalem* pure talem, etiam nulla est; loquendo tamen cum exceptione illius quæ intervenerit in electione Papæ.
- *Mixtam*, est eadem ac in Realem.
- *Realem*, est
  - 1. Excommunicatio major ipso facto ante judicis sententiam incurrenda.
  - 2. Privatio Beneficii circa quod commissa est Simonia *Confidentiæ* ante sententiam judicis.
  - 3. Inhabilitas ad idem Beneficium etiam ante judicis sententiam.
  - 4. Privatio aliorum Beneficiorum prius rite obtentorum, sed post sententiam judicis.

In *Aliis* jure naturali, ac divino nulla in jure statuitur pœna; ast puniri debent ab Ordinario pœna arbitraria. Restitutio tamen percepti temporalis facienda est jure naturali, si collatio rei spiritualis facta sit sine damno, vel impensis conferentis.

In *Iis* Jure solum Ecclesiastico sub labe Simoniæ prohibitis, juxta communiorem eædem statuuntur pœnæ, ac ob Simoniam juris Divini; quamvis alii velint nullam esse pœnam statutam, si excipias *Confidentialem*, de qua paulo ante, & commissam in Resignatione Beneficiorum factam in favorem Tertii cum onere [illegible], [illegible] conventione mutua de cassanda & abolenda pensione per anticipatas vel anticipandas solutiones ipso Resignationis tempore: nec non commissam dando vel recipiendo munera pro examine ad Parochiam.

N. B. 1. *Absolvere Simoniacum occultum a Censuris potest Episcopus*.

2. *Dispensare in pœna nullitatis & inhabilitatis, nemo potest præter Papam. Excipe commissionem Simoniam ex ignorantia invincibili, in quo casu potest recurri ad Episcopum. Ex Gloss. in cap.* S. a cujus 59. *de Electione & electi potestate, ad verb.* Illa vice.

TAB. XLIV. *De Blasphemia*.

Blasphemia est injuriosa & contumeliosa locutio contra Deum, quæ committi potest vel

- I. Generice
  - Deo aliquid tribuendo, quod repugnat, ut esse crudelem, injustum, &c. qualis fuit Friderici II. Imp. asserentis, tres fuisse impostores, qui humanum genus seduxerunt, nempe Moysem, Christum & Mahometem.
  - Deo aliquid conveniens negando, ut Omnipotentiam, Omniscientiam, Prudentiam &c.
  - Deum detestando, aut malum eidem imprecando, ut pereat Deus, in despectu Dei hoc faciam; Creaturæ tribuendo, quod proprium est soli Deo, e. g. personam amatam appellando Deum, suam Beatitudinem, uti non raro faciunt perversi & lascivi amatores.
  - Convitia, vel contumelias jaciendo in B. Virginem, aut Cœlites, quatenus sunt amici Dei, ab eoque specialiter honorati; vel etiam in res sacras, quamvis inanimatas.
- II. Materialiter, seu sine intentione sive formali, sive virtuali Deum inhonorandi, ut si proferantur
  - Recitative solum per modum historiæ, quod nullum est peccatum.
  - Inadvertenter ac indeliberate; quod nullum est peccatum; præcisa tamen prava consuetudine, quam quivis tenetur tollere sub mortali.
  - Ex vehementissima passione usum rationis perturbante, quod etiam nullum est peccatum.
  - Ex inveterata consuetudine involuntarie ac inculpabiliter contra conatus remanente, quod item nullum est peccatum, sive in se, sive in causa.
  - N. B. *Non adhibens diligentiam tollendi pravam consuetudinem materialiter blasphemandi, Blasphemiæ evadunt indirectæ, & in causa voluntariæ, proptereaque imputantur ad culpam adeo, quod per se loquendo, tenentur nedum numerum blasphemiarum exprimere in confessione, verum etiam consuetudinem voluntariam, seu peccatum numero distinctum.*
- III. Formaliter, seu cum intentione Deum inhonorandi, vel
  - Directa, si proferantur cum expressa intentione Deum inhonorandi, quod est peccatum mortale Religioni oppositum passim Episcopis reservatum; imo ordinarie duplex peccatum ratione odii in Deum concomitantis; nec admittit parvitatem materiæ.
  - Indirecta, si proferantur scienter & serio; aut si talia, quæ vel ex propria significatione, vel ex modo proferendi, vel ex circumstantiis significant divinæ Majestatis contemptum, vel divini honoris diminutionem continent, licet proferentur sine intentione Deum inhonorandi: Quod est peccatum mortale in circumstantiis præsertim, in quibus audientes credunt eum serio loqui; non tamen reservatam Episcopis.
- IV. Simpliciter, cum aliquid contumeliosum, nullam tamen continens hæresim, contra Deum profertur, vel enunciative, ut volo hoc facere in despectum Dei; vel irrisorie, ut Judæi in Christum, *Vah, qui destruis Templum Dei.*
- V. Hæreticaliter, cum profertur aliquid contumeliosum, significans quidem hæresim, sine tamen interno contra fidem errore: sed ex pravo solum voluntatis assensu.
- VI. Hæretice, cum verbum contumeliosum contra Deum hæresim significans, profertur cum assensu interno, ut si quis credens diceret: Deus est injustus.
- VII. Mentaliter, cum in corde solum consumitur.
- VIII. Verbaliter, cum verbis exprimitur.
- IX. Realiter, nutu scilicet, vel facto aliquo contumelioso in Deum, Sanctos, vel res sacras; uti conspuendo, vel frendendo dentibus in Cœlum, conculcando imagines; lapidem, lutum, vel aliam rem in ipsas jacendo.
- *** Resolves
  - 1. Solam formalem, verbalem, directam subjacere reservationi; non vero Realem verbis non expressam, neque solum indirectam.
  - 2. Peccare mortaliter eum, qui alterum quamvis ebrium, vel amentem ad blasphemandum inducit.
  - 3. Pœnitentes blasphemos, si sint consuetudinarii & non appareat in eis spes emendationis, non esse absolvendos: si vero appareat spes emendationis, poterunt absolvi, imposita eis gravi pœnitentia, e. g. quadraginta, vel quinquaginta vicibus, plus minusve, flexis genibus, ut recitent Pater noster &c., vel decies eadem die super terram lingua Crucem forment, addendo pœnitentiam conditionalem usque ad sequentem confessionem duraturam, toties quoties in blasphemiam reciderint, quinque, vel decies lingua faciant eamdem crucem in terra; vel aliam pro ratione status, gradus, conditionis circumstantiarum, secundum prudentiam.
  - 4. Blasphemos ex Decreto Concilii Lateranensis, juxta præscriptum Julii III. *In sua Constitutione quæ incipit* In multis *inserta Tom. I. Bullarii Cherubini, fol. mihi* 715. denuntiandos esse vel Inquisitoribus, si blasphemia sit hæreticalis, & vigeat inquisitio; vel Episcopis, si non sit hæreticalis, aut non vigeat Inquisitio. Si delinquens absque hæresi sit persona sæcularis, datur locus præventioni inter Episcopum & Judicem secularem. *Ferraris verbo Blasphemia* art. 2. n. 8.
- X. Pœna Blasphemantium, attento
  - Jure Civili Novell. Novella 77. olim erat ultimum supplicium pro gravi blasphemia, præsertim in ipsum Deum, *ex Constit. Caroli V.* Pro leviori vero, præsertim si non in ipsum Deum, verum in B. Virginem, Sanctos, ex eodem jure erat olim præcisio vel mutilatio linguæ, fastigatio, carceratio. Quæ pœnæ hodie non amplius sunt in usu, sed relinquuntur statuendæ judicis arbitrio. *Ex Ferraris art. 2. n. 25. ibidem.*
  - Jure Canonico Cleri blasphemantes deponendi sunt ab officio & statu clericali, Laici vero excommunicandi. Præterea *ex cap.* Statuimus, *de Maledicis*, aliæ pœnæ ibidem expositæ statuuntur contra blasphemos.

TAB. XLV. *De Essentia, Divisione, Liceitate, Juramenti, ac Perjuriis.*

Juramentum est *Invocatio* DIVINI NOMINIS *in testimonium rei alicujus*; cujus

I. Essentia consistit in

1. *Invocatione* veri, & non ficti Dei, unde, qui juraret per falsos Deos, ex[illegible] pe Gentiles (de q[illegible] is infra) nullum faceret juramentum; peccaret tamen mortaliter, si id serio faceret, utpote speciem Idololatriæ ac superstitionis committens, cum juramentum sit actus latriæ, soli Deo debitus.

1. Intentione, & animo jurandi, idest Deum in testem invocandi; nam jurans animo non jurandi
   - Semper peccat, sive de re vera, sive falsa, gravi vel levi, cum vel sine justa causa. *Ex Innocent. XI. damnante Proposit.* 25.
   - Venialiter solum peccat, si juret de re vera, extra judicium tamen & contractus, justa veriorem.
   - Mortaliter peccat, si juret de re licet vera in judicio, vel contractibus, aut cum damno proximi.
   - Mortaliter peccat, si juret de re falsa, licet in materia levi.

3. *Animo* & intentione sese obligandi, si sermo sit de juramento promissorio, quam intentionem præsumitur habere saltem implicite quisquis jurat animo jurandi, nisi expresse statuerit se non velle obligare.

II. Divisio sit in

1. Explicitum, quod contingit, dum fit cum directa & expressa intentione Deum in testem invocandi, cujus formulæ certæ sunt, *Testor Deum, per Deum ita est, in Testem Deum invoco.*
2. Implicitum, quod fit dum juratur per tales creaturas, in quibus Deus specialiter relucet, ut per Cælum, per Fidem Catholicam, per Deiparam & Sanctos, per Animam, per quasvis res sacras, ut per Crucem Christi, per Sacramenta.
3. Assertorium, quo sub invocatione divini Nominis aliquid præsens, vel præteritum asseritur, ut *Testor Deum me esse innocentem*, in quo nulla subintelligitur conditio.
4. Promissorium, quo quis jurat se aliquid facturum, vel omissurum, in quo ipso jure subintelliguntur sequentes conditiones
   - Si potuero tam physice, quam moraliter; cum ad impossibile nemo teneatur.
   - Salvo jure & auctoritate Superioris in iis, quæ pendent ab ejus potestate, vel prohibendi, vel irritandi, vel dispensandi juramentum.
   - Nisi is, in cujus gratiam, vel utilitatem juratum est, voluntarie, tacite, vel expresse remittat obligationem implendi, quod juratum est; cum juramentum sit in gratiam hominis.
   - Si res in eodem statu permanserit; hoc est, rebus sic stantibus.
   - Si & altera pars fidem servaverit; id est pacto steterit, & promissis suis; inte[illegible]e de juramentis reciprocis per modum contractus factis.
   - Salvo meo & proximi præjudicio. Hinc qui juravit rem secreto naturali sibi commissam non revelare, si secreti illius reticentia deberet vergere in sui, vel proximi grave damnum.
5. Simplex, Solemne, Verbale, Reale, Mixtum, Judiciale, Extrajudiciale.
6. Execratorium, quo quis ad fidem adstruendam sibi, vel aliis ad ipsum specialiter spectantibus malum imprecatur, quasi sub conditione, nisi sit hoc, vel illud; ut *Deus me puniat, Diabolus me rapiat*; subintelligendo tamen permissionem Dei.

III. Liceitas dependet a

1. *Veritate* formali consistente in conformitate mentis cum dicto jurantis; ad quod in judicio requiritur notitia certa, experimentalis de visu, extra judicium vero sufficit moralis certitudo, defectu cujus semper committitur grave peccatum perjurii nullam admittens materiæ parvitatem; quod tamen vitatur juxta multos (Sporer Tract. 3. in 2. *Decal. Præcep. c.* 1. *n.* 164. Elbel *in* 2. *Præcep. Decal. Conf.* 5., Gervasius *Tom.* 4. *n.* 121.) fundantes se in exemplis Christi Domini, *Marci* 13. *v.* 32., *Joan.* 2. *asserentis, Solvite Templum hoc, ibidem* 7. *v.* 8. *item* 11. *Lazarus dormit*; tum etiam *in Can.* Ne quis *Causa* 22. *q.* 2. *vide Glossam ibid.* si juretur cum amphibologia sensibili, reali, externa, supposita justa & rationabili causa: secus vero si cum amphibologia & restrictione pure mentali.
2. *Justitia*, seu ut fiat de re licita, justa & honesta, cujus defectu in juramento assertorio peccatur venialiter, si sub juramento affirmetur præcise res mala a se commissa, vel committenda, nec juramentum accipiatur ut medium ad peccandum. In promissorio autem peccatur vel mortaliter si sit de re graviter, vel venialiter si sit leviter mala, aut indifferens, vel opposita Evangelicis consiliis.
3. *Judicio*, seu ut cum discretione & prudentia Christiana, non autem passim juretur, defectu cujus peccatur solum venialiter, dummodo in veritate fiat, & non sit habituatio.

Resolves

1. Consuetudinem jurandi sine necessitate, vel utilitate esse peccatum veniale quidem ratione sui, si sit de re vera; quoniam autem superinducit habitum jurandi verum & falsum, constituit jurantem in statu peccati mortalis, si culpabiliter & sine conatu emendationis retineatur.
2. Peccare eum qui alterum sive sine veritate, sive sine justitia, aut judicio inducit ad jurandum, eo fere modo quo ipsemet peccaret, si tali modo juraret, præter malitiam scandali, & quidem activi: eum porro, qui supposita necessitate inducit Gentilem ad jurandum, non peccare, dummodo non exigat ab eo determinate, ut juret per suos falsos Deos, etiamsi prævideatur ita juraturus. Ex Divo Augustino *relato Can.* Movet te 16. *caus.* 21. *qu.* 1.
3. Sine justa & rationabili causa nunquam licere sive inducere, sive exigere juramentum ab eo qui scitur, aut probabiliter creditur] pejeraturus. Ex Divo August. *relato Can.* Ille qui 5. *causa* 22. *qu.* 5., concurrente tamen justa causa, id licere judici, aut publicæ personæ exigere.
4. In nullo casu licere exigere juramentum ab utraque parte de re inter ipsas controversa, & consuetudo contraria condemnatur ut impia, Deo inimica, Christianæ Religioni nimis contraria a Concilio Valentiniano III.
5. Interpretationem pro foro conscientiæ faciendam esse juxta mentem jurantis, si de hac constet, si vero non constet, stricte interpretandam esse in favorem jurantis.

TAB. XLVI. *De Obligatione Juramenti Promissorii.*

Juramenti Promissorii obligatio

I. Oritur

Ex omni & solo juramento vero, licet gravi metu extorto, juxta probabiliorem & expressam D. Thomæ, 2. 2. *qu.* 89. *art.* 7. *ad* 3., nam juramentum servandum est, quotiescumque sine peccato & dispendio salutis servari potest. *Ex Cap.* Cum contingat 28. *de jurejurando*.

Ex juramento facto contra legem Civilem non obligantem sub culpa: Hinc

- Jurans se soluturum pecunias lusu vetito, v. g. alearum perditas, aut usuras mutuanti, tenetur solvere. *Ex Cap.* Debitores, 6. *&* *Cap.* Ad nostram 7. *de jurejur.*
- Jurans stare alienationi fundi Dotalis sine vi, aut dolo, nequit resilire. *Ex Cap.* Cum contingat. 28. *de jurejur.*
- Renuncians paternæ hæreditati, & renunciationem juramento firmans, non potest recedere. *Ex Cap.* Quamvis 2. *de Pactis*.
- Minorennis jurans se non revocaturum renunciationem factam sine consensu Curatoris, nequit eam revocare. *Ex jure Civili*.
- Filius Familias jurans se restituturum acceptum mutuo sine consensu Patris stare debet promissis, non obstante Senatus Consulto Macedoniano.
- Mulier fidejubens adhibito juramento non potest liberari usu Privilegii Senatus Consulti Vellejani.

Ex juramento etiam facto a Gentili & Pagano per falsos deos. *Ex S. August. relato Can.* Movet te. 16. *Causa* 22. *qu.* 1. *& ex Glossa ibidem ad Verbum sociat.*

II. Tollitur

Cessatione, cum scilicet res juramento promissa fit illicita, vel impossibilis.

Condonatione illius in cujus favorem factum est juramentum.

Irritatione & Annullatione, quæ solum competit Superioribus.

Dispensatione & Commutatione, ut in Votis, quæ potest exerceri etiam post commissum perjurium; neque tamen exerceri circa juramenta facta, & acceptata ab homine sine hujus consensu, nec quidem a Papa; saltem seclusa legitima causa.

N. B. *Nullum juramentum esse per se reservatum docet Bassæus, quem refert & sequitur noster Gervasius*. T. 4. fol. 388. n. 176., *quia secundum illos in jure nullum habetur juramentum reservatum, & vel ideo reservatio, utpote odiosa, nequaquam est extendenda*. S. Thomas tamen 2. 2. qu. 89. art. 9. ad 3. *contrarium videtur sentire; nam in juramentis de re dubia censet solos Episcopos, cæterorum solum R. Pontificem dispensare posse. Hinc si quis juraret servare castitatem non Deo, sed simpliciter & præcisive, vel peregrinari ad limina Apostolorum, posset supposita legitima causa dispensari a quovis Confessario, dummodo non habeat admixtum Votum, quod certe esset si Deo promitteret.*

III. Nulla est

Si juramentum sit fictum, id est factum animo sive non jurandi, sive sese non obligandi, sive rem promissam non adimplendi. *Contra Tornel. Lessium. S. Bonav. & D. Thomas Scotus, Sylvester. Valentia apud Elbel. in 2. Decal. Præcep. Confer.* 5.

Si sit de re sive mortaliter, sive venialiter mala, vel indifferenti, aut opposita Evangelicis consiliis; quia juxta *Reg.* 50. *I. in* 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum:* & Axioma illud *juramentum non est vinculum iniquitatis, vanitatis, otiositatis, vel imperfectionis*.

Si juramentum factum Deo de re licet bona sit impeditivum majoris boni: subsistit tamen factum in gratiam hominis, vel Ecclesiæ, vel Communitatis, obligatque in quacumque materia licita, quamvis minoris boni. Excipe casum quo quis juramento promitteret puellæ matrimonium; nam hoc non obstante posset ingredi Religionem ob tacitam conditionem. *Ex Bened. XIV. In Syn. Diœc. lib.* 13. *c.* 12. *n.* 8.

Resolves

Non exequentem rem juramento promissam peccare contra fidelitatem, graviter, vel leviter pro qualitate materiæ gravis, vel levis, ex suppositione quod fuerit de re licita & honesta, quidquid aliqui velint, quod non exequens rem juramento promissam, licet in se levem, semper peccet mortaliter.

Adimplentem rem mortaliter, vel venialiter malam, confirmatam juramento quasi Deo debitam, gratam & acceptam, per se loquendo, committere speciale peccatum Blasphemiæ; imo & superstitionis cultus indebiti, si adimpleretur quasi ex obligatione juramenti ex virtute Religionis.

Juramentum additum contractui, sive jure naturali, sive divino, sive humano irrito, & nullo, non firmare contractum; idest non inducere obligationem ex justitia; imo nullam, si additum sit contractui jure naturali, vel divino irrito & nullo: Si vero contractui jure solum humano, Civili & Canonico irrito, inducere solum obligationem Religionis, juxta probabiliorem: adeoque juramentum additum contractui jure humano irrito & nullo non est confirmatorium, sed solum inductivum obligationis ex virtute Religionis, quo juramento proinde relaxato nulla adest obligatio.

Obligationem juramenti esse solum personalem, & ideo non transire ad jurantis successores, qui propterea non tenentur ex virtute Religionis præstare quod jurans promiserat: sed ad summum vi alicujus pacti & contractus: præstari tamen potest per Procuratorem, nisi contrarium a jure vel consuetudine cautum sit.

TAB. XLVII. *De Natura Votorum, et Requisitis ad illa.*

Votum est *Promissio Deo facta de meliori bono possibili*, ad quod essentialiter requiritur

I. Habilitas in vovente, defectu cujus vovere non possunt

Non solum carentes usu rationis, sed ob specialem juris dispositionem, nec sequentes: Filiifamilias quoad vota realia, per quæ disponunt de bonis externis sine parentum licentia: bene vero quoad bona *Castrensia*, vel *quasi Castrensia*, sicut etiam quoad vota personalia.

Minores ante expletum 25. ætatis annum quoad vota realia sine licentia Parentum, aut Curatorum, bene vero quoad personalia.

Servi, seu Mancipia, quoad Vota sive realia, sive personalia mixta; quæ vergunt in præjudicium domini: bene vero quoad mere personalia, quæ dominis nihil derogant.

Uxores & Mariti quidquam vergens in præjudicium Compartis sine hujus consensu.

Religiosi respectu eorum quæ ipsis vi Regulæ, vel alias prohibita sunt; bene vero respectu eorum, quæ nullum incommodum, aut molestiam statui inferunt, dummodo Superior expresse non contradicat.

II. Promissio, quæ esse debet

Vera, hoc est, firma & constans voluntas sese obligandi ad aliquid agendum vel omittendum, ad differentiam propositi, de quo infra num. 8.

Deliberata, seu ut quis sciens naturam & obligationem Voti plene deliberet, an materia voti conveniens? An sibi conveniens sit in tali materia se obligare? Quæ deliberatio tanta requiritur, quanta necessaria est ad peccatum mortale.

Libera; & ideo Votum emissum ex ignorantia, errore, dolo versante circa substantiam rei, omni jure nullum est; cum ignoti nulla sit voluntas: imo & quæ versatur circa circumstantiam magni momenti, ob defectum intentionis ipsius voventis. Idem juxta multos procedit de Voto emisso ex metu gravi.

Facta Deo, utpote actus Latriæ; unde si quis promitteret Beatæ Mariæ Virgini, aut alteri Sancto, aliquid se facturum sine actuali relatione ad Deum & absque ulla intentione sese tali Voto Deo obligandi, sed solum B. Matri, aut alteri Sancto, talis non ex virtute Latriæ, sed Hyperduliæ, vel Duliæ adstringeretur; nec ejus Votum perpetuæ Castitatis taliter factum esset Papæ reservatum.

III. Materia, quæ esse debet

Quid possibile voventi; & ideo nullum esset Votum, nunquam omnino, vel ad longum tempus non peccandi sive mortaliter, sive venialiter; validum tamen, vitandi omnia mortalia, vel venialia indeterminata, specie determinata.

Bonum moraliter; & ideo vovens rem malam, sive ex objecto, sive ex fine, nullum emittit votum, imo committit peccatum mortale vel veniale pro qualitate materiæ; sicut etiam nullum est votum rei mere indifferentis, v. g. numquam expuendi in Ecclesia (si non ordinatur ad honorandum Deum); imo nec rei honestæ ex fine indifferenti, ut jejunii ad parcendum sumptibus: ratio quippe voti requiritur, ut opus sit moraliter bonum.

De meliori bono, seu de bono quod est melius & perfectius suo sibi opposito, & ideo invalidum est Votum omissionis cujuscumque operis boni, quod est de consilio, vel in consiliis; item honeste vivendi, nunquam vovendi, contrahendi Matrimonium; etiam respectu illius, qui ab experientia edoctus est se non posse continere; saltem extra casum, quo matrimonium unicum esset medium tentationes superandi, lapsusque vitandi.

IV. Intentio & animus sese obligandi, sive actualis, sive virtualis, saltem tacita, quam censetur habere qui sciens & advertens ad obligationem adnexam Votum emittit. Quare nullum est Votum tam respectu illius qui ignorat obligationem Voto adnexam, quam illius qui positive excluderet intentionem sese obligandi.

Resolves

1. Ficte, seu verbaliter solum vovens, aut sine animo sese obligandi, peccat solum venialiter, extra tamen Professionem Religiosam, susceptionem Sacrorum ordinum.

2. Vovens animo & intentione promittendi, ac sese obligandi, non vero rem promissam exequendi, peccat mortaliter vel venialiter pro gravitate materiæ, nec videtur inde obligari ad exequendam rem promissam.

3. Dubitans, an emiserit Votum & consequenter an habuerit intentionem sese obligandi, vel vero propositum? juxta probabiliorem, obligatur Voto, & juxta omnes, qui certus est de voto, seu de prolatione verborum verum Votum significantium, dubitat solum de intentione sese obligandi.

4. Certus de Voto & dubitans solum de sufficienti deliberatione, ex supposito quod emissum fuerit in ætate adulta absque aliqua vehementi passione, manet voto adstrictus.

5. Certus de Voto, & dubitans num illud impleverit, tenetur illud implere.

6. Votum obligat ex Fidelitate, quæ postulat ut facta conformentur verbis, ad differentiam Propositi, quod obligat ex veracitate, quæ postulat ut verba conformentur menti, seu ut propositum faciens tam habeat voluntatem illud præstandi; quod si talis postea voluntatem mutet, non dicitur violare propositum, cum hoc obliget solum ut verba conformentur menti, non vero ut facta conformentur verbis.

7. Dolens de Voto emisso non censetur transgressor Voti per se loquendo, dummodo exequatur & voluntatem retineat exequendi rem promissam, quamvis talis juxta aliquos peccet venialiter. Posset etiam mortaliter peccare, si ex gravi Acedia doleret de Bono Deo promisso, juxta naturam Acediæ Tab. XII. Tit. Acedia explicatam.

8. Transgressor Voti non tenetur in Confessione exprimere materias Votorum, nisi aliunde sint vel præceptæ, vel prohibitæ: sed sufficit si dicat se Votum fuisse transgressum.

N. B. *Votum est actus Religionis honestus & meritorius, et quidem magis meritorius, quam factus sine Voto. Unde servare Castitatem* ex Voto, *est quid Deo magis acceptum, quam illam servare* sine Voto. *Ita omnes Catholici; Et est possibilis & conveniens naturæ rationali, contra impiam doctrinam suis Auditoribus scriptis traditam anno* 1787. *et* 1788. *a Juris Publici Professore in Universitate Græcensi, aliisque insequentibus annis ab ejusdem furfuris bacchantibus Magistris, ut juvenes ab amplexando perfectiori statu vel Ecclesiastico, vel Monastico, in Libertinismum facilius inducendos, arcerent.*

TAB. XLVIII. *De Votorum Obligatione, Interpretatione, Executione, Estinctione et Irritatione.*

Votorum

I. Obligatio est personalis ex genere suo gravis; ex parvitate tamen materiæ vel intentione expressa voventis potest esse levis, licet materia de se sit gravis; imo in eadem expressa intentione voventis potest sub nulla culpa, sed solum sub pœna obligare. Hinc qui votum emitteret de castitate servanda, & vi sui voti expresse non intenderet se obligare sub gravi culpa, transgrediens Votum, seu peccans contra castitatem, peccaret quidem mortaliter contra ejusdem virtutem, venialiter tamen solum contra virtutem Religionis. *Ex Communi Castropalaus Part. 3. Tract. 5. disp. 1. Punct. 11. n. 4., Sporer Tract. 3. in 2. Decal. Præcept. cap. 2. n. 87., Gervasius Tom. 4. de Voto n. 202. &c.* Excipe cum Præfatis Vota solemnia, quia Ecclesia exigit voluntatem graviter sese obligandi. Nemo vero potest respectu materiæ undequaque levis sese obligare sub gravi culpa.

II. Interpretatio juxta intentionem voventis: quod si de hac non constet juxta capacitatem materiæ promissæ, si de hac dubitatur, num levis sit vel gravis, stricte interpretandum in favorem voventis, adeo ut minus obliget; uti *ex Communi* inquiunt Felix Potestas *in suo Exam. Confess. Tom. I. part. 2. n. 1881.* fundatus in Lege Civili *Quidquid ff.* de Votorum obligatione, ubi dicitur: *Cum de obligatione agitur, stricta interpretatio facienda est;* tum quia in dubiis, *melior est conditio possidentis suam libertatem.*

III. Executio debet fieri tempore determinato & præfixo a vovente; quod si eo tempore non fiat, cessat obligatio, ex supposito tamen, quod tempus illud fuerit determinatum ob specialem devotionem ad tale tempus, vel aliam peculiarem connexionem habeat cum tali tempore, ut Votum jejunii die veneris vel sabbati. Si vero nullum tempus sit præfixum, impleri debet tempore commodo & opportuno, seu cumprimum sine notabili incommodo potest. Quod si differatur sine justa causa, nonnisi veniale peccatum est respectu Votorum continentium obsequium aliquod temporale; secluso tamen casu, quo quis se exponeret periculo omnimodæ omissionis.

IV. Extinctio, quæ contingere potest vel per

- Cessationem ipsius finis principalis; ut si quis voveret dare eleemosynam pauperi, qui postea evadit dives.
- Lapsum temporis, qui solum voluit se obligare vovens.
- Mutationem notabilem ipsius materiæ, utpote quæ evadit physice vel moraliter impossibilis, aut illicita, indifferens, aut impeditiva majoris boni.
- N. B. *Mutatio hæc notabilis debet se tenere ex parte materiæ, vel executionis Voti in ordine ad ipsam facultatem vel vires voventis, & non tantum in ordine ad ipsam voluntatem. Hinc si quis post emissum Votum castitatis, sentiret difficultatem castitatem servandi; imo supervenirent ei gravissimæ & frequentes tentationes carnis, quæ essent causa lapsus frequentis, non propterea cessaret Votum juxta communem & probabiliorem.*

V. Irritatio vel

Directa, quæ competit

Generice loquendo illis qui habent potestatem dominativam, aut quasi dominativam, vel in ipsam personam voventem, vel in ipsam materiam Voto promissam.

Specifice

1. Patri respectu Votorum a filiis vel filiabus in impubertate emissorum, sive illa sint personalia, sive realia, sive mixta, & quidem post pubertatem etiam, dummodo ab ipsis post pubertatem non fuerint confirmata, vel ratihabita.
2. Omnibus aliis, qui Parentis nomine veniunt, ut sunt Tutor, Curator, Avus; aliique ascendentes per lineam rectam, & in horum defectu Mater.
3. Prælato Regulari respectu suorum Subditorum Professorum, qui tamen non potest irritare sive Vota ipsa substantialia Religionis, sive votum ingrediendi strictiorem Religionem.
4. Papæ respectu Votorum a Religiosis emissorum, secus vero respectu Votorum emissorum a Sæcularibus, *ex Suarez, Azorio, Lessio & communiori cum Castropalao. Part. 3. Tract. 15. Disp. 2. Punct. 2. n. 2.*
5. Abbatissæ, vel Priorissæ juxta probabiliorem, quæ solum Subditarum Monialium Vota irritare possunt, quæ domesticæ gubernationi obesse possunt.

Indirecta, quæ competit

Generice loquendo omnibus illis, qui habent potestatem non in ipsam personam, seu voluntatem voventis, sed solum in materiam voto promissam.

Specifice

1. Patri respectu Votorum filiorum vel filiarum post pubertatem emissorum, quæ Patriæ Potestati præjudicant, sive personalium, sive realium, sive mixtorum.
2. Marito respectu uxoris in illis quæ usui conjugii & gubernationi Familiæ præjudicare possunt.
3. Uxori respectu Mariti in iis quæ juri Matrimoniali derogant vel præjudicant; si autem Maritus & Uxor mutuo consensu vovissent continentiam, neuter posset illud Votum irritare: imo neque si ab uno, de consensu tamen alterius Conjugis emissum fuisset. *Ex Divo August. relato Can.* Quod Deo 4. *Causa* 33. *qu.* 5.
4. Prælato Regulari respectu Votorum emissorum a Novitio, sive ante ingressum Religionis, sive tempore Novitiatus, quæ forent impedimento ad rectam Novitii directionem.

N. B. 1. *Prædicti habentes facultatem irritandi Vota suorum subditorum, possunt ea irritare etiam pro casu, quo Vota fuissent a subditis emissa de licentia & approbatione Superiorum respective suorum; quod vel maxime precedit de Prælatis Regularibus.*

2. *Directa tollit absolute obligationem adeo ut nunquam Vota taliter irritata iterum reviviscant.*

3. *Indirecta suspendit solum executionem, & consequenter vota taliter irritata iterum reviviscunt, dum Voti executio non amplius præjudicat juri irritantis.*

4. *Valet tam directa, quam indirecta Voti irritatio, licet facta sine justa & rationabili causa; imo licite fit, si fiat circa Vota emissa sine licentia Superioris; illicite tamen (& quidem, juxta probabiliorem, mortaliter, supposita materia gravi), si fiat circa Vota emissa de consensu Superioris; quamvis aliqui etiam in hoc casu non agnoscant nisi peccatum veniale.*

5. *Subditus sine justa & rationabili causa petens irritationem sui Voti, peccat venialiter, saltem extra casum quo pœnitudinem suam, & exequendi difficultatem sincero animo exponeret Superiori, ut ipse judicet num justa causa suppetat irritandi Votum?*

6. *Superior censetur Votum subditi irritare, quando Voto cognito absolute denegat subdito licentiam illud exequendi sine ulla temporis limitatione: secus vero si deneget, vel ignarus Voti emissi, vel pro determinato tempore, v. g. dicendo: nolo ut de facto votum exequaris.*

TAB. XLIX. *De Dispensatione et Potestate dispensandi in Votis:*

Votorum Dispensatio

- **I. Competit**
  - 1. Papæ, qui potest cum omnibus omnino Christifidelibus dispensare in Votis non solum simplicibus, sed & solemnibus, potestate sibi facta a Christo Domino, tum per generalem illam curam ei demandatam pascendi agnos & oves; tum per verba: *Quodcumque ligaveris &c.* non quidem directe, utpote juris divini; sed indirecte, tollendo videlicet obligationis fundamentum, quod tamen facere nequit etiam valide, sine justa & rationabili causa.
  - 2. Episcopis qui cum suis & non aliis, in omnibus quidem Votis; sed
    - Non possunt in Votis exceptis, uti sunt
      - Ingredienti Religionem approbatam ab Ecclesia Catholica.
      - Castitatis, seu Continentiæ integræ ac perpetuæ.
      - Peregrinationis
        - Romam ad Limina Apostolorum.
        - Jerosolymam ad S. Sepulchrum.
        - Compostellam ad S. Jacobum.
      - N. B. *Præfata quinque Vota subsunt privative Summo Pontifici, nec alius præter ipsum in illis dispensare potest, nisi in casibus, ut infra.*
    - Possunt tamen in præfatis pro casu, quo
      - Non essent vota proprie dicta, ut si facta essent B. M. Virgini, vel Sanctis sine relatione ad Deum.
      - Non essent perfecta, seu cum plena deliberatione facta, vel esset dubium de sufficienti deliberatione & intentione.
      - Emissa fuissent
        - Cum expressa intentione sese obligandi solum sub veniali ex metu injuste incusso, licet levi.
        - Disjunctive, cujus altera pars non est reservata, ut *vovere Peregrinationem Romam, vel quinquaginta aureos dare eleemosynam.*
      - Emissum fuisset
        - Votum Castitatis solum ad tempus, vel solius castitatis conjugalis.
        - Votum Castitatis ab alterutro conjuge ante contractum matrimonium, sed in ordine tantum ad petendum debitum.
          N. B. Manet Voto ligatus.
        - Votum Virginitatis, si per hoc intellexisset solum Claustri integritatem.
        - Votum non nubendi, vel Sacros Ordines suscipiendi.
        - Votum Peregrinationis ob alium finem, quam devotionis ad Loca Sacra.
      - Essent solum pœnalia, vel conditionalia, quæ, juxta probabiliorem, etiam post impletam conditionem cadunt sub potestate dispensativa Episcopi.
      - Agatur de dispensatione facienda circa qualitates & circumstantias adjacentes his quinque Votis.
      - Commutatum fuisset Votum, alias reservatum.
  - 3. Capitulis Cathedralibus Sede Vacante & ejus Vicario Capitulari, sicut Episcopis.
  - 4. Archiepiscopis in votis ab eorum Suffraganeis Episcopis emissis: non vero in Votis emissis ab horum Subditis, salvo unico appellationis casu ratione injuste denegatæ dispensationis a proprio Episcopo.
  - 5. Nunciis Apostolicis in Provincia suæ ipsorum Nunciaturæ, sicut Episcopis.
  - 6. Prælatis Regularium exemptorum cum suis subditis, etiam Novitiis, sicut Episcopis; secus vero Prælatis non exemptis, seu qui una cum suis Conventibus subsunt jurisdictioni Episcoporum.
  - 7. Confessariis Ordinum Regularium, præsertim Mendicantium, qui ex concessione & consequenter delegatione diversorum Summorum Pontificum Innoc. VIII. Martini V. Eugenii IV. Pauli III. Gregorii XIII. (ut habent Gervasius *Tom. IV. fol.* 405. *n.* 227., Elbel *de Vot. Confer.* 10. *n.* 274., Sporer *Tract.* 5. *in* 2. *Decal. præc. c.* 3. *n.* 54., Didacus ab Aragonia *in sua Dilucidat. Privileg. Tract.* 6. *c.* 6. *n.* 8. *& seqq.*) possunt cum suis Pœnitentibus Sæcularibus undequaque confluentibus dispensare in omnibus, in quibus possunt Episcopi Jure Ordinario.
  - Nota
    - 1. Episcopi & alii habentes eamdem cum Episcopo facultatem possunt etiam in supradictis quinque alias reservatis votis dispensare, licet perfectis & absolutis concurrentibus duobus; nempe impedimento adeundi Summum Pontificem, & necessitate urgente maturandi dispensationem, in quo casu dispensatur, v. g. in Voto Castitatis, vel ut Matrimonium contrahat, vel ut contracto uti possit, si extra matrimonium fornicetur, vel soluto Matrimonio novum contrahat sine nova dispensatione, peccat contra Votum.
    - 2. Episcopi & alii habentes facultatem ordinariam dispensandi in Votis, possunt dictam facultatem exercere tum secumipsis in propriis Votis mediante Confessario, videlicet, conferendo illis talem potestatem, a cujus judicio oportet eos dependere, tum cum suis Subditis etiam extra Diœcesim existentibus, quia dispensatio est actus jurisdictionis voluntariæ.
- **II. Exigit Causam justam & rationabilem, qualis censetur**
  - 1. Honor Dei, utilitas, seu bonum Ecclesiæ, aut Reipublicæ.
  - 2. Spiritualis fructus ipsius Voventis.
  - 3. Periculum morale sæpius violandi Votum.
  - 4. Periculum Incontinentiæ, non quidem quodvis, sed maximum periculum lapsus frequentis.
  - 5. Imperfecta deliberatio in voto emittendo.
  - 6. Notabilis difficultas superveniens Executioni Voti.
  - N. B. *Dispensans & petens dispensationem in Votis sine justa causa, peccant mortaliter, sicut & negans, quando adest causa justa*, ex Sporer., Tract. 5. in 2. Decalogi præcept. c. 3. n. 43. & seqq.
  - Item *nemo potest vel dispensare, vel commutare Votum, cujus dispensatio, vel commutatio vergeret in præjudicium Tertii, hinc nequit dispensari promissio facta ac [illegible] v. g. Ecclesiæ, vel Pauperi ab his acceptata, nisi hi remittant, & condonent jus acquisitum.*

TAB. L. *De Commutatione Votorum.*

Votorum Commutatio

I. Competit

1. Habenti facultatem a Sede Apostolica commutandi Vota, quæ ordinarie conceditur tempore Jubilæi omnibus Confessariis ab Ordinario approbatis commutandi omnia Vota, exceptis Castitatis & Religionis.

2. Cuivis habenti facultatem dispensandi in Votis, quia juxta Reg. 53. juris in 6. *cui licet quod plus est, licet utique quod minus est.* Imo habentibus facultatem dispensandi consulendum est, ut nunquam simpliciter dispensent, sed commutent, quod facere possunt in opus etiam evidenter & manifeste minus.

3. Cuivis propria auctoritate in opus quod spectatis omnibus creditur melius, Deoque gratius, loquendo semper cum exceptione quinque Votorum Papæ reservatorum, utpote, quæ nec inter se, neque cum aliis operibus, licet manifeste præstantioribus, commutari valent; in opus vero sive evidenter æquale, sive minus bonum, nemo potest propria auctoritate commutare Votum suum.

4. Cuivis propria auctoritate quæcumque vota sive realia, sive personalia, etiam ex quinque reservatis in Votum solemne Religionis per professionem Religiosam emissam.

5. Nulli commutandi Votum, sive suum, sive alterius in opus quodcumque cum præjudicio tertii non remittentis jus sibi acquisitum, quia nemo absque sua culpa, seu innocenter privari potest jure sibi acquisito.

II. Causa ejusdem

1. Justa esse debet, cum commutatur in opus æquale.

2. Major, dum fit in opus minus bonum.

3. Nulla requiritur, dum commutatio fit in opus evidenter melius.

4. Ubi non adest commutans in opus æquale, vel non notabiliter minus bonum, valide quidem commutat Votum; sed peccare venialiter censendus est, nam venialiter illicita est talis commutatio.

5. Ubi nulla subest commutans Votum in opus notabiliter inæquale & minus bonum, v. g. jejunium unius diei in quinque Pater & Ave, peccaret mortaliter & commutatio foret nulla.

6. Justa censetur

- Ad commutandum Votum in opus æquale quævis etiam levis, spectans ad honorem Dei vel utilitatem & consolationem voventis: imo censetur sufficiens, si vovens majori cum promptitudine, ac solatio debitum sui voti in alio opere impleturus sit, aut si instanter petat, ut suæ fragilitati consulatur.
- Ad commutandum in opus notabiliter minus impediens, aut notabiliter aggravans difficultatem exequendi votum: non tamen requiritur tanta, quanta in dispensatione.

III. In Praxi facienda e. g. Votum

1. Castitatis; in Castitatem conjugalem; in confessionem & communionem singulis mensibus: in recitationem quotidianam tertiæ partis Rosarii: in jejunium singulis sextis Feriis.

2. Religionis; in statum Sacerdotalem, aut Castitatem conjugalem & recitationem quotidianam Officii Divini, aut integri Rosarii; in jejunia Religionis illius, in aliquas eleemosynas singulis annis ad honorem S. Fundatoris illius Religionis & in confessionem & communionem bis in mense frequentandam.

3. Suscipiendi Ordines Sacros; in recitationem quotidianam Officii Mariani, vel Rosarii, aut septem Psalmorum Pœnitentialium cum Litaniis, & in confessionem, vel communionem bis in mense; in votum castitatis in statu laicali, vel certe in jejunium hebdomadale.

4. Jejunii in pane & aqua singulis Feriis Sextis; in prandium cum aqua & collatiunculam vespertinam cum modico vino, adjecto examine vespertino eo die faciendo.

5. Peregrinationis; in Confessionem, Communionem & visitationes Sanctorum, ad quos erat directa peregrinatio, habita reflexione tum ad labores itineris supplendos per alia pia opera injungenda, tum ad expensas quas facere debuisset saltem in accessu & mora juxta decentiam sui status supplendas pecunia, vel illi Ecclesiæ ad quam peregrinari statuerat, vel alteri, vel pauperibus eroganda. An vero computandæ veniant etiam expensæ quas vovens facere debuisset in regressu, discrepant Authores, affirmant aliqui, negant alii ex eo quod votum Peregrinationis impleatur per accessum.

N. B. *Non tenetur exequi opus subrogatum ille, cui Votum fuit commutatum, sed manet in libertate voventis, vel Votum implere, vel opus subrogatum; quod si non velit illud exequi, tenetur hoc implere ex Virtute Religionis adeo, quod illud non implens peccet graviter, vel leviter pro gravitate, vel levitate operis subrogati contra virtutem Religionis. Quod si opus subrogatum evaderet impossibile, licet ex culpa ipsius voventis, Vovens omnino liberaretur, nec teneretur redire ad pristinum Votum suum.* Ex Comm. Sporer Tract. 3. in 2. Decal. præcep. c. 3. n. 136.

TAB. LI. *De Obligatione audiendi SS. Missae Sacrificium.*

Præceptum de audienda Missa

I. Obligat sub mortali omnes Christifideles usum rationis, vel saltem annos discretionis adeptos, singulis diebus Dominicis & Festivis non abrogatis, *Ex Innocent. XI. damnante proposit.* 52., ac etiam dispensatis quoad labores serviles tantum. Extra quos dies nemo obligatur, ne quidem Episcopus, licet deceat ut hic quotidie vel celebret, vel audiat Missam. *Ex cap.* Quoniam 2. *de Privilegiis in* 6.

II. Satisfit præcepto, sive audiatur

1. Missa de Festo occurrente, sive votiva, sive solemnis, sive privata, Ritu quocumque Græco, Latino, vel Armeno. Imo pro locis, ubi Latini Græcis permixti sunt, quamvis Græci vel Armeni essent Schismatici, Azorius *Tom. I. lib.* 8. *cap.* 11. *quæst.* 10. imo & Concina, quorum rationes etsi veræ videri possint speculative, in praxi tamen valde difficiles, advertit Tournely *in Decal. cap.* 4. *art.* 1. *punc.* 3. *qu.* 7.
2. In quacumque hora diei, etsi celebrata licite, vel illicite post mediam noctem, aut hora secunda, vel tertia post meridiem.
3. In quacumque Ecclesia etiam extra propriam Parochiam, præciso contemptu. Minimeque dubitandum, si audiatur in Ecclesiis ORDINUM MENDICANTUM, ut declaravit Leo X., S. Pius V. & novissime Benedictus XIV. *in Syn. Diœc. lib.* 11. *c.* 14.
4. In Oratoriis Privatis Cardinalium, Episcoporum & Regularium sitis in eorum Conventibus, secus vero sitis in eorum Grangiis, seu prædiis ruralibus. *Ex Rescripto S. Congreg. an.* 1687., & multo minus in Oratoriis Privatis Sæcularium, nisi respectu privilegiatorum, inter quos venit etiam ipse minister, sive possit, sive non possit haberi alius privilegiatus.

III. Requirit pro sui observantia

1. Præsentiam saltem moralem adeo, ut celebrans videri, vel audiri, ad minus ex signis colligi possit, quid ab eo in Missa agatur, & ideo satisfacit assistens in cœmeterio, vel fenestra domus, saltem si fenestra sit conjuncta cum Ecclesia ipsa, ita ut inter Ecclesiam & fenestram non intermedieret nisi paries, in quo est fenestra; secus si inter Ecclesiam & fenestram intercederet via.
2. Præsentiam Religiosam, ut nimirum cum pio motu in Deum, seu animo Deum colendi, sacrificio Missæ quis assistat.
3. Intentionem saltem virtualem & interpretativam ex parte voluntatis, non quidem satisfaciendi præcepto, sed Missam audiendi.
4. Attentionem ex parte intellectus, quæ debet esse non solum externa, sed plurimum interna, vel ad ea, quæ Sacerdos dicit, vel ad Deum ipsum, cui offertur sacrificium, vel ad mysteria divina, quæ in Missa significantur, vel ad alias res divinas; quæque non tollitur sive per extasim, sive per actus dispositivos ad confessionem (secus per ipsam confessionem præsertim longiorem), sive per orationes privatas, etsi obligatorias, sive per distractiones involuntarias.
5. Auditionem integræ Missæ; unde peccaret
   - Mortaliter omittens dimidiam, vel tertiam partem, e. g.
     - Principium usque ad Evangelium inclusive.
     - A communione inclusive usque ad finem.
     - Introitum, Epistolam & reliqua post sumptum Sacrum Sanguinem.
     - Non assistens consecrationi utriusque speciei.
     - Audiens Missam a duobus Sacerdotibus successive juxta probabiliorem.
     - Audiens duas, vel tres Missæ partes a pluribus Sacerdotibus simul celebrantibus, *ex Innocent. XI. damnante Propos.* 53.
   - Venialiter omittens minus tertia parte; ut principium usque ad epistolam etiam inclusive, vel a Communione exclusive usque ad finem, nisi justa causa illum excuset.

N. B. *Tarde comparens ad Missam etiam peracta jam consecratione, tenetur residuam partem audire pro casu, quo aliam Missam audire non posset.*

IV. Eximit laborantes impotentia, sive

1. Physica; qualis censetur eorum, qui in carceribus detinentur, graviter decumbunt, degunt in locis ubi nullus Sacerdos habetur, e. g. inter infideles.
2. Morali, qua censentur laborare
   - Distantes a loco, cum distantia, attentis circumstantiis personarum, sexus, ætatis, tempestatis &c. conjuncta est cum non modica corporali incommoditate. Ex quo capite nunquam audiendi sunt excusantes quemlibet etiam robustum virum, si pro auditione Missæ deberet pedibus conficere iter unius horæ; hinc multo magis damnandæ de gravi culpa quædam delicatulæ, quæ tempore hyemis ob quamdam plusculam aeris severitatem, vel tolerabilem ventum paucos passus usque ad Ecclesiam facere pertimescentes, statim propterea putant se deobligari ab auditione Missæ; quas tamen, aeris rigorem nihil pendentes persæpe & eadem die videre contingit extra domum incompositas, pectore immodeste ad conversantium oblectamentum reserato.
   - Non valentes audire Missam sine gravi incommodo sive suipsius, sive proximi, sive corporis, sive animæ.
   - Ex consuetudine tempore luctus & fœminæ post puerperium: qui tamen omnes tenentur sub gravi peccato præstare aliud pium opus, juxta probabiliorem, saltem diebus Dominicis, *ex Socio in* 3. *dist.* 9. *qu. unica* §. *ad secundo.* Imo juxta aliquos etiam aliis diebus festivis. Paulo a Lugduno, cui suffragatur Praxis Fidelium timoratorum & Confessariorum, tamquam obligatoriam habentium; & Alexander III. *Cap.* Licet *de Feriis*.

TAB. LII. *De Obligatione abstinendi ab operibus servilibus et forensibus diebus Dominicis, et Festivis.*

Dominicis & Festivis diebus abstinendum est ab operibus

- I. Servilibus, seu quæ commoditati corporis inserviunt, & a servis, seu hominibus vulgaribus passim & regulariter fieri solent, qualia
  - Censentur
    1. Omnia opera ruralia, ut fodere, arare, metere, secare &c.
    2. Omnia opera artium non liberalium, seu mechanicarum, ut lignariæ, ferrariæ, argentariæ &c.
    3. Omnia opera ad quotidianum usum, ac necessitatem vitæ pertinentia, ut sternere lectos, cibos præparare, utensilia lavare & similia, quæ tamen si non possunt, vel non solent anticipari, possunt exerceri, & de facto exercentur. N. B. ex permissione Ecclesiæ.
    4. Terere colores, tabulas, seu etiam telas extendere, easque colore crasso fundamentali linire in ordine ad pingendum, & a fortiori characteres imprimere mediante torculari.
    5. Iter facere in lectica ab hominibus portata.
    6. Venari, piscari, aucupari, belligerare & militares exercitationes instituere, licet aliqui velint consuetudine permissum esse piscari, aucupari, venari sine magno apparatu, tumultu, labore, uti & bellare, cum de facto videatur quod consuetudo cohonestaverit artem militarem & quasi elevaverit ad artem liberalem.
    7. Ducere animalia & currus, seu vecturas onustas de loco ad locum, extra casum, quo itinera fuissent inchoata, ab eis interrumpi non possunt sine notabili damno, juxta probabiliorem.
    8. Ducere lineas pro notis musicalibus seorsim, saltem extra casum, quo id fieret ad notas statim & de præsenti efformandas, quia in tali casu ductio illa linearum se haberet tamquam quid accessorium ad scriptionem notarum, quæ ex mox dicendis licita est.
    9. Acu pingere, seu vulgo Ricamare. Ex Concil. Aquisgranensi apud Torrellum *Tom.* 3. *in* 3. *Decal. præcep. c.* 3., quamvis aliqui, cum Armilla apud Leandrum & Sporerium *Tract.* 3. *in* 3. *Decal. præcep. c.* 4. *n.* 45., negent esse opus servile, eo quod similitudinem quamdam habeat cum actu pingendi; & videatur proprium ingenuarum fœminarum & opus ingenii ostentativum. Tu vero laxare habenas Acediæ ne præsumas hac tempestate qua fœminæ, ut plurimum ingenuæ & nobiliores, vix non ignorant Dei cultum festivis diebus.
  - Non censentur
    1. Scribere & transcribere quodcumque, etiam notas musicales, licet pacto pretio, apud Bassæum verbo Festum *n.* 8., cui tamen multi non consentiunt.
    2. Ducere jumenta sine onere.
    3. Iter facere, sive pedibus, sive equo, sive curru, navi, sive lectica a jumentis portata.
  - *Nota*
    1. *Non licere diebus Dominicis Festivis injungere opera servilia servo infideli, juxta probabiliorem.*
    2. *Opera, quæ alias servilia non sunt, diebus Dominicis & Festivis posse exerceri etiam pro lucro & mercede juxta veriorem.*
    3. *In labore servili dari parvitatem materiæ, quæ* juxta communiorem & probabiliorem, *censetur labor unius horæ etiam per respectum ad plures simul ex Mandato Domini laborantes, secus vero per respectum ad plures successive.*
- II. Forensibus ex præcepto Ecclesiastico, (per textus relatos toto *t.* 9. *de Feriis*, fundato in præcepto v. t.) quod obligat sub mortali, talia sunt
  1. Mercatus, seu Nundinæ tam solemnes, quam hebdomadales, quæ tamen ex consuetudine permittuntur & permitti possunt extra tempus quo divina celebrantur. *Ex Bened. XIV. Constit. quæ incipit*, Ab eo tempore. *Tom.* 1. *Bull.* §. 28.
  2. Strepitus civilis & judicialis, uti est partes audire, examinare, testes adducere, sententiam ferre. *Ex Cap.* Conquæstus 5. *de Feriis*.
  3. Judicium criminale, seu ferre sententiam mortis, aut alterius pœnæ corporalis; secus vero ferre sententiam Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti.
  4. Sacramentum publicum, seu juramentum judiciale præstare; secus vero extrajudiciale, juxta probabiliorem, saltem præstitum extra contractus; nam iniens contractum aliquem die Festo prohibitum sub nomine mercatus, illumque juramento confirmans, duplex peccatum committit; secus vero exercens contractum non prohibitum & illum juramento firmans.

  N. B. *Forensia mox recensita prohibentur ab Ecclesia diebus Dominicis & Festivis, ut evitentur jurgia, dissensiones, sæcularesque distractiones, quas secum adferunt prædictæ actiones.*

  2. *Actus peccaminosi exerciti diebus dominicis & festivis non inducunt malitiam contra virtutem Religionis specie distinctam, sed circumstantiam aggravantem, juxta probabiliorem, aperiendam tamen in confessione.*

TAB. LIII. *De Causis excusantibus ab obligatione feriandi diebus Dominicis et Festivis.*

Excusantur ab obligatione feriandi diebus dominicis, & festivis titulo

I. Necessitatis gravis, sive alienæ, sive corporis, sive animæ

1. Conflatores ferri & vitri, coctores laterum, & similes.
2. Piscatores Halecum, aut Thunnorum & similium piscium, qui certis dumtaxat temporibus vel horis capi possunt. *Ex cap.* Licet 3. *de Feriis.*
3. Agricolæ, qui propter diuturnas pluvias præteritas, vel certo superventuras, diebus dominicis, festivisque fruges & fœnum metere, secare, congregare coguntur.

N. B. *Non autem ex hoc capite excusantur, qui hodiedum cum gravissimo scandalo & admiratione Infidelium & Heterodoxorum diebus Dominicis & Festivis colligunt, vehunt triticum, paleas, fœnum in locis australibus, ubi passim est longissima serenitas & pluviæ desiderantur; viatrini, qui similia exercent; sed multo magis, qui talia vel mandant, vel permittunt.*

4. Medici & Chirurgi pro infirmis laborantes.
5. Servi & Ancillæ coacti a dominis (quos non possunt deserere absque evidenti periculo amittendi servitium & difficultate obtinendi aliud laborare), vel laborantes pro seipsis, quod aliis diebus non valent; intellige tamen pro tempore, donec alium dominum inveniant, derelicto priori.
6. Sartores laborantes necessaria pro funeribus, vel nuptiis.
7. Coqui & Culinarii pro victu præparando, occidentes, excoriantes, vel deplumantes animalia.
8. Fabri ferrarii calceantes equos pro itinerantium necessitate.

II. Pietatis erga

1. Deum, ut
   - Portantes Vexilla, vel Labara in publicis processionibus.
   - Sonantes Campanas, Pulsantes Organa.
   - Altaria & Templa ex vera necessitate ornantes.
   - Ecclesiam purgantes ex vera necessitate.
2. Proximum ut
   - Extinguentes incendium, aliudque malum a proximo avertentes.
   - Tumbas, aut vestes funebres conficientes.
   - Succurrentes opere, manu &c. proximo in extrema, vel gravi necessitate constituto.
3. Seipsum ad vitandum otium, vel probabile periculum peccandi, quando aliter vitari non posset tentatio; secus vero ad vitandum præcise otium.

III. Consuetudinis

1. Mercatores publice vendentes merces victui humano necessarias, saltem post tempus sacrorum.
2. Opifices præparantes ad Vesperam materiam sequentibus diebus laborandam. Ad breve tempus.
3. Molitores & Naucleri pendentes a ventis.
4. Laniones & Pistores, qui carnes, aut panes alio tempore præparare, aut coquere non possunt in concursu magno populorum & festorum; nequaquam vero ut cupediæ, seu mollitiei inserviant eorum, qui quotidie recentes panes volunt.
5. Barbitonsores tondentes, etiam præciso lucro cessante: quamvis hujusmodi consuetudo alias fuerit improbata a Joanne XXII., & ideo ad summum admitti potest pro casu, quo aliis diebus id præstari non posset; vel aliter familiæ suæ subvenire impares tonderent rusticos, aut opifices, qui perpetuo depressi labore ipsos profestis adire non possunt.
6. Venatores, Piscatores, qui leporem cum uno, aut altero cane insectantur, exiguisque rebus aucupantur; modo talibus laboribus ita inserviant, ut nihil eorum prætermittant, quæ ad piam Festorum celebrationem necessaria sunt, ut concludatur ex quadam recreatione potius id eos practicare. *Unde Vir Nobilis, qui, audita Missa, majori diei parte venationi indulget, videtur reus dubie saltem peccati mortalis; imo hic lethale peccatum arguerem, si vir ille a venatione reversus, nihil amplius in gratiam Dei faceret: ita sentit Henno p. 234. A fortiori igitur sacrorum dierum violatores censeri debent, qui magnam eorum partem in popinis transigunt, aut vinum transigentibus præbent, contra Ecclesiæ & Principum leges. Ex erudito Continuatore Tournely Tom. 5. mor. pag. 582.*

N. B. *Consuetudo circa opera servilia exercenda diebus dominicis & festivis magis attendenda, quam lex alia scripta (humana intellige) ita Gerson relatus a Benedicto XIV.* in suis Instit. Eccl. Instit. 43. *quæ ex eodem dicenda esset potius corruptela tunc solum, quando a servitio Dei & a cultu festorum, & maxime ab auditione Missæ totaliter revocaret.*

IV. Dispensationis, quam impertiri possunt

1. Papa omnibus omnino Christifidelibus.
2. Episcopus, ejusque Vicarius Generalis per Epichejam, vel ex consuetudine suis Diœcesanis. *Ex Declar. S. Congreg. apud Ferraris, Verbo, Festa. n.* 21.
3. Vicarius Foraneus ex eadem, apud præfatum *ibid. n.* 33.
4. Parochus suis Parochianis solum pro casu quo nec Episcopus, nec hujus Vicarius Generalis, nec Vicarius Foraneus conveniri possent.
5. Superior Regularis cum suis subditis Religiosis, non vero sæcularibus, licet famulis, aut domesticis. *Ex Portello. Verb. Abbas num.* 11. *Ferraris ibid. numer.* 39. & 40. *Pellizarius Tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 30. &c.

N. B. *Nullus inferior Papa absque justa & rationabili causa sive valide, sive licite potest dispensare super obligatione feriandi. Ex quo consectarium est, Confessarios defectu jurisdictionis in foro externo non posse dispensare, sed solum pro foro conscientiæ declarare, quod præceptum feriandi, attentis circumstantiis & motivis, hic & nunc non obliget.*

TAB. LIV. *De Essentia Jejunii Ecclesiastici, et modis quibus violatur.*

Jejunium Ecclesiasticum est *religiosa abstinentia a cibo & certa ciborum qualitate statuto tempore ad Deum colendum, & carnem propter Deum mortificandam,* quod

I. Non est præcise actus temperantiæ, vel abstinentiæ, sed Religionis, spectans ad observantias sacras, utpote ad cultum Dei & carnem propter Deum mortificandam ordinatus, tamquam ad suum proprium finem; ex quo fit, quod si quis abstineret a cibo, sive parsimoniæ, sive sanitatis, sive avaritiæ, sive etiam temperantiæ causa absque ulla seu expressa, seu implicita intentione Deum honorandi, aut carnem propter Deum mortificandi, non diceretur celebrare jejunium Ecclesiasticum.

II. Est de præcepto, ut nimirum statutis temporibus observetur; quod præceptum juxta probabiliorem est juris solum positivi Ecclesiastici, obligans tamen sub gravi culpa. *Ex Alexandro VII. damnante Propos.* 23.

III. Afficit omnes Christifideles completo ætatis vigesimo primo anno, quamvis reperiretur qui non indigeret maceratione carnis.

IV. Essentialiter exigit

1. Abstinentiam
   - A carnibus eorum animalium, quæ in terra oriuntur, & in terra vitam ducunt, quorum usus moraliter interruptus multiplicat numero peccata.
   - Ab ovis & lacticiniis, id est ab illis, quæ lacte proficiscuntur, vel conficiuntur, uti caseo, butyro, sed probabilius solum tempore quadragesimæ, nisi in aliquo loco adesset consuetudo etiam aliis jejunii temporibus abstinendi ab ovis & lacticiniis, quæ obligaret sicut tempore quadragesimæ. *Ex D. Thoma* 2. 2. *qu.* 147. *artic.* 8. *ad* 2. Excipe partes Germaniæ tam in, quam extra quadragesimam.
   - A sagimine, seu pinguedine ex larido porcino, adipe anserum, ac aliorum animalium, nec non sanguine animalium; quæ neque in Regionibus Septentrionalibus admittuntur.

2. Refectionem unicam, quæ
   - Attento fine jejunii videtur potissimum constitutivum jejunii, cum concupiscentia carnis videatur magis reprimi per unicam refectionem in die, quam per simplicem abstinentiam a carnibus.
   - Continuari moraliter debet, unde qui sufficienti prandio semel sumpto rediret post quadrantem, violaret jejunium; qui vero, prandio non sufficiente sumpto, ex necessitate illud interrumperet, posset redire: si vero absque necessitate, non nisi per unam horam.
   - Sumi debet modernis temporibus juxta consuetudinem circa undecimam, vel duodecimam, juxta horologium Germanicum, id est, vel una hora ante, vel in meridie, quæ hora servanda est etiam ab iis qui ex dispensatione vescuntur carnibus. *Ex Bened. XIV. Constit. quæ incipit.* Si Fraternitas, *inserta Tom.* 1. *Bullar. ejusd. fol.* 556. *edit. Rom. in resp. ad* 3. *quæsitum.*
   - Unica refectio si protrahatur usque ad vesperam, nullum committitur peccatum, quia esset conformitas & quidem sancta & meritoria cum primitiva Ecclesia.
   - Si anticipetur absque justa & rationabili causa notabiliter, v. g. per horam, multi & gravissimi Doctores volunt committi peccatum mortale, licet communis & probabilior nonnisi peccatum veniale agnoscat.
   - Exigit abstinentiam a carnibus ex præcepto negativo, & ideo quoties quis comedit carnes in die jejunii, toties peccat mortaliter.
   - Excludit secundam refectionem ex præcepto principaliter negativo; hinc non solum per integram secundam refectionem violatur jejunium, sed etiam per alias.
   - N. B. *Navarrius, Mastrius, Castropalaus, Felix Potestas & alii apud Sporer* in Append. ad 3. Decal. præc. n. 8. *Ferraris* verbo *Jejunium* art. 1. n. 37. *Ex eo quod præceptum jejunii non obliget ad impossibile, nam sicut violatum per secundam integram refectionem impossibile est resarcire ut unica sit refectio; sic impossibile est illud ulterius frangere jam fractum ex integro. Nihilominus talem ulterius comedentem dicendum est peccare saltem venialiter contra finem legis, qui est carnis mortificatio.*

V. Violatur, si

1. Extra permissam unicam refectionem ad satietatem, & collatiunculam vespertinam sumatur aliquid per modum cibi vel refectionis, ut lac, jusculum, puls. Hinc qui sumeret cocholatum ad modum polentæ, aut densæ pultis, violaret jejunium, in quo sensu intelligendus est Benedictus XIV. ubi negat licitum esse iteratum in die usum cocholati, *lib. Institut. Eccles. instit.* 15. §. *Traditum fuit.*
2. Sumatur secunda integra refectio, qua sumpta, sive scienter ex justa, vel injusta causa, sive ignoranter & inadvertenter per ulteriores, semper peccatur *juxta probabiliorem.*
3. Sumpta refectione sive advertenter, sive inadvertenter in carnibus, sumatur secunda in cibis esurialibus, cum jejunium potissime consistat in unica refectione.

VI. Non Violatur, si

1. Regionibus Septentrionalibus in refectione permissa sumantur lacticinia, utpote quorum usus ex indulto Pontificio, & ex consuetudine communiter recepta etiam tempore Quadragesimæ in dictis Regionibus licitus est. *Ex Bened. XIV. lib. Instit.* 16. §. Non ignoramus.
2. Refectio unica sumatur in quacumque quantitate ex cibis non vetitis, et si finis extrinsecus, qui non cadit sub lege, non servetur.
3. Extra communem refectionem sumatur aliquid per modum medicinæ, ut bolum panis, aromata, dummodo in modica quantitate & seclusa fraude jejunii.
4. Extra communem refectionem sumatur bolum panis, vel quid simile, ne haustus noceat, dummodo id non fiat sæpius in die & in fraudem jejunii. Quod est prohibitum ab Alexandro VII. in damnatione prop. 29.
5. Extra communem refectionem sumantur, quæ habent rationem potus, ut vinum, cerevisia, mulsum, aqua sacchato condita, Caffè, Thè; quod verum est, etsi vinum non sumeretur ad sitim extinguendam, vel facilitandam ciborum digestionem, sed & ad ventris famem propulsandam. *Divus Thomas,* 2. 2. *qu.* 147. *art. ad* 2. quidquid aliqui contrarium sententiant.
6. Cocholatum sumatur per modum potus, seu ipsa materia misceatur aquæ in minori quantitate, v. g. sex unciis aquæ una uncia misceatur cocholati, juxta probabiliorem.
7. Collatiuncula vespertina sumatur ad aliquale etiam corporis nutritionem, quæ tamen non debet excedere quartam partem justi prandii; consultum quidem est, ut fiat in modico pane, fructibus & similibus, si tamen in ea sumeret quis id quod habet rationem veri cibi in modica quantitate non videretur condemnandus de violatione jejunii.

N. B. *Violatio Jejunii Ecclesiastici admittit parvitatem materiæ, etiam in ipso usu carnium, quæ censetur media, vel una uncia, in cibis vero esurialibus una, alterave uncia.*

Violatio jejunii per comestionem carnium, ovorum, lacticiniorum, specie morali differt a violatione jejunii per secundam integram refectionem, juxta plures; hinc in confessione necessario aperienda, Ferraris verbo *jejunium,* articulo 1. n. 64.

TAB. LV. *De Causis excusantibus ab obligatione jejunandi:*

Eximuntur a lege jejunii titulo

- **I. Impotentiæ**
  - 1. Physicæ, qua censentur laborare, vel non habentes nisi cibos carnales, vel non valentes absque te vesci cibis esorialibus.
  - 2. Moralis, qua censentur laborare
    - Infirmi *ex cap.* Consilium 2. *de Observatione jejuniorum:* ad quos reducuntur convalescentes, infirmæ adeo complexionis, aut debilis stomachi, prægnantes, lactentes, quæ tamen per se loquendo carnibus vesci non possunt.
    - Adolescentes, qui vigesimum primum ætatis annum non compleverunt quamvis sani & robusti, nisi speciali voto sese adstrinxissent, aut vi Regulæ, uti Fratres Minores a die professionis, obligarentur. Quibus tamen post septennium non conceditur esus carnium.
    - Senes sexagenarii, qui tamen, juxta probabiliorem, absolute non eximuntur, consequenter si sint sani & robusti tenentur jejunare: idemque dicendum de fœminis.
    - Pauperes & mendici ostiatim mendicantes, & alii non habentes quo semel in die reficiantur, ex Benedicto XIV. *Instit.* 15. §. Illud. Qui si cibos quadragesimales habere non possunt, licite comedunt quidquid acquirunt, etiam carnes, quod verum est etsi panem sufficientem haberent, saltem pro casu quo per plures dies quis solo pane se sustentare deberet.
    - Non valentes tota nocte calefieri, vel dormire, juxta aliquos: verum horum opinio communiter & merito rejicitur, quia hujusmodi, sumpta mane collatiuncula, possent ad vesperum sumere prandium.
- **II. Laboris incompatibilis cum jejunio, qualis censetur**
  - 1. Rusticorum arantium, ligone terram volventium, ligna cædentium &c.
  - 2. Fabrorum, Ferrariorum, Lignariorum, Murariorum, Lapicidarum, Sutorum, Textorum.
  - 3. Prælum Typographicum versantium, Cerariorum &c. Qui tamen die, qua non laborant, tenentur jejunare.
  - 4. Cursorum, omniumque itinerantium, non solum pedibus per magnam diei partem, sed & equo & curru, supposita magna defatigatione, uti reperitur inter equitantes vel cursitantes per octo vel decem horas, vel per devia & invia, ubi viæ vel nunquam factæ, vel non sunt reparatæ, sive dein iter sit ex necessitate, sive sponte assumptum. Ferraris *Verbo* jejunium *art.* 2. *n.* 27. ex Communi. Iter autem unius diei neminem excusat, ex Alexandro VII. *damnante propos.* 31. idest, si non nisi illa die debeat itinerari & vires sufficientes habeat.
  - N. B. *Sponte assumentes iter in die jejunii, a quo commode abstinere possent cum prævisione defatigationis incompossibilis cum jejunio, peccat mortaliter, juxta probabiliorem; quia præcipiens finem ipso facto censetur præcipere ea, quæ ad talem finem conducunt, simulque e converso prohibere omnia illa quæ cum impletione præcepti sunt incompossibilia.*
- **III. Pietatis seu exercitii operum misericordiæ tam spiritualis, quam corporalis, vi cujus excusantur**
  - 1. Concionatores, qui quotidie concionantur, si jejunium sit incompatibile cum profectu spirituali animarum, petita a Superiore respectivo dispensatione.
  - 2. Professores ac Lectores continuis studiis vacantes, Confessarii assidui, præsertim in magnis concursibus a summo mane usque ad summum vespere sedentium. Ex Communi, Felix Potestas *in suo Examine Confessariorum n.* 1929. cui videtur aperte suffragari D. Thom. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 4. *ad* 3.
  - 3. Uxores, vel Mariti non valentes cum jejunio componere obligationem reddendi debitum conjugale (nisi precibus valeant sese invicem retrahere), qui tamen in hunc finem non tenentur abstinere a jejunio, utpote jus habentes ad opera spiritualia (intellige juxta temperantiam Christianam, nequaquam ad effrænatæ libidinis expletionem), quia alias dici deberent ex integro & toto anno tales maritati a lege jejunii exempti.
  - 4. Uxores non valentes iram & contentionem mariti compescere & effugere, nisi cœnent cum ipso, secluso tamen contemptu, & de Parochi licentia.
  - 5. Instituentes longam peregrinationem ex voto, vel præcepto Confessarii, vel etiam ex vero zelo magno pietatis affectu, quæ alia die commode institui nequit.
- **IV. Dispensationis**
  - Quam dare possunt
    - 1. Papa omnibus Christifidelibus tam disjunctive, quam copulative, valide etiam sine justa causa.
    - 2. Episcopi suis respective subditis, tum generalem ex gravissima & urgente necessitate, tum particularem ob legitimam causam, ex Communi. Sporer *in Append. ad* 3. *Decalogi præcept. n.* 66., & Bened. XIV. *Constit.* Non Ambigimus, *Tom.* 1. *Bull. fol.* 48. *edit. Rom.*
    - 3. Prælati Regulares, intellige etiam Priores, Rectores, Guardiani, suis subditis, ex privilegiis Eugenii IV. & Clementis VII. *teste Pellizario, Tom.* 1. *Tract.* 5. *n.* 65.
    - 4. Parochi suis Parochianis in particulari, absente tantum Episcopo, vel ejus Vicario.
  - Cum præcisione
    - 1. Dispensatus in esu carnium ob debilitatem virium, ad quas recuperandas est necessaria secunda refectio, censetur quoque dispensatus a lege jejunii; secus vero dispensatus ex causa nequaquam respiciente debilitatem, juxta probabiliorem & veriorem; quodque observari debere ab Episcopis dispensantibus, præcipit Bened. XIV. *Constit.* Cognovimus *edita* 18. *Maji* 1742., *inserta Tom.* 1. *Bull. ejusd. fol.* 164.
    - 2. Dispensatus in esu carnium non nisi carnibus salubribus vesci potest, ex Decret. Clem. XI. Romæ publicato *anno* 1702. 4. *Februarii*, & ex Benedicto XIV. *Const.* Non ambigimus *supra cit.* Hinc sine peccato mortali non potest comedere carnem suillam, aut sale conditam (intellige semper cum respectu locorum & regionum, in quibus jam ab uberibus matris homines carni suillæ assuefacti, aliis non vescuntur, imo infirmis passim dantur, uti in Hispania; qui procul dubio in illa Constitutione non comprehenduntur.)
    - 3. Dispensatus in esu carnium nequit in collatione vespertina quidquam sumere ex cibis carnalibus, ex Decr. Bened. XIV. *Constit.* Si Fraternitas tua, *Tom.* 1. *fol.* 336. *edit. Rom.* sine speciali Episcopi dispensatione.
    - Dispensatus in esu carnium, non potest simul cum carnibus comedere pisces saltem proprie tales. Ex Bened. XIV. *Constit. quæ incipit.* Si Fraternitas *suprad. ad* 4. *quæst.*, ad quam Constitutionem eludendam, justificandamque dilicatulorum gulositatem, qui infirmitates ex sacco pro libitu proferunt, videtur a quibusdam Medicis introducta consuetudo præscribendi certos pisces infirmis; qua conscientia, vel qua religione ignoro.
    - 4. Dispensatus in esu carnium censetur pro unica tantum comestione in die, ut Clemens XIII. declarando mentem Prædecessoris sui decrevit. Hinc dispensatus in esu carnium nequit, ne quidem diebus Dominicis in Quadragesima infra diem vel vespere, comedere carnes absque speciali Episcopi licentia, *ex Epist. ejusdem Encyclica, quæ incipit* Appetente. *Dat.* 20. *Decemb.* 1759. *ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos universæ Ecclesiæ Catholicæ.*

TAB. LVI. *De Obligatione Filiorum erga Parentes.*

Obligatio Filiorum est honorare Parentes, quod præstatur exhibendo illis

- I. Amorem tamquam principalibus post Deum vitæ & existentiæ auctoribus; consequenter tamquam primis benefactoribus. Cui adversatur odium internum, huicque affinia externa signa; quæ connotant exiguum affectum erga ipsos, uti sunt sermo durus & aspectus torvus, verba injuriosa, sarcasmi, contumeliæ & maledicta &c.
- II. Reverentiam tum
  - *Internam* sitam in ea firma persuasione, quod Parentes sint Superiores majores, Legislatores, & quasi Reges suorum filiorum. Quæ violatur ab iis, quos a providentia in clariorem, nobilioremque statum collocatos pudet suorum parentum in pristina humilitate relictorum: vel pejus fingunt se eos minime agnoscere: prohibent accessum ad domum, & conviventes arcent a mensa.
    ** Excipe casum, quod id facerent quia sciunt eos infami crimine, v. g. proditionis &c. esse notatos, vel publico supplicio affectos.
  - *Externam*, quæ violari potest
    - 2. *Verbo*, duris scilicet, asperis & contumeliosis verbis illos afficiendo; & a fortiori illis, licet materialiter, maledicendo &c.
    - 2. *Signo*, risibus videlicet, subsannationibus & gesticulationibus impropriis illis illudendo; vel eos despiciendo &c.
    - 3. *Facto*, eos nimirum, etsi leviter, verberando; imo levando solummodo brachium, vel instrumentum ad percutiendum: patrem in causa, seu civili, seu criminali accusando: & quæ illis jure debentur quoad victum, vestitum, habitationem, pejora eis deputando.
    - 4. *Defectu*, non exhibendo illis consueta reverentiæ signa juxta morem Patriæ conditionis, educationis institutum, non assurgendo cum adveniunt, caput non detegendo cum transeunt & alloqui eos oportet, manus non deosculando, benedictionem ab illis non petendo, cum in longinqua migrandum &c.
- III. Obedientiam, vi cujus
  - Tenentur filii Parentibus obedire, universaliter loquendo, in omnibus licitis & honestis ad eorum curam pertinentibus adeo, quod in aliquo horum contraveniendo expresso & rigoroso eorum mandato, semper mortaliter peccent; nisi materiæ levitas, inadvertentia, vel humana quædam negligentia eos excuset, aut agatur de electione status, in quo quivis est liber, & esse debet. *Ex communi, & expressa D. Thom.* 2. 2. *qu.* 104. *art.* 5.
  - Filius, vel Filia inconsultis Parentibus contrahens Matrimonium peccat, & quidem juxta communem DD. signanter P. Concinæ *Tom.* 4. *lib.* 6. *in Decal. c.* 4. *n.* 6. mortaliter: quamvis aliquibus videatur perperam adstructa tam gravis obligatio petendi consilium, quod sequi non tenentur.
  - Filius, vel Filia contrahentes matrimonium cum persona indigna peccat quidem mortaliter: ob hanc causam tamen exhæredari nequit, si vigesimum quintum ætatis annum excessit; bene vero si minor vigesimo quinto: alimenta vero ei denegari nequeunt.
  - Filius, vel Filia volens statum amplecti sive Clericalem, sive Religiosum, si avertat Parentes id ægre laturos; proindeque aut ex carnali affectu, aut aliis mundanis futilibusque motivis sibi adversaturos, hac in re non tenetur ipsos consulere; sed illis inconsultis potest sequi Dei vocantis lumen.
  - * Cum Ecclesia a contrahendo matrimonio non arceat dignum cum indigna, aut viceversa volentem contrahere, supposita omnis impedimenti carentia, etiam sine consensu parentum; dicendum judico, si filii peccant, eos peccare non contra obedientiam debitam parentibus, sed contra virtutem pietatis & reverentiæ illis debitæ. In quo sensu intelligendus venit laudatus P. Concina.
- IV. Providentiam tum
  - Corporalem
    - Si sint, vel evadant pauperes: in quo casu strictissima juris naturalis obligatio urget filios filiasque ad præstanda parentibus in necessitate constitutis ea omnia quæ ab his sibi fuerunt impensa, signanter victum, vestitum, habitationem curando, ut pro posse serviantur ea charitatis effusione, qua illi proles suas in minuscula ætate constitutas dilexerunt. Quod sane ex Cathedra Crucis Christus docuit. Unde Augustinus *Tract.* 119. *in Joan. Facit, quod faciendum admonet, & exemplo suo suos ministros instruxit Præceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus.*
    - Hinc
      - Filius, vel Filia non potest statum Religiosum amplecti pro casu quo Parentes vel gravi vel extrema necessitate pressi filiorum ope auxiliove indigeant; & Filius remanens in sæculo possit subvenire tali necessitati; & alius non inveniatur, qui id eis præstare possit. *D. Thom. loc. cit. ad* 4.
      - Filius supposita gravi necessitate Parentum, quæ antecessit ingressum, tenetur egredi; ex supposito quod egrediendo possit eisdem subvenire, nec alii forent qui id præstare vellent: secus vero si necessitas subsecuta sit professionem. *Ex S. Thom. ibid. qu.* 101. *art.* 4. *ad* 4.
  - Spiritualem
    - 1. Instruendo illos cum charitate & reverentia in mysteriis Fidei, credendorumque ab adultis de necessitate medii, & præcepti, si forte ab illis ignorari contingat, quod maxime inter vulgares potest habere locum.
    - 2. Admonendo illos amore & reverentia comite, ubi eos in defectus & peccata labi contingat, potius rogando.
    - 3. Vigilando æternæ saluti eorum, præcipue tempore infirmitatis, ut mediorum spiritualium nihil illis desit, quatenus christiane vita fungantur; ut Sacramenta debite & congruo tempore illis administrentur.
    - 4. Post mortem suffragando, ultimam voluntatem, & dispositiones omnes accurate implendo.

TAB. LVII. *De Obligatione Parentum erga Filios.*

Obligatio Parentum est Proles

- **I. Amare, vi cujus tenentur**
  - *Bene velle* illis, saltem negative, excludendo omne odium, aversionem, rancorem, omnemque pravum affectum deliberatum; necnon omnem vitiosam prædilectionem, quæ uti ex Historia Patriarchæ Joseph, & passim videri potest, nacta est odia & inimicitias procreare: familias factionibus dilacerare, ad desperationem & ad quævis delicta proles despectas, vel minus æstimatas impellere.
  - 2. *Benefacere* eis pro posse secundum possibilitatem virium, status conditionisque exigentiam.
  - 3. *Avertere* ab illis omne malum & periculum, ex quo capite peccant illis permittendo
    - 1. Gestare arma vetita, quæ sunt proxima occasio rixarum, homicidiorum, mutilationum &c.
    - 2. Immodestam corporis compositionem; necnon indumenta, quæ gravia scandala producunt & ad luxuriam provocant.
    - 3. Promiscuas familiaritates, suspecta contubernia, solitarias conversationes cum amasiis, sub obtentu nuptiarum.
    - 4. Publicas in cubilibus, atriis &c. sculpturas, picturas scandalosas &c. hujusmodi, quarum nuditas, inverecunda positio, &c. maturius & efficacius proles in omnem malitiam inducunt.
    - 6. Prolibus, signanter filiabus, lectionem librorum, etsi non ab Ecclesia, ob periculum a jure tamen naturali prohibitorum: uti sunt Historiæ & conficti heroismi amatorum, vulgo *Romanzi*, qui subtili arte quasi ineluctabiliter venenum lasciviæ in illas transfundunt, timorem Dei enervant, vocationem abigunt, tot lapsuum filiarum, & lacrymarum matrum sunt origo.
- **II. Educare**
  - **Corporaliter: exercendo in illos providentiam**
    - 1. *Vitæ*, idest sedulam curam gerendo a tempore conceptionis, ne quidquam agant quod proli vitæ, sanitati & naturali perfectioni obesse possit ante, vel post nativitatem. Unde peccant coeundo absque ulla discretione & cautela.
    - 2. *Victus*, providendo eis necessaria ad vitæ conservationem, alimenta subministrando saltem usque ad eam ætatem, in qua seipsos alere possint pro ratione status. Mater autem nonnisi lac tenetur dare prolibus.
      - **Unde**
        - 1. Matres sanas lacte provisas absque gravi & rationabili causa proprio lacte prolem non nutrientes, vel ne matrimonii incommoda sentiant, alteri fœminæ ruri tradentes, a gravi culpa non absolvunt graves Theologi, apud Cornel. a Lapide *in Genes. c. 21. v. 7.* Quod non solum Ecc. Patres, sed & ipsi ethnici Philosophi illis exprobrant, apud Benedictum XIV. *lib. XI. Syn. Diœces. c. 7. n. 9.* Non minus peccant Mariti id uxoribus prohibentes: hinc namque convincuntur matrimonium iniisse ad carnis oblectamentum potius, quam ad christianam prolis susceptionem & educationem, quæ plurimum a lacte pendent. Et licet Navarrus apud laud. Pontif., & præfatus a Lapide nonnisi peccati venialis reas faciant, exsybilandi tamen veniunt, qui cum Elbel *in 4. Decal. præcep. Confer. 20. n. 567.* fœminas nobiles & illustres omni culpæ subtrahunt, *ubi consuetudo invecta sit, eoquod eis dedecori esset:* nam nobilitas, quæ nec mutare nec præscribere potest contra divinum & naturale institutum, non est causa legitima, ait sapientissime P. Concina, eludendi gravissimam hanc obligationem. Non enim confictus pudor, aut abusus quarumdam nobilium (quæ quidem verecundantur ubera prolibus sugenda proferre, minime vero fovendæ suorum amasiorum libidini, pectus turpissime nudatum præseferre publicamque pusillis lapsus occasionem præbere, quasque insectatur Ezechiel c. 16. *Ubera tua intumuerunt, & eras nuda & confusione plena*) accipiendi sunt pro regula, sed naturæ institutio, & matres sanctæ, & ex regio sanguine prognatæ, quas certe non puduit propriis proles lactare uberibus. *Vid. Bened. XIV. loc. cit. n. 11.*
        - 2. Parentes tradentes proles suas Hospitalibus alendas absque vera necessitate, peccant mortaliter, & in pœnam privantur patria potestate: quod si id faciant vel ob paupertatem, vel ne infamiæ notam, ob illegitimitatem, incurrant, nullum committunt peccatum. Exponentes tamen, si sint divites, tenentur refundere expensas, nisi in contrarium constet de mente Fundatoris.
    - 3. *Status* in futurum
      - 1. Quæ exercetur curando ut proles pro ratione status erudiantur in congruis artibus & scientiis, reliquendo eis post mortem saltem legitimam, præcisa justa eos exhæredandi causa; in quo casu juxta magis piam sententiam, tenentur ad præstanda alimenta, quæ debentur plane illegitimis & spuriis. *Ex Cap.* Cum haberent 5. *De eo qui duxit.*
      - 2. Cui adversantur, qui filios impuberes loco deputandi eos ad artes vel scientias (supposita semper habilitate & præcisa justa causa) nobilium servitori deputant, vulgo *Giacchetti*, qui sensim in omnem licentiam effusi, tandemque grandævi omni arte & scientia destituti, societati periculosi, patibulis vivunt.
      - 3. Quam non satis assecurant, qui prolium nuptui tradendarum mutuas vires non pensant. Longa quippe praxi erudimur, multa matrimonia infelicia evasisse ob virium inæqualitatem, indeque evenisse, ut vel fœmina fortior ob infirmiore marito, vel fortior ab infirmiore fœmina ad alias declinaret. Quam providentiam judico per Confessarios matribus singulariter inculcandam.
  - **Spiritualiter, juxta divinum exemplar, ad cujus similitudinem debent**
    - 1. Vigilare diu noctuque tam præsentium, quam absentium filiorum moribus, contuberniis, vestitui, loquelis; quid agant, qualiter dormiant, quas scholas, lectiones & magistros frequentent &c.
    - 2. Corrigere errantes a tenera ætate discrete & prudenter, primo verbis, dein verberibus &c., tandemque ad severiora remedia, ubi opus sit, procedendo; prout Abraham cum Ismaele, quem incorrigibilem e domo ejecit.
    - 3. Præcedere illos bono exemplo *in dictis*, instruendo nimirum illos in mysteriis fidei, in bonis moribus, in doctrina Christiana & in omnibus ad salutem necessariis: *in factis* sancte coram illis conversando, in virtutibus se exercendo, ad bonum eos provocando.
  - Hinc retrahentes proles a Religionis ingressu, vel ad illum eas cogentes fraude, dolo, precibus importunis, imo juxta aliquos solis promissionibus, peccant mortaliter: proindeque nequeunt eas impellere in electione status cujuscumque sub comminatione Excommunicationis Tridentinæ *Sess. 25. de Reg. c. 18.* quam tamen non incurrunt cogentes filias puberes ingredi Monasterium educationis gratia; quidquid aliqui in contrarium sentiant, etsi mortaliter peccent, ubi circumstantiæ id exigant ad breve tempus: dixi *ad breve tempus*, ex quo colliges graviter peccare, qui filias tamdiu in Monasteriis cogunt marcescere, donec a se ipsis deductæ, absque reflexione disparis ætatis, &c. consentiant in sponsos accipere: tunc primo indulgent egressus a carcere, qui eis procul dubio extra septa Monasterii. Hæc enim etsi palliata, vera tamen libertatis subtractio est.

TAB. LVIII. *De Aliorum mutua Obligatione.*

Obligatio

I. Pupillorum &c. Minorennum
- Erga Tutores & Curatores est, illis exhibere amorem, reverentiam & obedientiam in omnibus, quæ concernunt notionem Tutelæ & Curatelæ, velut Parentibus, quorum locum & auctoritatem tenent.
- Erga Majores suos, seu Ascendentes in linea recta, sive transversa, est exhibere amorem & reverentiam, saltem negative excludendo quodvis odium, despectum &c.

II. Tutorum, Curatorum, & Majorum
- Erga Pupillos & Minorennes est, exhibere amorem, & sollicitam curam tum spiritualem, ut in Fide, Mandatis Dei & bonis Moribus instruantur; tum corporalem, invigilando securitati, debitæ sustentationi, temporali profectui illorum, & ut eorum bona juste & fideliter distribuantur; quare peccant mortaliter, si in administratione suæ ipsorum Tutelæ, vel Curatelæ, sint graviter negligentes, tenenturque ad compensationem damni, si quod illatum fuit; quia peccant contra debitum proprii Officii, proindeque contra justitiam.
- Erga Nepotes est, horum curam gerere in defectu Parentum, eisque in necessitatibus tam spiritualibus, quam corporalibus sedulo opitulari.

III. Conjugum ad invicem est, sibi mutuum exhibere honorem & amorem, fidem & cohabitationem, debitum conjugale, alimenta & gubernationem, juxta dicenda de Matrimonio.

IV. Subditorum erga Superiores suos est, exhibere ex virtute observantiæ amorem, reverentiam & obedientiam in omnibus, ad quæ eorum Potestas & Officium se extendit.

V. Superiorum Ecclesiasticorum erga subditos est commissum sibi gregem pascere
- *Exemplo conversationis*, quam uberrime explicatam invenies ab Apostolo in *Epist.* 1. *ad Timoth. c.* 3. *ad Titum c.* 1. Vitam ducendo irreprehensibilem, sobriam, pudicam &c. bonum testimonium habentem ab iis, qui foris sunt; præbendo seipsos in omnibus exemplum bonorum operum; non dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.
- *Verbo prædicationis*, quippe quæ est principale eorum officium, infirma confirmare, disrupta consolidare, depravata convertere, quod sine verbo & voce non obtinetur. Cui non satisfaciunt, qui vel semper per alios, ipsi nunquam dant vocem, præcisa impotentia, vel plane ignari linguæ & idiomatis sui gregis, tamen tale onus assumunt, avidissimeque quærunt.
- *Fructu orationis*. Oratio siquidem illis ante omnia necessaria; ut nimirum & sibi lumen ad bene regendum, & subditis impetrent efficaciam ad juste ambulandum. Unde contra hanc gravissimam obligationem graviter peccare superiores resolves, qui non modo habitualiter orationem, sed plane ex tepiditate sæpius vel sacra facere negligunt, vel festinanter per modum transitus, uti Hebræi agnum devorant.

VI. Superiorum Sæcularium erga subditos est exhibere
- Justitiam
  - Commutativam, reddendo illis, quod justum est ad æqualitatem in contractibus &c.
  - Distributivam, conferendo illis honores & onera, pro cujusvis merito & viribus.
  - Vindicativam, judicando impartialiter &c., non acceptando munera &c.
- Providentiam, felicitati eorum vigilando; securitati, ut subditi ab omni damno immunes serventur; ex hoc enim capite jubentur tributa &c. illis impendere.

VII. Servorum & Ancillarum erga suos Dominos est, his exhibere reverentiam, obedientiam & obsequium fidele. Proinde contra fidelitatem peccant tum cum Dominis rationabile obsequium & servitutem vel non præstant, vel non nisi negligenter, propter eaque tenentur restituere partem pretii pro rata laboris neglecti; tum, cum secreta Familiæ aliis revelant; tum cum grave damnum Dominis inferri permittunt, cum possent impedire.

VIII. Dominorum erga Servos & Ancillas (quoniam super se Parentum notionem inducunt) est, illos amare, instruere & dirigere charitative, vitia eorum corrigere, ad bonum promovere, a malo arcere, eorum moribus vigilare; tempus illis dicandum Deo concedere, bono exemplo præire, debitam tandem mercedem solvere. Quare peccant, tum cum de illorum salute æterna nihil omnino curant, imo a via salutis per mala exempla & liberam conversationem retrahunt, quod maxime notandum venit a Nobilibus, qui suis *Anti-Christianis* Ritibus, famulitio maxime sunt offendiculo; tum cum Famulos & Ancillas condocunt intra infimum pretium; tum cum mercedem juste conventam eis non suppeditant, aut solvere differunt; tum cum damna absque eorum culpa contingentia illos solvere cogunt; tum denique, cum Famulum, vel Ancillam conductam, ante terminum constitutum dimittunt, juxta dicenda in Contractu locationis.

IX. Discipulorum erga Magistros & Præceptores est, illis exhibere amorem, reverentiam, obedientiam in iis quæ ad bonos mores & studia pertinent, quare peccant tam a schola se absentando absque justa causa, quam tempus studiis deputatum lusui impendendo; & quidem mortaliter, si studia notabiliter negligunt.

X. Magistrorum & Præceptorum erga suos Discipulos est, illis exhibere amorem, doctrinam, correctionem ac bonum exemplum. Peccant proinde contra debitum discipulos instruendi, si incapaces & crassioris minervæ quærant Magisterium, Professuras, Lectoratus; si discipulorum in litteris progressum sedulo non promovent; si ad intelligentiam eorumdem non satis student: si sine causa scholam omittunt.

TAB. LIX. *De Natura et Divisione Homicidii.*

Homicidium, quod est *injusta hominis* occisio

- I. Prohibetur per quintum Decalogi præceptum, vi cujus quatenus est
  - 1. Formaliter Negativum
    - Primario & per se prohibetur omnis injusta occisio.
    - Secundario vero & accessorie prohibentur omnia ea, quæ concurrunt ad mortem inferendam sive antecedenter, sive concomitanter, atque adeo prohibetur omne consilium ad mortem inferendam, omnis proximi injusta læsio, percussio, vulneratio, mutilatio, incarceratio.
  - 2. Virtualiter affirmativum, præcipitur conservatio vitæ.
- II. Dividitur in
  - 1. *Voluntarium*, quod scilicet est per se intentum, seu procuratum, sive physice per propriam actionem & physicum influxum, v. g. transfixione gladii, laxatione sclopeti, sive moraliter, v. g. mandando, suadendo, aut promittendo, dum impediri potest & debet saltem ex justitia.
  - 2. *Casuale*, quod scilicet contingit præter intentionem agentis ex aliqua ejus actione vel omissione; quod si contingat ex aliqua actione vel omissione, ex qua nec prævidebatur, nec prævideri moraliter poterat homicidium secuturum, dicitur simpliciter, seu mere casuale; si vero contingat ex actione vel omissione, ex qua homicidium prævideri poterat, dicitur casuale mixtum.
  - 3. *Directum*, quod scilicet per se & immediate intenditur, ut si quis venenum alteri porrigat eo fine ut sumens de medio tollatur.
  - 4. *Indirecte*, quod scilicet contingit ex positione vel omissione alicujus actionis, ex quo aliquo modo, saltem probabiliter & conjecturaliter prævidetur mors secutura, licet hæc minime intendatur; ut si quis mulierem prægnantem percutiat. Quod etiam dicitur casuale mixtum.
  - 5. *Qualificatum*, quod circa occidendi modum vel personam, specialem aliquam malam circumstantiam adnexam habet, subdividitur in
    - 1. *Parricidium*, quod est voluntaria cædes ascendentium vel descendentium, ad quod reducuntur *Matricidium*, *Uxoricidium*, *Fratricidium*, *Sororicidium*, *Suicidium*, aliorumque occisio usque ad quartum gradum, imo & Regicidium.
    - 2. *Sacrilegium*, quod est occisio Personæ Deo consecratæ in Clericali statu vel religione approbata per Professionem, ad quod reducitur occisio cujuscumqque hominis in loco sacro.
    - 3. *Latrocinium*, quod est occisio hominis facta animo prædandi.
    - 4. *Assassinium*, quod committitur, dum quis pretio occisorem conducit vel vero pretio conductus alterum occidit.
    - 5. *Proditorium*, quod est occisio hominis facta sub specie amicitiæ vel ex insidiis, ad quod reducitur procuratio abortus fœtus animati.
    - 6. *Veneficium naturale*, quod est occisio hominis facta per propinationem vel ministrationem veneni.
    - 7. *Veneficium magicum*, quod est hominis occisio procurata arte magica vel ope dæmonis, quod insuper tertiam & gravissimam malitiam ac speciem inducit, scilicet superstitionis & commercii cum dæmone contra virtutem Religionis & primum Decalogi præceptum.
    - Homicidium igitur qualificatur specie septem modis præfatis, tamquam per circumstantias speciem mutantes, & in confessione necessario explicandas.
  - 7. *Simplex*, quod est occisio hominis absque speciali aliqua qualitate & circumstantia, quod nimirum neque ex parte hominis occisi, nec ex parte modi occidendi peculiarem deformitatem continet.

TAB. LX. *De Homicidio et Mutilatione Suiipsius, et Pœnis inde consequentibus.*

Homicidium seu occisio sui ipsius

- I. Directa in nullo unquam casu licita est, excepto unico quo Deus id præciperet, cum homo non sit dominus, sed tantum conservator & custos vitæ suæ.
- II. Indirecta
  - Illicita sine justa causa; & ideo peccant mortaliter, qui
    1. Consulto, aut etiam advertenter jejuniis aut vigiliis sanitatem aut vitam suam immediate lædit, vitæ pertæsus. *Ex cap.* Non mediocriter 24. *de Consecr.*
    2. Intemperanter vivunt cum certo præviso vel a peritis Medicis enunciato periculo mortis notabiliter ac vitiose accelerandæ.
    3. Periculoso morbo laborantes, noxia ac vetita sumentes, mortem sibi causant, aut notabiliter accelerant.
    4. In gravi, periculoso aut lethali morbo nolunt adhibere media ordinaria & commode comparanda; secus vero nolentes uti mediis insolitis, extraordinariis, aut multum difficilibus.
    5. Imperiti agitatores taurorum, gladiatores, duellantes, seu quovis consimili ludo equestri sese exercentes cum certo suæ occisionis periculo, quo absente gladiatio &c. non videtur illicita.
  - Licita ob justam causam, qualis censetur tum
    - 1. Charitas erga Deum, vi cujus licitum est
      1. Martyrio se exponere vel ipsum non effugere, tum ad declinandum a malo, cum ad præstandum bonum; supposita tamen necessitate vel utilitate; cujus defectu illicitum est se exponere martyrio, essetque potius actus temeritatis & scandali, quam charitatis & fortitudinis.
      2. Non fugere ex carceribus, in quibus in odium Fidei quis detinetur brevi condemnandus ad mortem; quia in similibus circumstantiis occisionem sui permittere cedit in magnum Dei honorem & Religionis augmentum; quare non fugiens, etsi daretur occasio, ob desiderium martyrii, exerceret actum charitatis erga Deum.
    - 2. Charitas erga seipsum, vi cujus licitum est
      - Dimittere se ex turri vel fenestra, aut prosilire in mare ad evadendam mortem infamem per manum carnificis, aut duriorem, e. g. ex incendio domus vel navis.
      - Fateri crimen verum, imo & falsum cum convenienti æquivocatione (mendacio tamen semper præciso) & secluso damno tertii, ad evadenda gravia torturæ tormenta & similia, quia salus tanto non est digna dolore.
    - 3. Charitas erga proximum, vi cujus licitum est
      - Invaso omittere sui defensionem, ne iniquus aggressor occidatur & damnetur, ex supposito tamen, quod invasus sit in statu gratiæ, de quo haud dubitari potest ob excessum charitatis.
      - Inservire infirmis administratione Sacramentorum, imo & eisdem consolationis gratia assistere.
      - Objicere se globo, vel ictui ad conservandum vitam Principis vel Parentis, boni communis vel pietatis causa: imo, juxta aliquos, etiam ad tuendam vitam amici.
      - Ignem in pulverem tormentarium injicere ad evertendam turrim, vel subvertendam munitionem hostilem ob bonum commune.
    - 4. Justitia commutativa, propter quam tenentur se mortis periculo exponere Pastores animarum tempore pestis & persecutionis, Duces & Milites in bello justo, quantum necessitas tuendi boni communis exigit.
    - 5. Justitia vindicativa, vi cujus damnatus ad mortem fame, vel siti subeundam potest respuere cibum vel potum clam sibi oblatum; & a fortiori oblatam sibi fugæ occasionem. Imo mortem promeritus potest se ultro judici & justitiæ exercendæ offerre.
- III. Pœnas inducat, & quidem
  1. Tam directa, quam indirecta suiipsius occisio voluntarie ac deliberate facta absque justa causa inducit privationem Sepulturæ Ecclesiasticæ, omniumque suffragiorum Ecclesiæ: secus si ex amentia, furore, excessu melancholiæ, vel hypocondriæ contigisset.
  2. Mutilatio seu abscissio membri sive ad evitandam incontinentiam, sive ad adipiscendam, conservandamve vocis suavitatem, est illicita; inducitque, præter peccatum mortale, irregularitatem, ex supposito quod sit abscissio membri proprie talis, seu habentis peculiarem in homine functionem vitalem, seu proprium distinctum munus in corpore gerens, tamquam instrumentum propriæ ac distinctæ operationis, uti sunt oculi, nares, virilia &c., prout fusius in Tab. CCXXV.

TAB. LXI. *De injusto Homicidio et mutilatione Proximi, et Pœnis consequentibus.*

Homicidium Proximi injustum

I. Committitur

Directe, dum

1. Innocens quiscumque auctoritate sive publica, sive privata, physice, vel moraliter occiditur: nam *Exodi* 23. Dicitur *Insontem & justum non occides.*
2. Nocens, seu malefactor auctoritate privata physice, vel moraliter occiditur; saltem extra casum justæ defensionis, juxta alibi dicenda.
3. Maritus occidit Uxorem inventam turpiter agentem, quamvis pœnas non incurrat; quod etiam procedit de Patre occidente filiam, vel alium turpiter cum illa agentem.
3. Princeps juste quidem Principatum possidens, sed tyrannice illum gubernans auctoritate privata physice, vel moraliter occiditur. Ex Constantiensi damnante Joan. Hus articulum *Quilibet Tyrannus licite potest a quocumque subdito interfici*. Contrarium asserere hæreticum asserit Ferraris *Verb.* Homicidium *n.* 48.
5. Qui cooperatur sive physice, sive moraliter ad mortem proximi. Excipe mandantem, & juxta aliquos etiam consulentem, si ante executionem serio, & pro posse revocarunt mandatum & consilium.

Indirecte, dum

1. Mandans solam verberationem, vel mandatarii excedendo in mandato aliquem occidunt, vel ex mandatariis aliquis occiditur, ex suppositione quod id prævisum fuisset, vel prævideri debuisset.
2. Dans operam rei licitæ cum prævisione, vel suspicione mortis secuturæ non adhibuit debitam diligentiam pro evitando homicidio.
3. Dans operam rei illicitæ ex se, & natura sua inductivam mortis periculum, mortem alterius causat; secus vero si opus illud non esset ex se & natura sua inductivum periculi mortis, vel mutilationis.
4. Obligatus ex justitia, ut Princeps, Politiæ Præfectus, Advocatus in causa criminali, Medicus non impedit mortem proximi, secus vero si solum ex charitate impedire mortem teneatur.

II. Inducit

1. Peccatum mortale injustitiæ, ex suppositione quod sit voluntarium directe, vel indirecte.
2. Excommunicationem majorem, si sit vel Clerici, vel Fœtus animati, vel contingat in duello.
3. Obligationem compensandi omnia damna secuta ex homicidio, unde homicida vel hæredes tenetur
   1. Resarcire expensas omnes rationabiliter factas in medicos & medicinas, saltem extra casum remissionis factæ ab occiso ante suam mortem.
   2. Resarcire damna temporalia, quæ obveniunt Parentibus, Filiis & Uxori occisi; secus vero aliis hæredibus quocumque modo consanguineis, imo nec Creditoribus, juxta probabiliorem.
   3. Damna prædicta, utpote realia, debent resarciri etiam ab hæredibus occisoris, & quidem loquendo de subsequentibus, etiam remissione facta ab occiso ante mortem, utpote nulla, juxta probabiliorem.
   4. Resarcire expensas factas ratione funeris solum pro casu quo majores fieri debuissent ratione necis illatæ extra Patriam, non vero præcise ratione funeris.
   5. Compensare damnum naturale occisi, juxta multos, non quidem re aliqua temporali, sed spirituali, scilicet orationibus, Sacrificiis Missæ; ad quæ præstanda obligari potest a Confessario, & quidem singulis mensibus per annum & pro qualibet die anniversaria mortis singulis annis totius vitæ.

   N. B. *Si Homicida capite plectatur, Hæredes occisoris non liberantur propterea ab onere faciendæ compensationis, juxta Communem, quamvis aliqui velint eos liberari ante judicis sententiam.*
4. Irregularitatem, quam incurrit tam *directe*, sive per se, sive per alium occidens, uti etiam omnes positive cooperantes ad homicidium; quam *indirecte*, concurrente tamen culpa gravi negligentiæ: imo hic etiam illam incurrit, qui ex pluribus ad homicidium adjuvantibus certo sciret a se non fuisse occisum, licet pro casu, quo rixæ præcessissent, possent eximi in foro conscientiæ, si certo sciret a se minime fuisse occisum.
5. Inhabilitatem ad omnia Beneficia & Officia Ecclesiastica, si occisor sit Clericus & ideo Sacerdos volens divina facere & promoveri ad Beneficium, duplicem debet Roma obtinere dispensationem, non tamen privatur ipso jure Beneficiis ante rite obtentis. Hinc tuta conscientia ante judicis sententiam illis frui potest, nisi, *quod bene notandum*, hujusmodi Beneficium præter recitationem Horarum Canonicarum requirat personale exercitium Ordinis Sacri; in tali enim casu, cum propter Irregularitatem nullum Ordinem exercere possit, illico deberet vel dispensationem impetrare vel Beneficium dimittere.

N. B. *Mutilatio injusta, sive directe sive indirecte voluntaria, physice vel moraliter causata tamdem involvit injustitiæ malitiam, easdemque pœnas inducit.*

III. Non inducit

Aliquam irregularitatem, si quis Proximum occidat ex metu gravi cadente in constantem virum, juxta plures, Leandrum, Tamburinum, apud Sporer, *in V. Decal. Præcep.* c. 3. *n.* 68.

Aliquam pœnam, si quis proximum occidat mere casualiter. *Ex Benedicto XIV. in Syn. Diœces. lib.* 11. *c.* 10. *n.* 8.

N.B. *Ignorantia quæcumque ipsius irregularitatis non eximit ab Irregularitate delinquentem, juxta communiorem & veriorem, quidquid aliqui in contrarium sentiant.*

IV. Dispensari potest quoad

1. Irregularitatem contractam ex homicidio voluntario, a solo Papa.
2. Irregularitatem contractam ex mutilatione, si delictum sit occultum ab Episcopo, qui tamen nullatenus *per se* dispensare potest super irregularitate contracta ex homicidio voluntario quomodolibet occulto, sed solum *per accidens* ratione urgentis necessitatis in ordine ad ministrandum solum in susceptis Ordinibus.
3. Nullatenus a Confessariis Ordinis Mendicantium cum suis pœnitentibus sæcularibus. *Ex Decret. Clementis VIII. Const. quæ incipit* Quæcumque *inserta Tom. III. Bullarii Cherubini fol.* 164.

TAB. LXII. *De Abortu et Pœnis ipsum consequentibus.*

Abortus, seu immatura ejectio fœtus concepti vel

- I. Animati, quæ contingit in maribus post 40. in fœminis post 80. dies, alia est
  - Directa, quæ
    - 1. Contingit, cum mulieri prægnanti applicatur remedium & cum medicamentum per se & suapte natura efficax ad expellendum fœtum.
    - 2. Est semper illicita & in nullo casu cohonestanda, ne quidem in periculo perdendæ vitæ.
    - 3. Inducit
      - 1. Peccatum mortale injustitiæ, & quidem qualificatum juxta dicta Tab. 57. II. sub n. 5. 5. verb. *Proditorium*.
      - 2. Pœnas omnes in utroque jure contra homicidas voluntarios statutas *ex Constitutione Sixti V.*
      - 3. Excommunicationem majorem Episcopis de Jure communi reservatam post Constitutionem Gregorii XIV. pro foro tamen solum conscientiæ.
      - 4. Irregularitatem respectu etiam cooperantium: imo, juxta aliquos, etiam solum dubitantium, an fœtus ejectus post 40. dies fuerit masculinus vel fœmininus; quamvis probabilius videatur, quod stante tali dubio; procurans vel suadens abortum non incurrat irregularitatem.
      - 5. Inhabilitatem ad omnia Officia, & Beneficia dispensabilem a solo Papa; etsi delictum esset omnino occultum.
      - 6. Privationem Officii vel Beneficii prius legitime obtenti, sed solum post judicis sententiam.
      - 7. Depositionem & degradationem post sententiam Judicis Ecclesiastici.
      - 8. Privationem Privilegiorum Clericalium Canonis & Immunitatis Ecclesiasticæ localis, seu Asyli.
  - Indirecta, quæ
    - 1. Contingit, dum mulieri prægnanti applicatur remedium per se, ac directe tendens solum ad recuperandam sanitatem & infirmitatem depellendam, ex quo per accidens, & præter intentionem sequitur ejectio fœtus.
    - 2. Est licita in unico tantummodo casu, scilicet, quando ex prudenti Medicorum judicio valde probabile esset, quod non adhibito medicamine per se quidem directe tendente ad infirmitatem depellendam, & sanitatem Matris recuperandam, indirecte vero ad expellendum fœtum, tam infans, quam Mater moritura esset; eo vero adhibito saltem Mater salvanda: adeoque extra hunc casum indirecte procurans abortum fœtus animati easdem pœnas incurrit, quas incurrunt procurantes directe abortum fœtus animati.
- II. Inanimati, quæ contingit in maribus ante 40., in fœminis ante 80. dies
  - 1. Directa nunquam licita est, ne quidem ad conservandam vitam Matris periclitantis; multo igitur minus ad præcavendam infamiam, aut mortem puellæ prægnantis, ex Innocentio XI. damnante Propositionem 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* (Saltem extra casum quo fœtus in utero jam corruptus esset, & degenerasset in massam malignam), sed semper est peccatum mortale ad speciem mollitiei reducendum, quippe qui est frustratio seminis & quidem duplici a natura jam assumpti, & præparati ad procreationem humani individui. Pœnas tamen nullas inducit post moderationem factam a Gregorio XIV. *Const.* Sedes Apostolica *insert. Tom. 2. Bull. Cherubini fol.* 643. *&* 695.
  - Indirecta
    - 1. Licita est solum ad conservandam vitam Matris periclitantis.
    - Illicita vero pro aliis casibus, v. g. ad præcavendam infamiam; sicut & illicitum impedire sive directe, sive indirecte conceptionem, aut sterilitatem procurare. *Ex cap.* Si aliquis 5. *de Homicidio; & ex Constit. Sixti V. quæ incip.* Effrænatam.

N. B. 1. *Absolvere ab Excommunicatione potest Episcopus post Constitutionem Gregorii XIV. ibidem & alii, habentes ab Episcopo specialem facultatem in reservata ab Episcopo, sed nonnisi pro foro conscientiæ.*

N. B. 2. *Dispensare super Irregularitate & Inhabilitate proveniente ex procuratione abortus fœtus animati directa solus Papa potest; si vero procuratio abortus sit solum indirecta, potest etiam Episcopus.*

TAB. LXIII. *De Homicidio in Bello commisso, et Irregularitate inde consequente:*

Bellum, seu publica armorum contra extraneos assumptio Reipublicæ tuendæ, aut vindicandæ gratia

I. Dividitur in

1. Defensivum, quod videlicet suscipitur dumtaxat ad propulsandam vim vel injuriam ab aggressore illatam, estque cuivis tam publica, quam privata auctoritate licitum, cum hoc tamen discrimine, quod si privata auctoritate fiat, debeat servari *moderamen inculpatæ Tutelæ*, juxta dicenda, secus vero si publica auctoritate fiat.

2. Offensivum, quod infertur hostem aggrediendo, compensationis, aut injuriæ vindicandæ causa, quod ut licite fiat, debet

   1. Auctoritate Principis, vel Magistratus nullum agnoscentis Superiorem indici, ac geri. Hinc Principes & Civitates Imperii nequeunt ex se indicere, vel gerere bellum offensivum, cum habeant sibi Superiorem, nempe Imperatorem, sine cujus auctoritate & consensu bellum gerentes vocantur *Prædones & Latrunculi*.
   2. Bona intentione indici & fieri, idest zelo justitiæ & voluntate consulendi bono communi.
   3. Justa de causa indici & fieri, eaque gravissima, qualis censetur urgentia communis boni & quietis conservandæ, recuperatio injuste ablatorum, coercitio rebellium, defensio innocentium &c.
   4. Justitia causæ bellandi antecedenter per se & per Consultores examinari, de qua moraliter certo constare debet Principi volenti bellum indicere.
   5. Indici & inferri primo post antecedenter petitam & inde negatam ab altera parte satisfactionem. *Ex Deuteron.* 20. *& Judicum* 2. Nam bellum semper ultimum debet esse remedium injuriæ vindicandæ, vel juris recuperandi; idque Naturali & Gentium jure, ob gravissima mala & damna quæ secum trahit.

3. Justum, quod nimirum indicitur solo animo tuendæ, vel vindicandæ Reipublicæ, *Ex Cap.* Dominus noster, 2. *Causa* 23. *quæst.* 2. In quo veniunt observanda

   - Principe bellum indicente, ut subordinatis disciplinam inculcet, ne subditi nimium graventur; Militibus debita stipendia solvi curet, ne necessitate misera compellantur injuste vexare subditos, furando, rapiendo, destruendo &c. Abstinere debet a dando auxilio Principi infideli, aut Hæretico.
   - Belli Duce, ut urgeat verbo & exemplo disciplinæ militaris observantiam, & bonum Principis pro viribus promoveat, aut saltem conservet; debita stipendia militiæ solvat, cavere ne transiturus alias per meliorem viam Oppidum, vel Civitatem, ut gratia præstetur transitum pecunia redimentibus, per devia & invia ductus Exercitus plus nimio fatigetur.
   - Militibus Gregariis, ut obsequia sua fideliter præstent, tum pro viribus procurando Principis & Reipublicæ utilitatem, tum avertendo ab illis impendentia mala. Hinc peccant in causis justis suis Ducibus non obediendo, in suis stationibus firmiter non sistendo, vel plane deserendo; extorquendo a Rusticis, quos pertranseunt, pecunias, aut victualia ultra debitum.
   - N. B. *Bellum ex utraque parte potest esse justum formaliter, nequaquam vero materialiter*. Ex Communi Theolog. nominatim Ferraris Verbo, *Bellum*, art. 1. n. 3.

4. Injustum, quod censetur, cum indicitur sola nocendi voluntate, ulciscendi crudelitate, explendi aviditate, vel dominandi cupidine, aut etiam rebellibus patrocinandi impietate. *Ex Can.* Quid culpatur. 4. *caus.* 23. *quæst.* 1.

II. Licitum facit Belligerantibus

1. Occidere etiam directe nocentes, non tamen innocentes, quo nomine veniunt Infantes etiam Turcarum, Infidelium, Jacobitarum, Pueri, Senes, Mulieres (excipe si hæ etiam arma sumerent), Religiosi, Clerici, Hospites, Peregrini, quamvis & hi plurimum offendantur, præsertim in incendio urbium, destructione arcium & mœniorum eversione.
2. Damna inferre Reipublicæ Hostili, v. g. jumenta abigendo, agros devastando, expoliando etiam innocentes bonis externis, quorum bonorum direptorum possessio est jure Gentium primo occupantis, si bona sint mobilia, saltem non gaudentia Jure *Postliminii*, uti sunt currus, Naves bellicæ, quibus Arma, Annona & cætera pro usu belli advehi solent, quæ pristinis Dominis restitui debent. Si vero bona sint immobilia, cedunt Principi bellum gerenti, nisi Hostis supponatur possessor malæ fidei, pro quo casu debent legitimo Domino restitui. *Ex Bened. XIV. Constit. quæ incipit* Urbem §. 4. *inserta Tom.* 3. *Bullar. ejusdem fol. Edit. Rom.*
3. Uti stratagemmatibus & insidiis. *Ex cap.* Dominus noster 2. *caus.* 23. *quæst.* 2. Non tamen licet veneno inficere puteos, aquas, nec agentem excubias inebriare, nec quemquam sollicitare ad id quod inculpate facere nequit, uti prodere civitatem, tormenta bellica simplici pulvere onerare &c.
4. Uti represaliis ad compensantionem damni illati, dummodo id fiat publica Principis auctoritate, nec plus damni inferatur, quam fuerit ab hostibus illatum, & parcatur innocentibus.
5. Emere etiam vili pretio juste occupata.

III. Inducit in

Belligerante in Bello *offensivo* etiam justo, Irregularitatem *ex defectu lenitatis* non solum si certe sciant aliquem a se occisum, vel mutilatum fuisse, *Ex cap.* Petitio 24. *de Homicidio*, sed etiam si rationabiliter dubitent, *ex eod. textu*. Non vero si certi essent, quod in dicto bello justo nullum occiderint, vel mutilaverint, ad differentiam Belligerantium in bello evidenter *injusto*, in quo etsi unus duntaxat occidatur, omnes contrahunt irregularitatem *ex delicto Homicidii*, etiam illi, qui propriis manibus nullum occiderunt, vel mutilarunt. *Ex cap.* sicut dignum 6. *de Homicidio*.

Nullam Irregularitatem in Belligerantes in bello *defensivo* pro Patria, Republica & Bono communi, licet essent Clerici. *Ex communi Sporer in* 5. *Decal. præcep. c.* 2. *n.* 128. Justa enim defensio est de jure naturæ.

N. B. *Dispensare super irregularitate contracta ex homicidio commisso in bello justo solus Papa potest, non vero Episcopus, quidquid aliqui in contrarium sentiant.*

TAB. LXIV. *De Homicidio auctoritate publica commisso et Irregularitate consequente.*

Homicidium auctoritate publica

I. Committitur malefactores occidendo, quod licitum est, potestate a Deo concessa, *Exodi* 24. ubi Ministris justitiæ præcipitur: *malefactores ne patiaris vivere*, quam potestatem insinuare voluit Apostolus *ad Romanos* 13. 4. dicens: *Non sine causa gladium portat, Dei enim Minister est; vindex in iram si qui malum agit.* Quod procedit de quocumque privato occidente Reipublicæ perniciosum profugum quidem, sed publice proscriptum, quem occidere cuivis, proposito imo præmio, fit libertas.

II. Inducit Irregularitatem respectu

1. Judicis ferentis sententiam mortis, vel mutilationis contra Reum.
2. Assessorum, Consultorum, Advocati, Testium, Notarii, sententiam mortis, vel mutilationis dictantium, scribentium, legentium &c.
3. Exequentium sententiam mortis, vel mutilationis contra Reum, ut sunt Carnifex, Lictores, Satellites &c.
4. Accusantis coram Judice laico criminaliter in ordine ad vindictam de delicto sanguinis, nempe mortis, vel mutilationis pœnam connotante, hac secuta, licet præmissa fuisset protestatio. Excipe casum, quo ex lege naturali, vel divina teneretur accusare.
5. Accusantis civiliter in causa personæ estraneæ cum prævisione secuturæ mortis, vel mutilationis accusati, licet præmissa fuisset protestatio.
6. Advocati contra Reum agentis in causa criminali inducente pœnam sanguinis, licet præmissa fuisset protestatio; imo & pro Reo agentis, injuste tamen pro casu, quo exinde pœna sanguinis inferatur accusanti.
7. Assessorum, Consiliariorum, seu Consultorum, qui vel judici ad ferendam sententiam assistunt, vel suo suffragio, voto, aut consilio, auctoritate publica, ac juridice eam promovent; qui vero nulla auctoritate publica, sed privata dumtaxat, remote & per accidens concurrunt ad pœnam sanguinis, nullam irregularitatem incurrunt.

III. Non inducit irregularitatem respectu

1. Summi Pontificis sententiam mortis, vel mutilationis ferentis.
2. Inquisitorum hæreticæ privitatis, eorumque Commissariorum, Consultorum, Assessorum sententiam mortis, vel mutilationis ferentium.
3. Judicis Ecclesiastici mitigantis sententiam mortis latam a Judice sæculari, v. g. pœnam rotæ, vel patibuli in pœnam gladii, dicendo, e. g. volo ut iste, non rota, sed gladio perimatur.
4. Judicis Ecclesiastici tradentis clericum Judici sæculari; quod tamen fieri non debet, nisi præmissa degradatione; & juxta saniorem, etiam protestatione & intercessione, ne Reus extraditus pœna mortis, vel mutilationis afficiatur.
5. Prælati habentis jurisdictionem temporalem committendo alicui Laico generaliter, ut faciat de omnibus malefactoribus vindictam, etsi vi hujus mandati generalis aliquis occidatur.
6. Theologi Canonistæ, vel Jurisperiti respondendo judici, vel aliis interrogantibus quid juris de tali malefactore: imo & in particulari asserendo talem spectato jure esse reum mortis, juxta aliquos.
7. Confessarii denegantis absolutionem Judici nolenti Reum condemnare ad mortem, ad quod ex officio tenetur: imo & hortantis, aut obligantis Reum ad fatendum crimen legitimo Judici.
8. Accusantis civiliter, in ordine videlicet ad petendam solum restitutionem, vel damni illati compensationem, dummodo præmissa fuerit, licet solum ficte, ante prolationem sententiæ protestatio, & accusatio fuisset facta in propria, vel suæ Ecclesiæ causa; & juxta aliquos etiam Parentum, Fratrum &c. *Reiffenstuel lib.* 5. *Decret. tit.* 12. *n.* 28. 80. 81.
9. Accusantis sive civiliter, sive criminaliter coram judice Ecclesiastico, licet ab hoc reus extradatur Judici Sæculari puniendus.
10. Accusantis de crimine levi, vel tali, quod pœnam mortis, vel mutilationis non meretur, licet hæc ex malitia Judicis sequatur, etsi non præmissa protestatione.
11. Advocati defendentis Reum, sive hic condemnetur ad mortem, nisi forte id contingat ex ipsius negligentia, vel ignorantia, sive Accusator eamdem subire cogeretur, dummodo causam Rei juste defendendam assumpserit.
12. Opificum conficientium funes, furcam, scalam, rotam, gladium, quo reus perimendus erit, quamvis aliqui velint incurrere eum qui funem pro suspendio, vel ligna pro combustione portant.
13. Spectatores simplices ultimi supplicii, etsi essent Clerici; qui tamen ex sola curiositate spectantes, peccant venialiter, utpote ipsis prohibitum, *ex cap.* Sententia 9. *Ne Clerici, vel Monachi.*

N. B. *Dispensare super irregularitate incursa propter homicidium auctoritate publica commissum solus Papa potest, non vero Episcopi, quidquid aliqui in contrarium sentiant.*

TAB. LXV. *De Homicidio commisso cum moderamine inculpatae tutelae, et irregularitate inde consequente.*

Homicidium commissum cum moderamine inculpatæ tutelæ

I. Contingit cum vis illata non aliter quam vi opposita, etiam occisione vel mutilatione iniqui aggressoris averti potest: consideratis circumstantiis loci, temporis, personarum: quod quidem in individuo boni viri arbitrio dijudicandum relinqui debet. Unde consequens est, cum non occidere vel mutilare cum moderamine inculpatæ tutelæ, qui aliter potest aggressoris vim repellere.

II. Ut sit licitum requiritur

1. Vera aggressio sive aperta per violentiam, sive occulta per insidias attentata.
2. Vera & necessaria defensio, facta videlicet in ipso aggressionis acto, non autem ante aggressionem vel jam ea omnino cessante: nam alias esset ultio, non defensio.
3. Ut defensio necessitatis modum non excedat, prudentiæque regulas.
4. Ut non intendatur mors aggressoris, sed unice vitæ defensio, *ex D. Thoma*. 2. 2. *quæst.* 64. *art. in corp.*, quamvis alii negent id exigi, cum ipsis non videatur, quomodo quis possit explodere sclopetum in alterum & non intendere ejus mortem.

III. Licitum est

1. Cuivis etiam Clerico & Monacho contra quemcumque iniquum vitæ suæ aggressorem, juxta omnes, auctoritate sibi ab omni jure facta.
2. Ad tuendam propriam pudicitiam cum nec precibus, nec clamore, nec pugnis posset lascivum aggressorem a se repellere, juxta communem recentiorum: negat tamen D. Augustinus, quocumque sentire securius est. Rectius namque & charitati conformius operaturam dixerim quamlibet, quæ tum consensu, tum periculo consensus fortiter absciso, cæteris incassum tentatis, vim patiens se mere passive habendo, non occiderit iniquum suæ pudicitiæ aggressorem.
3. Ad tuenda bona magni momenti, cum absque occisione vel mutilatione iniqui aggressoris ea manuteneri & conservari non possint, *juxta textum relatum cap.* Interfecisti de *Homicidio* & majorem partem Recentiorum. Hinc si quis aliter potuisset bona sua tueri, occidendo peccaret solum contra charitatem.
4. Ad tuendum honorem & famam juxta aliquos, quos tamen sequi non consulo, imo fortiter dissuadeo, tum quia honor & fama alio modo potest recuperari quam occisione iniqui aggressoris, quæ potius maculat famam & honorem, tum propter damnatas propositiones ab *Alexandro VII.* 17. *&* *Innocentio XI.* 30.
5. Ad tuendam vitam, pudicitiam ac bona proximi magni momenti. *Ex communissima*. Quod verum est: licet invasus nollet defendi, obsisteretque occisioni iniqui aggressoris, sed imo consentiret in sui iniquam aggressionem, intellige, ubi agatur de aggressione vitæ proximi; nec invasus justam habeat causam consentiendi in necem suam, v. g. subeundi martyrium, vel ne iniquus aggressor æterne damnetur: haud tamen reus videretur, qui eum etiam tunc defenderet, nam aliud est impedire actum alienæ virtutis, aliud inique agere.

IV. Irregularitatem non incurrit

1. Occidens vel mutilans iniquum vitæ aggressorem, servato moderamine inculpatæ tutelæ. *Ex cap.* Si furiosus, *unico inter Clementinas de Homicid.*; etsi occidens vel mutilans sit Clericus vel Regularis.
2. Occidens vel mutilans iniquum propriæ vitæ aggressorem, qui quidem causam præbuit aggressioni, non tamen prævidit occisionis periculum, vel præviso omni occurrisset diligentia: secus vero si prævidisset.
3. Occidens vel mutilans iniquum alterius vitæ aggressorem, vel membrorum, aut pudicitiæ, ut supra dictum est, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ.
4. Occidens vel mutilans iniquum aggressorem bonorum temporalium magni momenti: sive bona illa sint propria: sive aliena: sive occidens vel mutilans sit Laicus, sive sit Clericus, ut supra diximus.

N. B. 1. *Irregularitatem incurrit qui iniquum aggressorem vitæ, pudicitiæ, bonorum temporalium magni momenti, sive illa sint propria, sive aliena, occidit vel mutilat non servato moderamine inculpatæ tutelæ*, juxta Communem: *excipe si solum leviter excederet*.

2. *Dispensare super irregularitate contracta ob excessum moderaminis inculpatæ tutelæ occidendo vel mutilando iniquum aggressorem vitæ, pudicitiæ vel bonorum, potest non solum Papa, sed & Episcopus, si casus sit occultus.*

* P. D. *Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem crimina de se vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, publice & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur*. 30.

** P. D. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis, fugiat*. 30.

TAB. LXVI. *De Duello et Duellationis Pœnis.*

Duellum, quod est *certamen periculosum duorum ex condicto initum ad mortem vel mutilationem inferendam*, aliud est

I. Simplex si fiat

1. Ex condicto, seu si duellantes prius convenerint de pugna postea ineunda: quare si duo per accidens sibi invicem occurrentes pugnarent, etsi unus alterum prius quæsivisset, aut puguam & mortem minatus fuisset, non censerentur duellum inivisse.
2. Determinato loco & tempore ad pugnam ineundam; quare si duo se provocent nullo determinato loco & tempore, duellum stricte tale non est.
3. Cum periculo mortis vel mutilationis ex tali pugna inferendæ, & consequenter armis quibus mors, vel mutilatio inferri potest; unde si fieret pugnis vel baculis, non esset duellum stricte tale.

II. Solemne si fiat

1. Cum mox relatis tribus conditionibus, utpote pertinentibus ad rationem duelli proprie talis, ut distinguatur a rixa.
2. Misso internuncio, aut litteris provocatoriis vel chirotheca, aut dato annulo.
3. Adhibitis Patrinis, seu ut vocant secundantibus & testibus, seu assistentibus.

III. Privatum, seu privata auctoritate, v. g.

1. Ad ostendendam audaciam, virium animositatem, aut artem vel peritiam duellandi aut digladiandi, in quem finem præcise ipsum sive acceptare sive offerre illicitum est.
2. Ad vindictam sumendam pro injuria illata, & ob hunc finem præcise illicite fit, cum non liceat vindictam propria auctoritate sumere.
3. Ex odio & rancore, in quem finem illicite fit, quia quivis tenetur deponere rancorem & odium vi præcepti charitatis & ad Evangelicæ mansuetudinis leges sese componere.
4. Ad defensionem propriæ vitæ, & ob hunc finem licite juxta aliquos acceptatur, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, juxta Tab. LXV.
5. Pro conservatione bonorum fortunæ, ob quem finem licite acceptatur, si agatur de bonis fortunæ magni momenti, & aliter conservari nequeant, nisi duellando, juxta Tab. præf.
6. Pro defensione famæ & honoris & ob hunc finem præcise nunquam licitum est sive acceptare sive offerre duellum, *ex Alexandro XIV. damnante 2. propositionem.*
7. Ob timorem vel amittendi officium militare, quo se suosque sustentat, vel perpetuo carendi promotione, alias debita; & ob hos fines præcise non licet sive acceptare, sive offerre duellum, *ex Benedicto XIV.* damnante duas propositiones *Const. quæ incipit* Detestabilem, *insertam Tom. IV. ejusd. Bull. fol.* 16. *edit. Rom.*

Quare ad evadendam tum notam infamiæ, tum periculum amittendi officium militare, provocatus respondere debet provocanti: se esse paratum justa defensione se suaque tueri adversus quemcumque injustum aggressorem, duellum tamen non acceptare in venerationem divinæ & humanæ legis.

IV. Publicum, seu publica auctoritate

1. Per se in nullo casu licitum est inire, & consequenter nec

1. Ad demonstrandam veritatem, seu probandam innocentiam, *ex cap.* Manomachiam 22. *Causa* 2. *qu.* 3. *& cap.* 1. *&* 2. *de Purgatione vulgari.*
2. Ad terminandam litem seu controversiam aliquam, quia non videtur sufficiens ad probandam justitiam vel injustitiam.
3. Ad finiendum bellum offensivum vel defensivum, quia non videtur medium aptum.

2. Per accidens licitum est inire, dum

1. Iniquus Judex innocenti mortis supplicium minitatur, nisi duello se purget contra tamen nocentem; secus si ambo supponantur innocentes, utpote falso accusati, quia alterutrum esset verum homicidium innocentis.
2. Duobus certe nocentibus ac capitis supplicium promeritis indicatur duellum a Principe vel Belli duce, quod tamen in praxi admitti non facile debet, ne vitietur ab effectu aliquo odii vel vindictæ, ob quam causam aliqui absolute negant pro tali casu licitum esse.
3. Hostis ipse exercitui duellum offert ad finiendum bellum cum minori damno, solum tamen pro casu quo Princeps juste bellans adverteret, se imparem ad resistendum, vel quasi nullam pro se superesse spem victoriæ bello obtinendæ, uti factum a S. Wenceslao Duce Bohemiæ cum Ladislao Duce Curimensi, & a Carolo V. Imperatore, qui ob allatam causam obtulit duellum Francisco I. Galliarum Regi nemine improbante.

V. Pœnæ Duellantium sine justa causa in duello, sive solemni, sive simplici sunt

1. Duplex peccatum mortale, cum duellantes & proximi vitam aggrediantur, & suam periculo necis exponant sine legitima causa.
2. Excommunicatio latæ sententiæ, lata tum a Tridentino, *Sess.* 25. *de Reform. c.* 19.; tum Clem. VIII. *Bulla* Illius vices *insert. Bull. Bened. XIV. fol.* 22. *edit. Ven.* §. 3., reservata Summo Pontifici, quam etiam incurrunt tum Patrini, subsidium vel favorem iisdem præbentes, spectatores ex proposito & industria, tum Reges, Duces, Principes, cæterique Domini temporales locum ad Monomachiam in locis suis concedentes.
3. Proscriptio omnium bonorum cum perpetua infamia.
4. Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, si in ipso conflictu decedant, etsi antea dedissent signa pœnitentiæ: imo etsi decederent extra locum conflictus, ex vulnere tamen ibidem accepto & ante mortem obtinuissent absolutionem a peccato & censuris, *ex dispositione Benedicti XIV. loc. cit.* §. 9.
5. Privatio asyli respectu illius qui alterum in duello sive publico, sive privato occidit aut lethaliter vulnerat, *ex dispositione Benedicti XIV. ibid.*

N. B. *Prædictæ pœnæ incurruntur etiam si inter provocantem & provocatum præcessisset pactum desistendi a duello ad primam sanguinis effusionem*, ex Dec. Clem. VIII. loc. cit.

2. *Mendicantes extra Italiam possunt, vi suorum privilegiorum, absolvere duellantes; secus vero intra Italiam*, ex Decret. laud. Clem. VIII.

TAB. LXVII. *De percussione Clericorum, et Excommunicatione inde consequente.*

Percussio Clerici (quæ prohibetur, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ in Concilio Lateran. *rel. cap.* Si quis 24. *Can.* 17. *qu.* 4. his verbis: *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii vitium vel crimen incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat*) exponitur

I. *Percussionis* nomine venit quævis violenta manuum injectio in Clericum, vel Monachum; id est: quævis actio externa & graviter peccaminosa in eum, vel res ei adhærentes, quæ esse potest

1. Levis sine relictione vestigii, uti est quæ fit palma, pugno, pede, baculo & lapide non relinquentibus vestigium.

2. Mediocris, quæ fit cum impressione vestigii, absque tamen mutilatione notabili, sanguinis effusione, aut lethali vulnere.

3. Gravis & enormis dicitur quæ fit cum mutilatione notabili, sanguinis effusione (quæ tamen non sit ex naribus), vel cum lethali vulnere.

N. B. *Gravitas vel levitas percussionis pensanda est non solum ex actione ipsa, sed etiam ex circumstantia loci & personæ. Hinc percussio de se alias levis, potest evadere gravis, si fiat in publico, vel afficiat Episcopum, aut Superiorem.*

II. Sub pronomine *si quis* veniunt

1. Ipse Clericus, vel Monachus se ipsum ex iracundia, desperatione, aut tædio percutiens, mutilans, occidens, aut aliam injuriam sibi irrogans, *juxta probabiliorem.*

2. Percutiens Clericum, vel Monachum volentem & consentientem, *juxta omnes*, quia censetur violenta respectu status Clericalis, cui fit injuria.

3. Quivis doli capax, excepto solo Papa, qui sua actione percutit &c. Clericum, vel Monachum.

4. Mandantes, Consulentes, Auxilium, vel favorem præbentes ad injuriosam Clerici, vel Monachi percussionem, *ex cap.* Mulier 6. & *cap.* Quanta 47. *de sententia excommunicationis.*

5. Ratam habens percussionem Clerici ab altero factam, dummodo facta sit nomine & contemplatione rati habentis, & hic sciat suo nomine factam, & ratam habeat signo aliquo externo, v. g. per nutus & verba; atque ratam habens potuerit mandare percussionem.

6. Non impedientes percussionem, dum possunt & ex officio tenentur impedire, *ex cap.* Quanta 47. *de sententia excommunicationis.*

III. *Clerici* nomine veniunt

1. Non solum sacris, sed & prima tonsura initiati, licet excommunicati, suspensi, interdicti, aut verbaliter solum degradati.

2. Prima tonsura, vel minoribus Ordinibus insigniti, licet beneficium Ecclesiasticum non habeant, neque habitum & tonsuram deferant, neque alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviant, *ex Bened. XIV. In Synod. Diœces. lib.* 12. *t.* 2. *n.* 2.

3. Clerici conjugati si cum unica, eaque virgine, contraxerint matrimonium & deferant tonsuram & vestes clericales, *ex Cap.* Clerici. 1. *de Clericis conjugatis.* 126.

IV. *Monachi* nomine veniunt

1. Omnes Religiosi professi sive Clerici, sive Laici cujuscumque Ordinis etiam Melitensium, S. Jacobi Calatravæ, Alcantaræ, & item Moniales professæ.

2. Omnes Novitii cujusque sexus, dummodo sint in Religione a Sede Apostolica approbata.

3. Tertiarii viventes collegialiter, seu in communitate, qui habitum tertiæ regulæ cujuspiam Ordinis Regularis de manu Prælatorum Regularium ad hoc auctoritate Pontificia facultatem habentium recipientes sub eorumdem, vel Episcopi loci obedientia vivunt, atque Ordini, vel alteri Ecclesiæ inserviunt, *ex constitutione Leonis X.* Dum intra. *Tom. VI. Bull. Capuccinor. fol.* 222.

4. Eremitæ professi aliquam Religionem ab Ecclesia approbatam sub emissione trium votorum substantialium, vel de manu Episcopi receperunt habitum Eremiticum, atque sub ejus obedientia vivunt deputati pro servitio alicujus Ecclesiæ, vel Oratorii, secus vero alii.

V. *Suadente diabolo* censetur percutere Clericum, vel Monachum, qui ex odio, rancore, vel iracundia cum sufficienti tamen advertentia juris & facti, percutiunt Clericum, vel Monachum; secus si vel correctionis causa; (si tamen percutiendus esset Religiosus, percuti deberet a suo Prælato, aut ab alio Clerico, vel Monacho, & non per sæcularem, *ex cap.* Universitatis 24. *de sententia excommunicationis*) vel ad sui, aut alterius defensionem in corpore, aut bonis fortunæ; vel percutiatur a Marito, Patre, Fratre Clericus turpiter agens (etiam solum osculando & amplexando) cum uxore, filia, sorore; secus si percutiatur Clericus inventus turpiter agens cum alia persona non ita sibi conjuncta, *ex cap.* Si vero. 5. *de sententia excommunicationis*, vel juxta Peyrinum, si provocatus a Clerico, vel Monacho ipsum percuteret, in quo casu solus provocans incurrit excommunicationem.

Resolves: incurrit igitur excommunicationem canonis, qui sive in se ipsum, sive in quemcumque alium Clericum, vel Monachum, etiam volentem & consentientem, violentas manus injicit, sive physice, sive moraliter; a qua excommunicatione, quinam possint absolvere? dabit sequens Tabula LXVIII.

TAB. LXVIII. *De Potestate absolvendi ab excommunicatione Canonis.*

Absolvere ab Excommunicatione canonis possunt, præter Summum Pontificem,

I. Legati, *ex cap.* Excommunicatis 9. *de officio legati*, qui sint Legati a Latere possunt absolvere quoscumque Christi fideles accedentes ubique locorum, etiam extra suam Provinciam, etiam pro foro externo a quacumque percussione. Si vero non sint Legati a Latere, non possunt a prædicta canonis excommunicatione absolvere extra suam Provinciam vel non subditos illius Provinciæ; Legati vero nati non possunt absolvere nisi sit ipsis specialiter concessum.

II. Episcopi, pro casu, quo percussio quæcumque, licet gravis & enormis, sit occulta, *ex Trid. sess.* 24. *de Reform. c.* 6., secus vero si sit publica & notoria, nisi supponatur levis percussio, non quidem quæ sit venialis, sed quæ opponitur mediocri & enormi, a qua præciso quocumque impedimento possunt absolvere *ex cap.* Pervenit. 17. *de sent. excommun.*; vel si supponatur mediocris & gravis, concurrat impedimentum aliquod canonicum, juxta infra dicenda. **

III. Prælati Regulares suos subditos sese invicem percutientes, *ex cap.* Monachis 2., *ex cap. Cum illorum* 32. *de sententia excommun.* Quod si percussio contingat inter subditos diversæ Religionis, absolutio impertienda est a proprio percutientis & percussi Prælato, ita tamen, ut absolutio & executio pœnæ fiat per superiorem percussoris, tanquam judicem Ordinarium, cum præsentia & consensu superioris offensi, tanquam Actoris. " Quod si se mutuo percutiant, quivis a suo respective Prælato potest absolvi. Quod si Religiosus percutiat Clericum Episcopo subjectum, debet absolvi vel a Papa, si percussio sit gravis & enormis, vel ab Episcopo si sit levis, aut gravis substans impedimento canonico, vel a Prælato Ordinis ex delegatione Episcopi, *ex cap.* Cum illorum 32. *de sententia excommunicationis & cap. Religioso*: 20. *eodem tit.* 126.

Episcopi a publica & notoria percussione Clerici possunt absolvere

1. In periculo, vel articulo mortis, *ex cap.* Non dubium 5. *de sententia excommunicationis*, inter quos veniunt ingredientes conflictum, arripientes navigationem maris valde periculosam, mulieres in primo puerperio.

2. Mulieres percutientes Clericum, vel Monachum, *ex cap.* Mulieres 6. *cap.* Ea nosciturі 3. *& cap.* Quamvis *de sententia excommunicationis*.

3. Moniales se invicem, aut Clericum, vel Monachum, *ex cap.* Mulieres. 6. *cap.* Ea noscitur. 13. *& cap.* Quamvis 58. *de sententia excommunicationis*.

4. Habens capitales inimicitias, ob quas metu mortis, aut alterius gravis damni sibi ab hostibus inferendi prohibetur ab itinere ad sedem Apostolicam, *ex cap.* De cætero 11. *de sententia excommunic.*

5. Juvenes in impubertate percutientes Clericum, vel Monachum, *ex cap.* Quamvis *& cap.* Pueris. 60. *de sententia excommunicationis*.

6. Officialem, seu judicem, vel Apparitorem alicujus Potestatis, vel Principis, qui arcendo turbam casu fortuito, non tamen absque omni culpa, Clericum percussit, *ex cap.* Si vero. 3. *de sentet. excommunication.*

7. Delicatos illos nobiles & magnæ potentiæ viros, qui sine periculo Status suos deserere, vel itineris Romani laborem sustinere non possunt, manifestata prius Papæ impotentia, *ex cap.* Mulieres 6. *de sententia excommunicationis*.

8. Pauperes, qui tanta paupertate laborant, ut Sedem Apostolicam adire non valeant, *ex cap.* Quamvis 58. *de sententia excommunicationis*.

9. Valetudinarios, qui sine periculo morbi, vel reincidendi in morbum iter Romanum aggredi nequeunt, *ex cap.* Ea noscitur. 3. *de sententia excommunicationis*.

10. Senes, qui judicio boni viri ratione provectæ ætatis Romam adire nequeunt, *ex cap.* Ea noscitur. *mox citato, & cap.* Quamvis. 58. *de sententia excommunic.*

11. Clericos viventes in communi & in una domo vescentes, ac sub eodem tecto quiescentes invicem sese percutientes, *ex cap.* Quoniam. *de Vita & Honestate Clericorum*; quamvis Glossa velit, textum hunc loqui de Regularibus.

12. Janitorem, seu Ostiarium, qui sub prætextu sui Officii percutit Clericum, non tamen enormiter, *ex cap.* Si vero 3. *de sententia excommunicationis*.

13. Adstrictos, seu obligatos aliis, ut sunt Servi, Filii familias, qui nequeunt, invitis Dominis & Parentibus, accedere sedem Apostolicam, *ex cap.* Mulieres 6., *& cap.* Relatum 32. *de sententia excommunicat.*

14. Illum, de quo dubitatur, an percusserit Clericum? licet fama publica extet, qui vel se purgare debet coram Episcopo, vel ab hoc ad cautelam absolvi, *ex cap.* Cum desideres. 15. *de sententia excommunic.*

15. Illos qui justis & rationalibus de causis excusantur ab assumendo itinere Romano, *ex cap.* De cætero. 11. *de sententia excommunic.*

16. Debiles, idest cæcos, claudos, aliosque membris destitutos, *ex cap.* Quamvis. 18. *de sententia excommunicationis*.

* Prædicti omnes percutientes etiam graviter & enormiter publice & notorie Clericum vel Monachum, possunt ratione impedimenti absolvi ab Episcopis suis, si non adsit alius habens facultatem a Sede Apostolica. " Absoluti vero ab Episcopo ratione impedimenti, si impedimentum sit temporaneum, sublato impedimento, tenentur adire sedem Apostolicam, *ex cap.* De cætero. 11., *& cap.* De his. 26., *& cap.* Quamvis. 58. *de sententia excommunicationis*, non quidem in ordine ad obtinendam denuo absolutionem, sed ut mandatum sedis Apostolicæ recipiant, *ex Glossa in cap.* De cætero *cit. ad Verbum suscepturus*; quod si non compareat reincidit in eamdem excommunicationem, *ex cap.* Eos qui. 22. *de sententia excommunicationis* 126. Si vero impedimentum sit perpetuum, absolvitur sine onere comparendi.

N. B. *Absolutio ab excommunicatione Canonis danda non est, nisi prius admoneatur pœnitens de satisfactione præstanda parti læsæ, & pœnitens promittat, imo in foro externo non est danda, non satisfacta prius parte læsa, vel saltem præstita cautione per pignora, vel fidejussionem, vel saltem per proprium juramentum*, ex cap. *Parochianos*. 9. sententia excommunicationis, & cap. *Solet*. 2. eodem tit. in 6.

2. *Confessarii Ordinum Mendicantium vi privilegiorum suorum possunt foro conscientiæ Romæ & extra Italiam absolvere suos pœnitentes ab excommunicatione Canonis absolute, seu sine onere comparendi, injuncta tamen obligatione satisfaciendi parti læsæ: secus vero intra Italiam* ex decreto Clementis VIII. relato Tom. VI. Bullar. Capuc. fol. 336.

TAB. LXIX. *De virtute Castitatis, Impedimentis et Remediis.*

Castitatis (quæ est *Virtus moralis moderans inordinatum appetitum, usumque venereorum*)

I. Differentia a

1. Continentia, vel quia hæc, ut inquit D. Anselmus, *in luctamine est, castitas in pace*; non enim castitas, sed continentia dicitur, ubi ei adhuc resistit adversitas voluptatis, adeo quod continentia sit inchoata & militans, ac pugnans castitas; vel quia continentia generalis est virtus, aut potius complexum virtutum, qua continens vitiorum omnium illecebras & tentationes frænat ac cohibet.

2. Virginitate, quia castitas latius patet, utpote quæ etiam in conjugatis, atque corruptis, nec non solutis pœnitentibus locum habere potest, Virginitas vero semel amissa per consensum voluntarium in libidinem irreparabilis est.

II. Divisio in

1. Imperfectam, quæ solum illicita carnis, oblectamenta rejicit, estque vel

- Conjugalis, quæ est constans voluntas & efficax abstinendi ab omni actione, & delectatione venerea cum non conjuge, & ea utendi cum conjuge, loco, tempore, modo semper juxta rectæ rationis regulam.
- Vidualis, quæ est voluntas constans & efficax abstinendi de cætero ab omni actione & delectatione venerea percepta in conjugio.

2. Perfectam quæ ab omnibus voluptatibus carnis, tam licitis, quam illicitis abstinet, tum proxime tum remote, quæ dicitur virginalis, cujus integritas

Alia est

- Materialis, seu carnis, consistens in fœminis in Claustro virginali, seu vel in tenuissima pelle, vel in carnea membrana, vel in sola compressione orificii fœminei vasis, juxta diversorum placita; & hæc materialis virginitas ex se non est virtus.
- Moralis, quæ præter integritatem claustri virginalis exigit animum ac propositum, & quidem juxta D. Thomam 2. 2. *qu.* 152. *art.* 3. *ad* 4. voto firmatum, custodiendi perpetuo integritatem virginalem; & hæc sola est virtus, & hinc puellæ integritatem virginalem usque ad matrimonium servantes, virgines quidem nuncupantur, virginitatis tamen virtute minime præditæ sunt ob defectum propositi deliberati perpetuo servandi suam integritatem.

Amittitur

- Materialis in fœminis tum per copulam voluntariam sive intra, sive extra matrimonium exercitam, tum per copulam involuntariam, quamvis hæc non lædat virtutem virginitatis, tum per virilis instrumenti seu membri, intrusione, etsi pollutio non sequatur, tum per voluntariam pollutionem, etiam absque concubitu, adeo quod per pœnitentiam nunquam recuperari possit; in viris vero amittitur per voluntariam pollutionem sive in, sive extra matrimonium.
- Moralis virginitas tum in viris, tum in fœminis dum ab animo & proposito perpetuo abstinendi a dictis delectationibus venereis, tam intra, quam extra matrimonium recipitur; acta tamen pœnitentia & reassumpto proposito perpetuo abstinendi a dictis delectationibus venereis, & apud Deum integre recuperatur, & coram facie Ecclesiæ talis semper Virgo habetur, atque inter Virgines consecrari potest, cum Ecclesia judicet secundum exteriora: ita ex communi Layman. *lib.* 3. *sect.* 4. *n.* 8.

N. B. *Virgo solum mente vitiata, seu quæ solum ab animo & proposito perpetuo servandi virginalem integritatem, deflexit, peracta pœnitentia, denuo assumendo animum & propositum, potest inter Virgines consecrari, seu velum consecrationis, quod in aliquibus Regionibus virgines professæ 25. ætatis anno solent, potest accipere.*

Virgo mente & corpore vitiata, saltem per copulam sive voluntariam, sive involuntariam, licet solum occulta, nequit inter Virgines consecrari, seu velum consecrationis sive petere, sive accipere, ex cap. *Acutius.* 2. Dict. 26. juncta Glossa ad Verbum Consecrari, & ex D. Thoma, *sed contenta esse debet velo continentiæ & observantiæ, neque ad Prælaturam ascendere potest sine dispensatione summi Pontificis, sive voluntarie, sive involuntarie, sive notorie, sive occulte corrupta sit: & contrarium faciendo peccat graviter, nisi ipsam excuset vel ignorantia & bona fides, vel prudens timor incurrendi notam infamiæ & præbendi occasionem scandali". Quod si vere solum vitiata esset per voluntariam pollutionem, posset velum consecrationis & probationis accipere, quia claustrum Virginitatis ab extrinseco illæsum servat.*

III. Impedimenta sunt

1. Ex parte Corporis ciborum affluentia & deliciarum mollities: *quia* (sicut Apostolus dicit ad *Galatas* 5.) Caro concupiscit adversus spiritum .... *quanto autem caro magis fovetur per ciborum affluentiam & deliciarum mollitiem, tanto hujusmodi concupiscentia magis crescit. Unde Hieronymus dicit:* Venter mero æstuans cito despumat in libidinem. *Et Proverb.* 21. luxuriæ res vinum. *Ex S. Thoma Opusc.* 35. *de perfect. Vitæ Spiritus. c.* 9.

2. Ex parte Animæ, *dum ea lascivis cogitationibus immoratur .... unde per cogitationem diutinam maxime libido provocatur.* Idem *ibid.*

3. Ex parte Objectorum. Aspectus & frequentia colloquia mulierum, & earum consortium. Unde Eccl. 9. dicitur: *Propter speciem mulieris multi perierunt: Ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit, &* postea subditur: *Colloquium ipsius, quasi ignis exardescit.*

IV. Remedia

Contra I. Impedimentum adhibenda est carnis mortificatio, per jejunium, pœnitentias, vigilias &c.

Contra II. Impedimentum est

1. Mentem principaliter occupare circa contemplationem rerum divinarum, & orationem juxta Apost. ad Ephes. 5. Studium Scripturarum secundum illud D. Hieronym. *ad Rusticum Monachum: Ama scripturarum studia, & carnis vitia non amabis.*
2. Quibuscumque cogitationibus bonis animum occupare. Unde Chrysostomus *super Matth.* dicit: *abscissio membri ita non comprimit tentationem & tranquillitatem facit, ut bona cogitationis frænum.*
3. Fuga otii & exercitatio in laboribus. *Multa enim malitiam docuit otiositas,* dicitur Eccl. 33. Et D. Hieronymus ad Rusticum: *Facito aliquid operis, & semper diabolus inveniat te occupatum.*

Contra III. Impedimentum est cohibitio oculorum & modestia non solum in spectandis mulieribus, sed etiam & plurimum picturis, sculpturis obscœnis, vel nudis: deinde declinatio & fuga ab ipsarum consortio præsertim solitario: ait enim Eccl. ibid. *Ne respicias in mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius; cum saltatrice ne assiduus esto, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* Et cap. 42. omni homini dicitur: *Noli intendere in specie, & in medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri.* Et sic vice versa mulieribus suadendum.

TAB. LXX. *De Luxuria interna.*

Luxuria est *inordinatus appetitus, seu usus venereorum*, cujus actus interni sunt

I. Cogitatio, seu imaginatio rerum obscœnarum, quæ si

1. Involuntarie adveniat, vel detineatur in intellectu, nullum est peccatum; imo si ei positive resistatur constanti aversione, protestatione, nisu in contrarium, magnum adfert meritum. Unde prudens Confessarius non debet consulere pœnitentibus timoratis, ut petant absolute liberari a talibus cogitationibus involuntariis (quod esset idem ac petere ut Deus auferat ab illis occasionem meriti); bene vero, ut constanter petant a Deo gratiam fortiter dimicandi contra easdem & nunquam eisdem succumbendi: sic enim intelligenda venit 6. petitio Dominicæ Orationis: *Et ne nos inducas in tentationem*.

2. Voluntarie directe admittatur, vel detineatur, est peccatum mortale; ob præsentissimum periculum cadendi in delectationem & consensum, aut ipsum opus.

3. Voluntarie interpretative admittatur, vel detineatur, seu nec approbando, nec repellendo, sed permittatur sine justa causa cum sufficienti advertentia, est peccatum mortale, *juxta probabiliorem & expressam D. Thomæ* 1. 2. *qu.* 14. *art.* 6. *in corp.*

II. Motus concupiscentiæ carnis, qui si sint

1. Involuntarii, nullum inducunt peccatum, quia non a voluntate, a qua solum procedit peccatum, sed a parte inferiore, seu appetitu sensitivo proveniunt; hinc a diversis Summis Pontificibus signanter a S. Pio V. an. 1576. damnatæ sunt propositiones Bay *

2. Voluntarii sive directe, sive interpretative, idem dicendum, ac de cogitationibus rerum obscœnarum voluntariis directe vel interpretative; adeoque eisdem positive non resistens, præcisa justa & rationabili causa, peccat mortaliter, juxta probabiliorem; secus si ex justa causa.

III. Delectatio morosa, quæ est *simplex complacentia de re turpi ad luxuriam & venerem pertinens*, alia est

1. Spiritualis pure talis, quæ scilicet in sola voluntate est, sine ulla delectatione sensibili, est peccatum mortale, si terminetur ad rem cogitatam veneream; secus vero si solum ad modum artificiosum, aut ad ipsam cogitationem ad bonum finem, aut sua conditione auferente malitiam ab objecto, si talis poneretur a parte rei.

2. Carnalis, seu in appetitu sensitivo, vel

- Sensibilis quæ oritur ex applicatione sensus ad objectum extra ullam commotionem in partibus genitalibus, quæque sentitur communiter circa pectus cum aliquo calore, ac emotione sanguinis, quæ juxta communem non excedit veniale, secluso tamen periculo consensus in delectationem veneream, præsertim respectu illius, qui post quæsitam & admissam talem delectationem, non est expertus periculum delectationis venereæ, quamvis alii non pauci velint, quod quærere & deliberate admittere talem delectationem pure sensibilem respectu omnium, sit peccatum mortale; quia ipsis non videtur possibile, quod cum tali delectatione sensibili deliberate quæsita & admissa non adsit periculum proximum delectationis venereæ, præsertim in animabus tepidis.
- Venerea, si sentitur circa partes genitales per commotionem seminis, vel spirituum generationi deservientium, quæ deliberate ac voluntarie capta a solutis, est peccatum mortale, & quidem ex toto genere, saltem si directe & in se sit volita, sive dein absolute, sive conditionate sub quacumque capiatur conditione actu non existente possibili, vel impossibili; secus vero indirecte, seu in actione aliqua solum levi admissa, vel non ablata, secluso tamen consensu, vel periculo consensus in ipsam delectationem veneream, aut opus aliquod turpe.

IV. Desiderium, seu propositum rei malæ cum voluntate rem in opere exequendi, quod si sit

1. Absolutum & efficax, eamdem malitiam contrahit ac actus exterior, in quem fertur, cum terminetur ad objectum, ut in fieri a parte rei, unde in confessione ejusdem semper explicandæ sunt omnes circumstantiæ, quæ in confessione ipsorum actuum explicandæ forent.

2. Conditionatum sub conditione revera auferente malitiam actus propositi per intellectum, etsi reipsa non subsistente, non est grave peccatum; dummodo sub tali conditione desideretur; v. g. si non essem uxoratus ducerem, vel cognoscerem maritaliter hanc fœminam, quamvis ab hujusmodi desideriis abstinendum, tum quia sunt actus otiosi, atque adeo venialiter solum peccaminosi, tum quia in materia luxuriæ sunt valde periculosi.

3. Conditionatum sub conditione non auferente malitiam ab objecto, ut vellem fornicari, si non esset peccatum, si non esset malum, si non esset offensa Dei, &c. est graviter peccaminosum juxta communem, cum sit de conditione pro omni statu impossibili; licet enim consensus conditionatus nihil ponat in rerum natura ex parte objecti voliti, in voluntate tamen ponit actualem affectum committendi peccatum sibi objectum, excepta sola conditione illa, quæ minime aufert malitiam peccati.

* P. D. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto:* non concupisces 50.

** P. D. *Motus pravi concupiscentiæ, sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto:* non concupisces: *unde homo eos sentiens & non consentiens, transgreditur præceptum*, non concupisces: *quamvis trangressio in peccatum non deputetur*. 75.

TAB. LXXI. *De Luxuria externa incompleta.*

Luxuria externa Incompleta est, in qua non intervenit ultimus actus venereorum quod est decisio seminis, cujus actus sunt

- **I. Aspectus libidinosus malus vel ex**
  - **1. Objecto**
    - **Mortaliter ut**
      - Aspicere homines coeuntes serio ac deliberate.
      - Aspicere serio ac deliberate, seclusa necessitate & causa, pudenda alterius sexus, ut fœminas nudas, nisi essent valde puerilis ætatis.
      - Aspicere partes inhonestas pictas, vel sculptas.
      - Aspicere spectacula turpia & obscœna, etiam respectu Clericorum non timentium periculum lapsus. *Ex Bened. XIV. Syn. Diœc. lib.* 11. *c.* 10. *n.* 12.
    - **Venialiter ut**
      - Aspicere ubera fœminarum.
      - Aspicere seipsum circa pudenda.
      - Aspicere alterum ejusdem tamen sexus, circa pudenda.
      - Aspicere objecta de se graviter allectiva ad venerem, sed indeliberate ex improviso & valde obiter, quia hujusmodi aspectus non videntur exponere aspicientem periculo alicujus delectationis pravæ. *Antoine & etiam P. Concina T.* 4. *in Dec. l.* 8. *Dissert. c.* 2. *n.* 6. magnam tamen cautelam suadet *c.* 4. *n.* 28.
  - **2.** Intentione aspicientis, seu intentione delectationis venereæ captandæ, sive sit aspectus rerum de se turpium, sive non turpium, semper est mortale, præsertim secuta, & voluntarie acceptata delectatione venerea.
  - **3.** Periculo præciso consensus in delectationem veneream, vel opus aliquod turpe, nec tamen ab aspectu illo cessat, etsi ex sola levitate, ac curiositate ductus deliberate ac serio aspiceret.

- **II.** Locutio & Auditio rerum turpium, quæ si fiant delectationis venereæ causa, vel cum periculo consensus in illam, est peccatum mortale; veniale vero si solum joci, curiositatis, aut levitatis causa fiant, secluso scandalo, quod contingere notum est, si coram juvenibus de prædictis rebus turpibus fiat discursus.

- **III. Tactus libinosi, qui sunt mali**
  - **1. Mortaliter, si exerceantur circa**
    - Partes etiam honestas v. g. manus, brachia, faciem, voluptatis & delectationis venereæ causa: *ex Alexandro VII. damnante propositionem* 40. *
    - Prædictas partes honestas, citra prædictam pravam intentionem, cum periculo tamen consensus turpis in delectationem veneream.
    - Prædictas partes ob delectationem sensibilem, quæ in ipsa contrectatione manuum, faciei, &c. sentitur, *juxta Aliquos.*
    - Partes inhonestas alterius personæ, sive ejusdem, sive diversi sexus, præcisa justa, causa, etsi per se non intenderetur delectatio venerea, sed ex sola levitate vel curiositate fierent.
    - Ubera fœminarum, saltem loquendo de actibus pressis & morosis, præsertim fœminarum jam puberum, quia passim sunt efficacissimum incitamentum ad venerem.
    - Pudenda brutorum in ordine ad videndum eorum semen, tum ob ipsam naturalem indecentiam, tum, & præcipue, quia talis contactus videtur ex objecto suo valde obscœnus, nec non vehementer incentivus ad venerem.
    - N. B. *Tactus venerei, seu impudici inter personas ejusdem sexus sunt peccata mortalia graviora, quam inter personas solutas diversi sexus,* ex Ferraris *allegante communem & rationem, quia tales tactus venerei inter personas ejusdem sexus tendunt ad peccatum mollitiei, vel sodomiæ, quod est peccatum gravius simplici fornicatione. Verbo* Tactus *n.* 8.
  - **2. Venialiter si exerceantur circa**
    - Partes honestas ex mera curiositate, levitate, joco, aut hilaritatis gratia, si tamen fiant, vel civilitatis gratia juxta morem Patriæ, vel ex alio fine honesto, v. g. ad contestandum amorem castum, amicitiam, vacant omni culpa, licet fiant inter personas diversi sexus.
    - Partes honestas ob solam delectationem naturaliter consequentem, quæ tamen non sit venerea.
    - Ubera fœminarum obiter, superficialiter & transeunter.
    - Partes proprias inhonestas, seclusa necessitate, vel utilitate, aut maligno & libidinoso affectu, vel periculo consensus turpis, præsertim si obiter exerceantur.
    - Pudenda animalium minorum, v. g. Canum, Catulorum ex sola curiositate & levitate, nulla concepta impura delectatione in re.

N. B. 1. *Oscula & amplexus (de quibus idem ac de tactibus partium honestarum dicendum) excusari non possunt a mortali inter personas diversi sexus, facti ob delectationem sensibilem persistentem in ipso osculo & amplexu, si fiant cum ardore & mora, replicatis diu in ore osculis, gustatis labiis more columbarum, lingua unius alterius ore excepta, propter præsentissimum periculum consensus in delectationem veneream.*

2. *Oscula, Tactus & Amplexus libidinosi eamdem speciei malitiam continent, quam habet actus venereus ad quem de se ordinantur; hinc si prædicti actus exerceantur affectu libidinoso cum soluta, trahuntur ad speciem fornicationis, si cum ligata ad speciem adulterii, si cum consanguinea ad speciem incestus, propterea que in confessione explicanda est personæ osculatæ, amplexatæ & tactæ circumstantia.*

3. *Commotio libidinosa consistit in alteratione, tumore & erectione membri genitalis per motionem spirituum generationi servientium, in qua motione voluntarie acceptata consistit delectatio venerea, estque peccatum mortale velle & procurare eam, quia est quædam præparatio & inchoatio ad pollutionem, & passim dicitur inchoata pollutio.*

* P. D. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis.*

TAB. LXXII. *De Luxuria externa completa contra ordinem naturæ et quidem in specie, de Mollitie, seu Pollutione.*

Luxuria externa completa est illa, *in qua intervenit ultimus terminus venereorum; cujus* actus contra ordinem naturæ sunt

- I. Mollities seu Pollutio, quæ est *Voluntaria effusio seminis absque concubitu cum alio*
  - 1. Volita
    - Directe & per se procurata ex quocumque demum fine, aut prætextu quomodolibet honesto, e. g. titulo sanitatis, est peccatum mortale contra naturam simplex, vel qualificatum sive ex parte objecti cogitati, sive personæ se polluentis, sive cooperantis ad pollutionem, sive instrumenti provocantis, v. g. ore alterius; licet aliqui velint pollutionem procuratam ore alterius reducendam ad sodomiam, vel constituere novam speciem malitiæ, quæ ab aliquibus dicitur per *irruminationem:* adeoque mollities, seu voluntaria pollutio directe procurata est ab intrinseco mala. Unde Innocentius XI. merito damnavit sequentem propositionem. *n.* 49.*
    - Indirecte, seu in causæ positione videlicet actionis
      - Graviter malæ & peccaminosæ
        - In materia luxuriæ, est peccatum mortale, juxta omnes. Hinc seipsum, vel alium libinose aspiciens, vel tangens cum prævisione secuturæ pollutionis, pollutio secuta ei imputatur ad culpam mortalem, quamvis eam in se & explicite non vellet.
        - In alio tamen genere quam luxuriæ, est peccatum veniale contra virtutem castitatis, quia eo ipso quod actio illa non sit ordinata ad rem veneream, nonnisi leviter potest influere & concurrere ad pollutionem: ex quo sequitur, quod se ingurgitans cum prævisione secuturæ pollutionis, non peccet mortaliter contra castitatem: quamvis alii negent talem excusari posse a mortali; quibus & ego assentior, nam vix dari potest, ut quis prævideat effectum ex positione causæ secuturum, & effectum non velit. Hinc Tornellus prohibuit usum Caffei cuidam personæ, quæ ex tali causa certitudine morali talem effectum expectabat.
      - Leviter & venialiter solum malæ in materia luxuriæ est peccatum veniale seclusa prava intentione ac periculo consensus juxta aliquos; quamvis alii velint, quod ponens hujusmodi causam v. g. fœminam osculando, eam diutius aspiciendo, vel alloquendo cum prævisione secuturæ pollutionis, peccet mortaliter; quorum sententia videtur conformior Evangelio, ubi habetur: *si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.*
      - Per se honestæ ac licitæ
        - Ex rationabili causa necessitatis, utilitatis ac commodi, absque periculo consensus in prævisam pollutionem & inde ortam delectationem veneream, nullum est peccatum; cum eam potius pati quis, quam velle dicatur.
        - Sine tamen rationabili causa exercita, seclusa tamen prava intentione ac periculo consensus in delectationem veneream, est solum peccatum veniale.
  - 2. In Somno
    - Secuta non est peccaminosa, nisi quatenus vel antecedenter directe, aut indirecte volita, vel consequenter in vigilia habetur complacentia de percepta delectatione sensuali & libidinosa.
    - Inchoata licet potest permitti in vigilia, secluso consensus periculo, quamvis Tornellus eam coercendam doceat, non quidem tactu; sed ardenti clamore ad Deum, B. V. Mariæ invocatione, Crucis signo, vel frigidiorem lecti partem inquirendo, aut e lecto prosiliendo foras media etiam hyeme ad modicum tempus. Quod quidem omnibus consulendum, sed sub gravi culpa aliquem obligare nimis durum & difficile fragilitati humanæ reor. Cavendum tamen ne pollutio in somno inchoata promoveatur aliquo conatu aut impulsu voluntario, etiam ad reliquias seminis solum protrudendas.
  - 3. Ad quam reducuntur
    - Coitus cum mortua fœmina, nam æque frustratur generationem, ad quam humanum semen institutum est, ac si seipsum quomodolibet pollueret.
    - Distillatio
      - Libidinosa, quæ est effusio modica seminis partialis ad instar stillarum, minorique voluptate effluentis: imo quandoque absque ulla voluptate (per quæ differt a pollutione, quod hæc sit effusio seminis per se ad generationem apti, magnaque semper delectatione effluentis): eam tamen deliberate velle & provocare, vel de ea jam secuta delectatione sensibili & venerea delectari, est semper peccatum mortale; quia sibi complacere de voluptate libidinosa, quæ adnectitur distillationi & commotioni libidinosæ semper est peccatum mortale: sive dein illa sit directe procurata, sive indirecte, tamen juxta dicta de pollutione voluntaria indirecte.
      - Non libidinosa, quæ scilicet contingit sine ulla delectatione & voluptate sensuali venerea; quæque non est peccaminosa, quamvis ad eam concurrat levis erectio genitalium, quia humor ille extillans sine voluptate non est semen, consequenter neque ejus effusio frustratur humanam generationem, sicut effusio veri seminis.
- II. Sodomia, quæ est vera vel ficta conjunctio in vase præpostero,
- III. Bestialitas, quæ est coitus duorum diversæ speciei,

{ de quibus Tabula seq.

P. D. * *Mollities jure naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

TAB. LXXIII. *De aliis Actibus Luxuriae completae contra ordinem naturae, seu de Sodomia et Bestialitate.*

Luxuriæ externæ completæ contra ordinem naturæ actus reliqui sunt

- **I. Sodomia; alia est**
  - **1. Perfecta, ad quam requiritur**
    - Congressus duorum virorum in vase indebito, seu præpostero.
    - Effusio seminis intra vas præposterum, quidquid aliqui velint, quod ad sodomiam perfectam sufficiat sola penetratio vasis præposteri, etsi non sequatur seminis effusio intra vas, cum simus in odiosis.
    - N. B. *Sola sodomia perfecta, licet occulta, est casus reservatus Episcopis, quando hi sibi simpliciter reservant sodomiam, & ut præterea inducat pœnas in jure latas, debet esse notoria ac frequentata, quia in jure puniuntur solum exercentes, qui terminus indicat frequentiam.*
  - **2. Imperfecta, qualis censetur congressus**
    - Fœminæ cum fœmina in vase sive anteriori, sive præpostero, quidquid aliqui velint, utrumque congressum habere rationem perfectæ sodomiæ, fundati in D. Thoma, at ex hoc S. Doctore non aliud colligitur, quam quod vitium sodomiæ cum habeatur tum per concubitum masculi cum masculo & fœminæ cum fœmina, an vero uterque dicendus sit perfectæ sodomiæ, non se explicat D. Thomas, & ratio odiositatis suadet explicandum de sodomia imperfecta.
    - Viri cum fœmina in vase præpostero, quod si vir congrediatur in vase præpostero cum propria uxore committit adulterium, non quidem commune & ordinarium, sed monstruosum quoddam, & ideo contrahit duplicem specie malitiam, unam criminis nefandi, alteram adulterii, quia accedit ad non suam; cum respectu vasis præposteri sua non est.
    - Viri cum viro in vase præpostero sine seminis effusione intra vas, vel Viri superincumbentis alteri viro eo modo quo solent viri superincumbere mulieribus.
  - N. B. 1. *Sodomia tam perfecta, quam imperfecta est peccatum in materia luxuriæ gravissimum & adeo turpe quod per antonomasiam dici solet* nefandum *propter suam deformitatem & turpitudinem, & hinc sodomitæ vocantur filii diffidentiæ, utpote de quorum salute valde diffidendum sit,* ex Glossa in cap. *Clerici,* de excessibus Prælatorum.
  - 2. *In confessione sodomiæ sive perfectæ sive imperfectæ explicari debent circumstantiæ personarum tam active quam passive congredientium, si videlicet congressus contigisset cum persona uxorata, consanguinea, affine, sacra; item explicari debet, an fuerit agens vel patiens, quidquid aliqui contrarium sentiant, & uterque, incurrit casum reservatum; nisi patiens fuisset impubes, quamvis agens pubens incurreret supposita penetratione vasis & seminatione in vase.*
  - 3. *Sodomia Jure Civili punitur ultimo supplicio; Jure vero Canonico jubentur sodomitæ laici excommunicari, & a cœtu fidelium separari usque ad condignam satisfactionem; Clerici vero sodomitæ jubentur degradari vel detrudi in Monasterium ad agendam pœnitentiam.*
- **II. Bestialitas, quæ est** *congressus duorum diversæ speciei,* **in cujus confessione**
  - 1. Non necessario explicanda est species animalis: an videlicet fuerit vacca, equa vel asina.
  - 2. Non necessario explicandum, si cum bestia fœmella in vase præpostero coitus habitus fuisset, utpote induens malitiam sodomiæ; idem dicendum si cum bestia mare coitus habitus fuisset in vase præpostero seu ano.
  - 3. Necessario explicandum, si in coitu cum bestia intendatur coitus cum virgine, consanguinea, utpote induens malitiam fornicationis, incestus &c.
  - 4. Necessario explicandum, si coitus fuisset cum Dæmone, utpote induens malitiam contra virtutem Religionis propter commercium cum Dæmone.
  - 5. Necessario explicandum, an coitus fuerit cum Dæmone succubo, vel incubo sub specie & forma viri conjugati, consanguinei &c. apparente, utpote induens malitiam superstitionis & irreligiositatis propter commercium cum Dæmone.
  - N. B. 1. *Bestialitas etiam modernis temporibus punitur ultimo supplicio, & post mortem comburitur una cum bellua exercens bestialitatem.*
  - 2. *Mollities seu Pollutio, Sodomia & Bestialitas dicuntur actus luxuriæ externæ completæ contra ordinem naturæ, quia ex his actibus & congressibus non potest sequi conceptio & generatio, ad quam a natura, prout est etiam in cæteris animantibus, semen institutum est.*
  - 3. *Dicti tres actus luxuriæ contra ordinem naturæ differunt specie inter se, quia licet etiam virtuti castitatis opponantur, opponuntur tamen diverso notabiliter modo, hinc merito Alexander VII. damnavit propositionem 24. contrarium asserentem.* *
  - * P. D. *Mollities, Sodomia & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.*

TAB. LXXIV. *De Luxuria externa completa juxta ordinem naturæ.*

Luxuria externa completa est, in qua in concubitu intervenit ultimus actus venereorum, cujus actus juxta ordinem naturæ sunt

I. Fornicatio est *concubitus naturalis soluti cum soluta ex mutuo consensu*

1. Est peccatum ex toto genere suo mortale, & ab intrinseco mala, utpote accessus ad non suam præjudicans bono prolis, est de fide & contrarium damnatum ab Innocentio XI. *propositione* 48 *
2. Commissa inter solutos, aptos alias ad generationem, est simplex peccatum contra castitatem.
3. Commissa a frigido, vel eunucho continet duplicem malitiam fornicationis & mollitiei.
4. Commissa modo indebito ex intentione impediendi conceptionem, duplicem malitiam continet.
5. Inchoata per penetrationem vasis, non vero absoluta per seminationem intra vas, duplicem malitiam continet.
6. Commissa cum Virgine libere consentiente, licet existente sub custodia Patris, unum includit peccatum, *juxta probabiliorem*, & nullam obligationem inducit.
7. Commissa cum sponsa alterius, unum tantum includit peccatum fornicationis, *juxta probabiliorem*.
8. Commissa cum pluribus, explicandus in confessione numerus personarum.

N. B. *Concubinatus, seu frequens fornicatio soluti cum soluta, qui superaddit ad peccatum mortale statum peccati mortalis, utpote existens in occasione proxima peccandi, ratione cujus nunquam absolvendus concubinarius ob defectum propositi, nec quidem si promittat eam dimittere, saltem extra casum, quo ageretur de occasione proxima involuntaria, de qua* Tab. 161. *Ad verum concubinatum sufficit, attento Jure Canonico, frequens accessus ad non suam, sive domi retentam, sive extra domum, quidquid Jus Civile exigat, ut domi sit retenta ad modum uxoris.*

II. Incestus, seu concubitus cum persona consanguinea, vel affine usque ad quartum gradum

1. Addit supra malitiam fornicationis aliam speciem distinctam, & quidem graviorem contra pietatem ac reverentiam naturali jure debitam personis sanguine junctis, quam malitiam superaddunt etiam oscula, amplexus impudici, coitus sodomiticus cum personis consanguineis, vel affinibus.
2. Explicari debet in confessione, an commissus fuerit cum consanguinea, vel affine, *juxta probabiliorem*.
3. Explicari debet gradus, saltem primus, consanguinitatis, vel affinitatis, *juxta probabiliorem*.
4. Explicari debet, si incestus fuerit commissus cum personis conjunctis cognatione carnali, vel spirituali, vel legali, & commissus cum conjuncta cognatione spirituali reducitur ad speciem sacrilegii.
5. Non necessario exprimi debet, si commissus sit cum filia spirituali, seu pœnitente, extra tamen casus tum sollicitationis in confessione, vel occasione confessionis, de quo suo loco, tum reservationis casus, uti de facto in Universali Ecclesia reservatus fuit a Benedicto XIV., adeo quod ipse Confessarius nec licite, nec valide possit suam complicem in peccato impudicitiæ absolvere, & si id præsumeret facere, incurreret excommunicationem. *Ex Benedicto XIV. Constit.* Sacramentum Pœnitentiæ *insert. Tom.* 1. *Bull. ejusd. fol.* 22. *edit. Rom.*, tum si Parochus peccet cum sua Pœnitente.
6. Non necessario explicandus, si commissus fuit cum affine in tertio, vel quarto gradu; quando affinitas orta fuit ex copula illicita, quia talis congressus non habet rationem incestus, sed simplicis fornicationis.

N. B. *Conjux incestum committens cum consanguinea conjugis v. g. cum sorore, vel filiastra uxoris sciens tum quod talis congressus sit specialiter prohibitus, tum quod congredientes sint invicem affines, privatur jure petendi debitum; secus vero si incestum committat cum propria consanguinea,* Ex D. Thoma *in* 4. *dist.* 34. *quæst.* 1. *art.* 5. *in corp., quidquid Aliqui velint quod non minus incestus commissus cum propria consanguinea inducat talem privationem.*

III. Sacrilegium carnale dum per concubitum sacrum aliquod violatur quod est, vel

1. Personale, sive
   1. Persona sacra, non sacram carnaliter cognoscat.
   2. Persona non sacra carnaliter cognoscat personam sacram.
   3. Persona sacra cognoscat alteram sacram, & in hoc casu duplex sacrilegium committitur.
   4. Persona voto simplici castitatis cognoscat carnaliter aliam sive eodem, sive nullo voto adstrictam, quamvis probabilior neget, quod persona solo voto simplici castitatis adstricta, peccans carnaliter committat sacrilegium, juxta dicta in Tabula XXXV.
2. Locale, dum exercetur in loco publica auctoritate ad cultum divinum deputato, ut sunt Ecclesiæ & Cœmeteria, etiam a Conjugatis cum propria uxore, saltem extra necessitatem; imo plures nullam agnoscentes talem necessitatem condemnant absolute Conjuges exercentes copulam in loco sacro de peccato sacrilegii, cujus etiam reus est qui pollutionem sibi procurat in loco sacro, licet sit occulta.
3. Reale, quando res sacra ad concubitum carnalem exercendum adhibetur.

IV. Stuprum, seu concubitus cum virgine invita

1. Committitur
   - Deflorando Virginem per vim physice adhibitam.
   - Deflorando eamdem per metum reverentialem, aut cadentem in constantem fœminam.
   - Seducendo eamdem dolo, vel fraude.
   - Inducendo eam per imposturas, ac extraordinarias preces, saltem conjunctas cum minis, vel metu reverentiali.
   - Secus deflorando Virginem libere consentientem, licet sub potestate Parentum constitutam, juxta probabiliorem.
2. Inducit duplicem speciem malitiæ, incontinentiæ & injustitiæ, utpote a qua tacite aufertur integritas virginalis.
3. Obligat stupratorem ad damnum compensandum, si quod præter deflorationem illatum sit puellæ stupratæ, vel ducendo, vel dotando; si vero nullum aliud damnum patiatur præter violationem claustri virginalis, ad nihil tenetur in foro conscientiæ ante sententiam Judicis.
4. Obligat stupratorem ad ducendam stupratam, pro casu quo non haberet stuprator media ad eam dotandam: vel sub vera, aut ficta promissione matrimonii eam stuprasset, etiamsi deflorans sit altioris ordinis & conditionis, saltem pro casu, quo Virgo deflorata non potuisset advertere fictionem, & licet deflorans sit voto castitatis, aut religionis ligatus.

V. Raptus, *qui est concubitus cum persona vi adducta causa libidinis explendæ.*
VI. Adulterium, *quod est concubitus cum persona vinculo matrimonii ligata.*
} de quibus Tabula seq.

* P. D. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se, nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

TAB. LXXV. *De Reliquis actibus luxuriæ externæ completæ juxta ordinem naturæ, seu de Raptu et Adulterio.*

Reliqui actus luxuriæ externæ completæ juxta ordinem naturæ sunt

V. Raptus, *qui est concubitus cum persona vi abducta causa libidinis explendæ*

1. Committitur dum

1. Abductio fit personæ de loco ad locum, sive persona illa sit masculus, sive fœmina, sive nupta, sive innupta, sive vidua, sive virgo, sive monialis, sive soluta, per quod differt a stupro, ad quam non exigitur abductio de loco ad locum, & exigitur, ut sit virgo, quidquid aliqui negent, quod ad verum stuprum requiratur abductio personæ de loco ad locum.

2. Talis abductio est violenta, seu fit dolo, vi & violentia contra voluntatem personæ abductæ; alias sponte discedens cum amasio non raptus, sed fuga dicitur, quod si violenter abducta, postea sponte consentiat in actum carnalem, adhuc habet rationem raptus.

3. Talis abductio fit in ordine ad explendam libidinem cum persona abducta: si enim ob alium finem v. g. servitutis gratia, abducatur, non habet rationem raptus, quod si fieret in ordine ad contrahendum matrimonium, esset etiam verus raptus. Vid. Tab. CCIII.

2. Non committitur verus raptus

Si puella consentiens in sui abductionem, postea vero renitens carnaliter cognoscatur.

Si puella consentiens, nescientibus, vel invitis parentibus, aut tutoribus, abducatur, dummodo iis nulla vis inferatur, quod extra dubium est, si id fieret, postquam præcessit tractatus de Matrimonio ineundo, vel sponsalibus, *ex cap.* Cum causa 6. *de Raptoribus &c.*

Si copula habita sit cum dormiente fœmina, plane ebria, sensibus destituta, aut per potionem medicam mente sopita, quamvis includeret etiam injustitiam.

N. B. *Raptores mulierum incurrunt excommunicationem majorem non latæ, sed ferendæ sententiæ. Ex can.* 1. 4. 6. *Caus.* 36. *qu.* 2. *Quam incurrunt etiam fautores quocumque modo.*

Nota 2. Rapta, vel vi oppressa, ut evitet peccatum

1. Debet habere constantem & efficacem voluntatem contrariam, nimirum omnem consensum & delectationem in opus turpe constanter excludere.

2. Debet efficaciter exterius resistere etiam positive & impedire motu, agitatione, totoque nisu corporis, clamando si spes sit subsidii impetrandi, licet certissima esset quod non sit consensura; imo etiam occidendo iniquum pudicitiæ aggressorem, juxta dicta in Tab. LXV.

3. Non tenetur positive resistere cum periculo mortis, vel infamiæ incurrendæ, ad quæ evitanda potest se negative & permissive habere, dummodo omnem consensum in delectationem firmiter excludat, juxta probabiliorem; quidquid aliqui talem de peccato mortali condemnent, licet interne omnem detestaretur libidinem.

VI. Adulterium, *quod est concubitus cum persona vinculo matrimonii ligata*

1. Mentale, quod committitur dum quis efficaciter proponit & desiderat cognoscere alienam, vel non suam.

2. Formale, quod committitur, dum quis revera suam uxorem cognoscit, credens tamen, vel putans esse alienam, vel non suam, aut cognoscendo suam efficaciter affectat & desiderat loco suæ aliam habere; & ad hoc reducuntur omnia peccata contra naturam commissa inter conjuges ad invicem.

3. Reale, quod committitur, sive ligatus solutam, aut vicissim, sive ligatam, etiam pro casu matrimonii alterutrius rati, vel etiam consentiente alterutro conjuge (Innoc. XI. damnat proposit. 50. *) carnaliter cognoscat; quodque

Nullam obligationem inducit in adultero, sive propter prævisam injuriam illatam marito complicis, sive propter secutum partum, quando ipse moraliter certus non est, quod a se genitus, licet adesset probabilis ratio dubitandi.

Obligat

1. Alimenta præstare spurio, vel præstita a marito compensari, ex supposito quod moraliter certus sit prolem a se genitam esse.

2. Procurare omni possibili modo, ne legitimi hæredes aliquod detrimentum patiantur.

3. Compensare omnia damna per se ex adulterio legitimis prolibus secuta, etsi adulter non suasisset adulteræ, ut supponat spurium marito, secus vero ea, quæ prædictis per accidens & quasi fortuito accidunt.

N. B. *Pro casu, quo adulteræ nullus superest modus compensandi damna illata, vel inferenda legitimis prolibus, non tenetur rem manifestare sive marito, sive proli spuriæ, ex communi sententia fundata in textu relato* cap. Officii 9. de Pœnitentiis, & Remissionibus, *quæ vel maxime locum habet, dum ex revelatione timenda esset gravis infamia, vel periculum mortis inferendæ a marito, vel prævideretur quod manifestatio illa nihil sit profutura, eo quod proles non tenetur credere matri, etiam juramento asserenti.*

4. Quod si omnino occultum, non admittit propterea separationem conjugum, quoad habitationem, propria auctoritate: quod si fiat, possent conjuges compelli ad cohabitandum, nec prius audienda esset pars innocens parata opponere exceptionem adulterii, quam conjux dimissus in pristinum statum restitutus sit; ita volunt plures Canonistæ & Theologi, maxime ubi ex tali separatione scandalum sit timendum, quibuscum & ego sentio: secluso tamen scandalo, posset pars innocens in foro conscientiæ etiam propria auctoritate separari a nocente quoad habitationem, facultate sibi concessa, tum a jure naturali propter violatam fidem, tum a jure divino, Christo scilicet concedente, nulla facta distinctione inter publicum & occultum; tum ab Ecclesiastico per textus relatos; tum per *Cap.* Plerumque *de Donationibus inter virum & uxorem;* tum per *Cap.* 4. 5. *&* 8. *de Divortiis*. Hinc isthoc sui juris exercitium omni culpa vacans, nescio quo pacto alicubi possit inter *casus, vel peccata reservata poni.*

5. Punitur (præter pœnas in Jure Civili statutas) privatione juris petendi debitum, ut debitum, non vero simpliciter petendi. Quod si etiam exigeret ut debitum a conjuge innocente, hac se non opponente, vel quia ignorat adulterium commissum, vel jus, quod habet denegandi, non peccaret. Ex quo sequitur adulteros non privari ipso facto jure exigendi debitum, sed expectare possunt, donec ab innocente conjuge repellantur. Qui renuens, conscius adulterii, reddere debitum nocenti, nequit tuta conscientia cogi; & si in foro externo cogeretur, eo quod non possit probare adulterium, de quo alias est moraliter certus, non tenetur obedire.

* P. D. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.*

TAB. LXXVI. *De Furto, ejus natura, ac Compensatione occulta.*

Furtum quod est *ablatio occulta rei alienæ invito rationabiliter domino*

I. Prohibitum septimo Decalogi præcepto illis verbis: *non furtum facies*, est peccatum ex genere suo mortale admittens tamen parvitatem materiæ, quæ attenditur per respectum ad damnum illatum grave, vel leve, attentis circumstantiis personæ ditioris, vel egentioris magis vel minus invitæ.

II. Includit unam dumtaxat malitiam injustitiæ, si sit simplex; duplicem vero si sit qualificatum, ut est sacrilegium & rapina, quæ committitur non solum dum res aufertur vim inferendo, sed etiam metum gravem v.g. mortis incutiendo.

III. Committitur dum

1. Surripitur, etiam in gravi necessitate, res aliena *ex Innocentio XI. damnante propositionem* 30., quamvis necessitas illa valde minuat malitiam, & non facile attingat peccatum mortale.
2. Defraudantur tributa, vectigalia & gabellæ justæ, seu impositæ ab habente auctoritatem ex justa causa, etiam supra res usuales, ubi adest consuetudo eas solvendi, dummodo certo constet de justitia exigendi; secus vero si non constet certo, aut dubitetur, *juxta probabiliorem* fundatam in textu relato *cap.* Pervenit. 5. *de Censibus*.
3. Defraudantur Decimæ, juxta dicenda in Tab. LXXX.
4. Surripitur aliquid ab infidelibus sive in suis, sive in Christianorum locis existentibus tempore treguæ, vel salvicoductus, *juxta probabiliorem*.
5. Uxores surripiunt de bonis mariti, & vicissim mariti de bonis uxoris, extra casus infra referendos, licet non facile condemnandi de peccato mortali, nisi magnus fieret excessus.
6. Filiifamilias surripiunt de bonis parentum, quorum scilicet dominium, vel administratio & ususfructus ad ipsos pertinet, etiam in ordine ad sibi compensandos labores in domo paterna præstitos, cum, juxta probabiliorem, non teneatur parens filio laboranti in domo paterna dare salarium; ast non sunt condemnandi de peccato mortali, nisi quantitas excedat in duplo furtum extraneorum.
7. Religiosi subtrahunt, seu surripiunt de rebus monasterii, quod duplicem malitiam, injustitiæ ac proprietatis, contrahit, & quidem gravem, supposita notabili quantitate, seu tanta, quanta requiritur ad furtum grave commissum a sæculari; quidquid aliqui velint, in hoc esse æquiparandos filiisfamilias, qui meo judicio non sunt audiendi.
8. Famuli & ancillæ surripiunt a dominis suis, qui tamen non committunt peccatum mortale nisi in quantitate excedant furtum extraneorum.

IV. Non committitur dum aufertur

1. A Christianis in captivitate Turcarum, vel Maurorum detentis, quantum sufficit ut redimantur & est necessarium ad fugam, & iter ad suos, *ex decisione Sacræ Congregationis de Propaganda*.
2. In extrema necessitate res aliena dummodo
   1. Non auferatur a constituto in eadem extrema necessitate.
   2. Auferatur solum quantum necessarium est ad talem necessitatem sublevandam; excipe si ad id magna summa necessaria foret, quidquid aliqui etiam id concedant.
   3. Aliter prospici non possit, v. g. petendo, ad quod adest obligatio sub veniali, nisi conditio honestæ personæ excuset.
3. Ad faciendam sibi occultam compensationem quam saltem in foro conscientiæ licitam esse suadet textus relatus *capite* Bona fides *de Deposito*
   1. Debitum sit strictum, seu justitiæ, & non tantum convenientiæ, gratitudinis, vel charitatis.
   2. Debitum sit liquidum & certum, nam in dubio melior est conditio possidentis.
   3. Fiat ad æqualitatem, seu ut non plus accipiatur, quam debitum sit.
   4. Non possit debitum alia via recuperari in, vel extra judicium, vel certe non absque incommodo, molestia, expensis, amissione favoris, aut benevolentiæ judicis, vel ipsius debitoris, quamvis omissio hujus conditionis non inducat peccatum mortale.
   5. Fiat pro posse in eadem re, vel specie.
   6. Res, quæ aufertur, sit ipsius debitoris, & consequenter non auferatur res ipsi debitori commodata, vel apud ipsum deposita, imo, attento foro externo, nec fieri possit de re ipsius debitoris commodata, vel deposita apud ipsum creditorem, verum id non attenditur pro foro interno.
   7. Caveatur damnum sive spirituale, sive temporale ipsius debitoris, ad quod faciendum adest obligatio ex charitate.
   8. Fiat sine damno tertii, seu absque eo, quod alius inculpetur de furto commisso, si id fieri possit sine notabili incommodo; ad damnum tamen aliorum creditorum, licet anteriorum, non necessario attendendum, quidquid aliqui velint.
   9. Non fiat a famulis & ancillis ad compensanda opera sua, quæ majora judicant salario quod recipiunt, ex Innocentio XI. damnante propositionem XXXI.
4. De bonis mariti ab uxore
   1. Administrante bona & familiam gubernante in ordine ad faciendas honestas donationes & eleemosynas.
   2. Accipiente in quantitate, quæ facile & certo concederetur pro casu quo ipsa peteret a marito.
   3. Reservante de sibi assignatis pro vestitu & honesta sustentatione familiæ.
   4. Surripiente in ordine ad evitandum damnum spirituale, vel corporale mariti, aut familiæ.
   5. Surripiente pro sublevanda egestate patris, matris, imo & fratris ac sororis, aut prolis ex alio marito, intentione tamen restituendi.
   6. Surripiente a marito omnia lapidante, ut sibi & prolibus prospiciat.

N. B. 1. *Detinens rem alienam sive furto ablatam, sive alio modo apud se existentem peccat donec restituat, non quidem novo, sed antiqui peccati continuatione, nisi forte retractatum iniquum propositum denuo reassumeret.*

2. *Defraudantes etiam justas gabellas, ob pie præsumptam Principum intentionem quod non intendant graviter obligare, non videntur pro se condemnandi de peccato mortali; bene vero ad periculum, cui seipsos, merces, familiam &c. exponunt, possunt graviter peccare.*

3. *Defraudantes gabellas, intellige particulares pro suo usu, nam cum gabellarum onus portent emptores & consummatores mercium, quascumque gabellas solvant, mercatores & venditores nihil omnino damni sentiunt; & vel ideo de mortali peccato damnandi veniunt, quia de pia Principum intentione præsumere nequeunt; & quia gabellas sibi vindicant; dum eodem, uti solventis gabellas, merces pretio vendunt.*

* P. D. *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

** P. D. *Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

TAB. LXXVII. *De Furtis Minutis.*

Furta minuta quæ sunt *frequens, & sæpius repetita ablatio rerum in parva quantitate domino rationabiliter invito*, vel sunt

I. Commissa ab uno eidem personæ

1. Animo & intentione continuandi usque ad quantitatem notabilem, & inde desistendi, & toties quoties committitur, peccatum mortale *ex communi*.

2. Occasionaliter & sine intentione continuandi, ac perveniendi ad quantitatem notabilem, & toties quoties committitur, peccatum veniale, constituunt autem mortale, dum cum advertentia ad priora furta minuta, & ad damnum grave proximi pervenitur ad quantitatem notabilem seu additur ultimum furtum minutum, quod cum aliis constituit quantitatem notabilem.

3. Si ad quantitatem notabilem, non peracta pœnitentia & detestatione priorum, addatur aliud furtum minutum, quod cum aliis constituit quantitatem notabilem, fit continuatio ejusdem numero peccati mortalis, juxta probabiliorem.

4. Si peracta pœnitentia & detestatione priorum minutorum furtorum, quæ pervenerunt ad quantitatem notabilem, denuo furtum minutum committitur, est peccatum veniale.

5. Successive facta occasionaliter debent ad invicem continuari moraliter, alias non dicerentur ordinari ad unum grave damnum constituendum. Hinc si inter furta minuta successive facta occasionaliter intercessisset interpolatio unius mensis, & a fortiori unius anni, non constituerent peccatum mortale, etsi quantitas simul sumpta esset notabilis.

6. Si præter advertentiam ad præcedentia furta occasionaliter successive facta modica furando, perveniatur ad quantitatem notabilem, advertens se pervenisse, peccat mortaliter non restituendo ratione injustæ detentionis; supposita tamen morali continuatione furtorum minutorum.

7. Evitabit in mox facta suppositione peccatum mortale injustæ detentionis, restituendo illum excessum, qui constituit peccatum mortale.

8. Filiifamilias, Religiosi, Servi & Ancillæ surripiendo successive esculenta & poculenta, ut ipsimet absumant, raro peccant graviter; imo aliqui absolute negant, quod furta parva esculentorum & poculentorum commissa a domesticis, etsi successive ad magnam quantitatem perveniant, constituant mortale..

9. Pauperes colligentes spicas messe jam absoluta, nullum peccatum committunt, nec impediri debent, *ex Benedicto XIV. Constit.* Acerbi. *Tom.* 1. *Bull. ejusd. fol.* 163. *& Constit.* Ex commisso. *Tom.* 3. *ibid. fol.* 370. Fundato *in Levit.* 19. *Deuter.* 24. *& in praxi Ruth. cap.* 2.

N. B. *Ad constituendam quantitatem notabilem in furtis minutis ab uno eidem personæ factis, sive in eodem sive diverso rerum genere, vel diversis negotiis, requiritur dimidio plus, quam ad furtum grave, dum res simul aufertur.* Ex Communi.

II. Commissa ab uno pluribus

1. Si sint commissa animo & intentione perveniendi ad quantitatem notabilem, toties quoties committitur peccatum mortale, prout supra dictum de eo qui eidem personæ surripit modica.

2. Si sint commissa sine illa prava intentione, & constituant quantitatem notabilem, committitur peccatum mortale, quia graviter læditur communitas, vel certe societas humana, & hinc adest obligatio restituendi, quare in venditionibus utentes ponderibus & mensuris modice falsificatis & diminutis peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur, dum perveniunt ad quantitatem notabilem.

3. Sartores, Textores, Molitores, Aurifabri &c. surripientes fragmenta, vel reliquias materiæ consignatæ, quæ a dominis curantur & repetuntur, peccant, eodem modo, sicut alii furantes modica eidem, vel diversis personis, secus si a dominis non curentur, neque repetantur.

* Si restitutio fieri moraliter nequeat singulis, quibus substracta fuit res levis, vel illatum fuit damnum, facienda est pauperibus Communitatis.

N. B. *Ad constituendam quantitatem notabilem in furtis minutis ab uno diversis personis factis duplo major quantitas requiritur, quam si eidem personæ quis furatur.*

III. Commissa a pluribus eidem personæ

1. Si de communi consilio, consensu & cooperatione committantur, singuli peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur, & quidem in solidum seu in defectu aliorum.

2. Si non de communi consilio &c. committantur, ita tamen ut unus moveatur exemplo alterius movens alios suo malo exemplo, peccat mortaliter non solum contra charitatem, ut aliqui volunt, sed & contra justitiam, ut probabilius alii docent, quia exempla fortius movent quam verba, & ideo ad restitutionem damni illati tenetur.

3. Si plures furantes modica ejusdem personæ invicem non se moveant sive consilio, vel consensu, sive exemplo, unus tamen sciat de altero, probabilius est quod nullus peccet mortaliter, sed solum venialiter.

N. B. *Non adest obligatio, saltem sub mortali, resarciendi damnum, etiam grave eidem personæ a pluribus modicum surripientibus, pro casu quo invicem neque ex condicto, neque ex consensu, seu exemplo sese provocassent.*

TAB. LXXVIII. *De Emptione et Venditione rei furtivae.*

Emptor rei furtivæ

I. Bonæ fidei nesciens videlicet, nec dubitans esse furtivam

1. Non peccat eam emendo; tenetur tamen eam restituere, etiam domino eam non repetenti, quam primum venit in cognitionem quod res sit furtiva & dominum resciat, supposito quod adhuc extet, *ex communi*.
2. Potest eam alienare licite & valide; quamdiu est in bona fide, quod non sit furto ablata & semel alienata, ad nullam tenetur restitutionem, saltem extra casum, quo ex tali alienatione non fuisset in aliquo factus ditior vendendo rem illam, seclusa speciali sua industria.
3. Post alienationem rei furtivæ bona fide emptæ veniens in cognitionem veri domini, cui res ablata fuit, tenetur rescindere contractum, & pretium secundo emptori reddere ac rem ipsam domino restituere: quod si secundus emptor, qui rem habet, inveniri non posset, non tenetur venditor bonæ fidei pretium acceptum domino, cujus res est, restistuere; nisi illud quod ex revenditione sine propria industria lucratus est.
4. Comparente vero domino, & exigente ab emptore bonæ fidei rem sibi furto ablatam apud illum adhuc existentem, non potest emptor, licet bonæ fidei, prætendere refusionem pretii, *ex communi*.
5. Potest comparente domino & exigente rem suam, eam (neglecto vero domino) restituere furi, juxta aliquos; licet plures probabilius id negent, præsertim quando prudenter præsumi non posset, a fure rem certo restituendam domino, a quo eam abstulit.
6. Si dominus rei sibi furto ablatæ inventæ apud secundum emptorem eam evincat, obligatur venditor de evictione, seu tenetur venditor emptori secundo non solum pretium restituere, sed insuper tenetur restituere & præstare id, quod emptoris interest rem non esse evictam, seu lucrum cessans & damnum emergens; saltem extra casum quo primus emptor vendidisset rem cum expresso pacto, quod ratione evictionis forsan futuræ, ad nihil obligetur; nam in hoc casu venditor liber esset a solvendo interesse, non tamen a solvendo pretio; quod si secluso hoc pacto, venditor recusaret mox dicta præstare, competit emptori contra venditorem actio ex empto, licet ratione evictionis inter contrahentes nihil actum, aut cogitatum sit.

II. Malæ fidei, sciens videlicet, vel saltem rationabiliter dubitans ipsam rem esse furto ablatam

1. Si eam emat animo & intentione domino comparenti restituendi, nullum omnino peccatum committit, sed potius actum charitatis exercet; comparente tamen domino tenetur eam restituere cum fructibus perceptis; potest tamen in hoc casu a domino exigere pretium furi datum, & impensas ad eam emendam & conservandam factas, & Dominus tenetur in utroque foro pretium refundere vel totum, si vilissimo pretio emisset, vel saltem partem arbitrio prudentis, si æquale, vel majus pretium dedisset.
2. Si eam emat animo & intentione rem illam furto ablatam, ut propriam sibi retinendi, peccat mortaliter contra justitiam, & tenetur ratione injustæ acceptionis compensare non solum rem mala fide emptam, sed etiam tenetur de lucro cessante & damno emergente, tamquam malæ fidei possessor.
3. Non potest rem mala fide emptam restituere furi in ordine ad obtinendum pretium ei datum, *juxta probabiliorem*, quidquid aliqui id non minus emptori malæ fidei concedant.
4. Non potest prætendere a domino refusionem pretii furi dati.
5. Non dicuntur emptores malæ fidei Christiani commorantes inter Turcas sive negotiationis, sive captivitatis gratia, ementes rapta fidelibus a Pyratis, & hinc possunt absque noxa mortali, & onere restitutionis, emptione, vel venditione, aut alio quocumque legitimo titulo sibi accipere, ac in proprios usus convertere, præcisa tamen complacentia super furto rerum per Pyratas Christianis ablatarum, dummodo animum paratum habeant restituendi, si unquam verus dominus compareret, easque redimere vellet soluto pretio, quod emptor Turcis in emptione numeravit, *ita resolutum legitur a Consultoribus S. Officii, cui tanquam communi sententiæ adhæret Benedictus XIV. in sua Const.* Urbem Antibarum. *Tom.* 3. *Bull. ejusdem fol.* 202. §. 10. *edit. Rom.*
6. Emens alienis pecuniis rem aliquam acquirit dominium rei emptæ, *ex Jure Civili*: excipe si pecuniis ecclesiasticis res empta esset, *ex Can.* Placuit 1. *Causa* 12. *qu.* 3. *juncta Glossa ad verbum* Suo; Venditor tamen non acquirit dominium pecuniæ alienæ, sed tenetur eam comparenti domino restituere, nisi eamdem jure præscriptionis, vel bona fide, expendisset, *de Jure Civili*.

TAB. LXXIX *De Decimis, earum Institutione, Divisione, et Obligatione eas solvendi.*

Decimæ

I. Sumi possunt

Materialiter, idest secundum substantiam, quatenus videlicet sunt stipendium necessarium ad honestam & congruam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, quo modo semper solvendæ sunt jure naturali divino.

Formaliter, idest secundum quotam, seu decimam partem omnium fructuum juste acquisitorum, quo modo in Veteri Lege solvebantur Jure Divino positivo. In Nova vero lege solum jure ecclesiastico solvi debent, *juxta probabiliorem*.

II. Institutæ sunt, ut solutione earum recognoscatur Deus tamquam donator & supremus Dominus omnium bonorum, *ex cap.* Tua nobis. 26. *de Decimis*.

III. Dividuntur in

1. Reales, seu prædiales, quæ solvuntur ex prædiis, agris, vineis, arboribus, pratis, quos natura, vel sua sponte, vel adjuta humana industria, seu cultura progenerat.

2. Personales, quæ penduntur ex lucris personarum, seu hominum industria acquisitis v. g. ex opificio, mercatura, artefactis, venatione, aucupio, piscatione &c.

3. Majores, quæ solvuntur ex frumento, vino, oleo &c.

4. Minores, quæ præbentur ex fructibus hortorum, ac leguminum, ex pomis arborum, fœno, lino, canabe, rapis, ciceribus, lana, caseo &c., ad quas referuntur Carnatica, seu quæ habentur ex animalium partu v. g. ex Agnellis, Pullis &c.

5. Antiquas, quæ ex fundis jam ab antiquo præbentur.

6. Novales proprie tales, quæ ex terris & fundis, qui prius paucos, vel nullos fructus afferebant, & quæ ultra memoriam hominum absque cultura fuerunt, præstantur, vel quæ ex terris & fundis prius cultis in aliis percipiuntur fructibus, quæ dicuntur improprie tales, pro quibus.

N. B. *Novales improprie tales; quæ ex terris & fundis prius cultis in aliis percipiuntur fructibus, ut si ex pratis, pomariis, vineis, pascuis &c. fiant agri, aut si agro prius frumentario inserantur lupuli aut plantetur vinea.*

IV. Solvi debent

1. Illis, quibus jus decimandi competit sive de jure communi, sive ex speciali privilegio Summi Pontificis, qui etiam Laico potest concedere, sive alio justo titulo & modo v. g. præscriptione contra Ecclesiam Parochialem 40. annorum, imo in Ditione domus Austriacæ 30. annis perficitur; qui omnes possunt fructus decimales ad unum, vel plures annos, non tamen ultra tres, *juxta probabiliorem*, absque ulla licentia, aut juris solemnitate, cuivis etiam laico, elocare, imo laicus habens ex privilegio jus decimandi, potest idem jus in alium transferre.

2. Prædiales, Parocho loci illius, in quo existunt prædia, *ex cap.* Cum contingat, 29. & *cap.* Cum in tua. 30. *de Decimis*, & quidem non solum a Parochianis, sed & ab extraneis solvi debent.

3. Prædiales discerptæ Parochiæ remanent Matrici, & non transeunt ipso jure in Parochialem Ecclesiam noviter erectam, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Tridentini assignaret.

4. Ovium & aliorum animalium, quæ in una Parochia jacent & dormiunt, & in alia pascuntur, solvi debent pro medietate utrique Parocho.

5. Quæ a solo oriuntur, statim postquam a solo separatæ & collectæ sunt, offerri debent habenti jus decimandi.

6. Carnaticæ præstari debent postquam lacte matris non amplius indigent, vel aliquo saltem modo adoleverunt.

7. Toties quoties in anno prædium de novo fructificat, *ex Can.* Revertimini. *Causæ* 16. *qu.* 1. *juncta Glossa ad Verbum Annus expletus*, & hinc si ager bis in anno det fructus, ut in Italia, bis decimæ solvi debent.

8. Integre, seu nulla facta deductione sive seminis, sive expensarum, quæ in colendis prædiis & colligendis fructibus fieri solent.

TAB. LXXX. *De illis, qui solvere tenentur Decimas.*

Decimas

I. Solvere tenentur

1. Omnes Fideles Parochiani, in quacumque dignitate constituti, nisi aliquo speciali titulo seu sint exempti per textus relatos *cap.* Ex transmissa 23. *& cap.* A nobis. 24. *de Decimis.*

2. Hæretici, licet enim hi a Ministris Catholicis non recipiant divina, quia tamen ad se habent per accidens, & ex propria ipsorum culpa, & aliunde per baptismum facti sint Christiani & legibus Ecclesiæ subjecti, & hi tenentur solvere decimas.

3. Judæi & alii Infideles ex fundis & prædiis, quæ antequam ad eos pervenerint, decimis erant obnoxia, *ex cap.* Quando 18. *de Decimis;* secus vero de fundis & prædiis, quæ nunquam fuerunt in manibus Christianorum.

4. Clerici
- Simplices de fructibus bonorum titulo sæculari vel temporali, v. g. hæreditate, patrimonio, donatione, emptione &c., acquisitorum.
- Beneficiati ex prædiis, agris & aliis fundis, ex quibus antequam in dotem assignati fuerint, decimæ solvebantur; secus de bonis aliis ecclesiasticis titulo beneficii, aut alio clericali acquisitis.

5. Regulares
- Omnes ex prædiis, nisi privilegio vel alio justo titulo sint exempti, *ex cap.* Statuto 2. §. *Cæterum de Decimis in* 6., non tamen tenentur ex hortis, nutrimentis animalium, seu pascuis & novalibus, quæ propriis manibus vel sumptibus excolunt, ex privilegiis Paschalis II. Alexandri III. & Gregorii IX. insertis Corpori Juris; si tamen horti & pascua non essent propria, seu conducta, aut excolerentur non in proprium usum sed ut fructus percipiendos vendant, tenerentur de his solvere decimas.
- Cistercienses, & Hospitalarii
  - De terris post Concilium Lateranense relatum, *cap.* Nuper 34. *de Decimis.*, acquisitis, etsi eas propriis manibus vel sumptibus excolerent, si antequam eas acquisiverunt, subjectæ erant decimis; secus vero de acquisitis ante dictum Concilium, si eas propriis manibus vel sumptibus excolunt, etsi antequam ad manus eorum pervenissent, decimæ fuissent solutæ.
  - Extradentes novalia, ex quibus alias ei privilegia non tenentur solvere decimas, aliis excolenda pro pensione annua sive pecuniaria, sive frumentaria, tenentur ad solutionem decimarum de talibus Nuvalibus, *ex cap.* Licet. 11. *de Decimis.*
  - Conducendo ab aliis Novalia, tenentur de his Decimas solvere, *ex cap.* Dilecte fili. 8. *de Decimis.*

6. Ementes a Cisterciensibus & Hospitalariis prædia alias non subjecta decimis, tenentur decimas solvere.

II. Defraudare

1. Decimas reales, sive antiquas, sive novales, sive majores, sive minores, imo & personales, ubi hæ sunt in usu, est peccatum contra justitiam, & defraudantes rei sunt duplicis criminis, nempe furti & sacrilegii. Ita expresse Concilium Lateranense *relat.* Can. Decimas. 5. *Causa* 6. *qu.* ubi de defraudantibus.

2. Non censentur decimas, qui incultum relinquunt fundum cum præjudicio decimarum, quamvis peccarent, si ex invidia, vel alia passione id facerent, sicut nec si quis agrum reduceret in pratum, quod alias ex consuetudine decimis non est subjectum. **

N. B. *Circa debitum solvendi decimas, attendenda est loci consuetudo, quæ omnino observanda esset per textus relatos* cap. Cum sint 18., & cap. Ad Apostolicæ 20. de Decimis.

* Decimas dicitur: *Sciant se sacrilegii crimen committere & æternæ damnationis periculum incurrere.* Nec refert, quod non Deo, sed Sacerdotibus & Ecclesiæ Ministris solvantur, quia Deus sui loco prædictos suffecit, qui nomine suo eas recipiant. Unde merito Tridentinum *Sess.* 25. *de Reform. cap.* 12. = *Non sunt*, inquit, *ferendi, qui variis artibus decimas Ecclesiis convenientes subtrahere moliuntur, ut qui ab aliis solvendas temere occupant & in rem suam vertunt, cum decimarum solutio debita sit Deo; & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur S. Synodus omnibus cujuscumque gradus & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quos de jure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibuscumque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant; qui vero eos aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.* Ita Trid. Idipsum dudum prius sancitum a Concilio Rothomagensi, refertur *Can.* Omnes Decimæ. 5. *Causa* 16. *qu.* 1.

** Utrum autem, qui ex odio, vindicta, avaritia agrum reducit in pratum, eo quod ex consuetudine de pratis decimæ non solvantur, a debito compensationis continuo absolvatur, in Judicio Dei definitum non legi. Unum scio, fraudem & dolum nemini patrocinari: defraudantes decimas ex dictis esse fures sacrilegos; & furem non absolvi a restitutionis debito ex eo quod rem furto ablatam in natura amplius non habeat. Tu vero si quempiam ex his deprehenderis, ingemina illi: Prata quidem ex consuetudine juri decimarum non subesse, nec nequaquam propterea subduci Dei dominio, in cujus protestationem decimæ fuerunt institutæ; qui potest & campos & prata devastare, aliaque infortunia mittere in vindictam contemptus sui altissimi dominii: *Qui enim vos spernit, me spernit, & quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

TAB. LXXXI. *De Mendacio, ejusque malitia.*

Mendacium, quod est *locutio, & quevis significatio contra mentem cum intentione fallendi*, **quod propterea committi potest etiam nutu, gestu, scripto & facto**

I. Requirit essentialiter ut

1. Locutio vel significatio sit contra mentem, seu ut id quod homo dicit, sit falsum vel saltem putet esse falsum.

2. Locutio vel significatio illa fiat animo & intentione fallendi, seu decipiendi, *juxta probabiliorem*, & expressam tum D. Augustini, tum Canonis *Beatus Paulus* 5. *Causa* 22. *quæst.* 2., utpote cujus summarium habet: *non mentitur, qui animum fallendi non habet*, quamvis D. Thomas 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 1. *in corp.*, id requirat ad perfectionem mendacii.

Quare si quis non decipiendi, sed potius nugandi animo, aliquid contra mentem profert, & ita proferri ex modo pronunciandi, aliisque circumstantiis personæ, loci, temporis &c., hujusmodi ipsimet auditores perciperent, talis non diceretur mentiri.

II. Opponitur non tam veritati, quam veracitati, quæ est virtus inclinans ad efficiendum, ut signa, quibus animi cogitationes exprimimus, eisdem cogitationibus semper congruant.

III. Dividitur in

1. Officiosum, quod est locutio contra mentem utilitatis alienæ causa, seu quo bonum alicujus intenditur sine alterius injuria, quodque committi solet a domesticis ad pacem conservandam.

2. Jocosum, quod est locutio contra mentem, voluptatis propriæ, aut alienæ causa, seu quod fit animo oblectandi eos, quibus falsum quid narratur perinde ut verum.

3. Perniciosum quod est *locutio, damnum proximo vel Religioni inferens &c.*, quodque committere censetur

1. Qui inter concionandum falsa miracula, falsas indulgentias, aut reliquias annunciant, qui alicujus sancti vitam fingunt &c., quia talia mendacia sunt perniciosa Religioni, quam ludibrio exponunt.

2. Qui in confessione vel falsum sibi crimen imponunt, vel verum sic imminuunt, ut ex mortali faciant veniale, quia sacramento gravem irrogant injuriam; imo juxta aliquos, etiam qui mentiuntur in confessione circa circumstantiam licet levem, quod tamen alii negant, supposito quod aliunde alia materia, saltem sufficiens, exposita sit in confessione.

3. Qui vitæ sanctitatem fingunt & dicuntur hypocritæ, sive ut facilius seminent errores, sive ut sibi uberiores eleemosynas erogentur, sive ut beneficium assequantur, quo sunt indigni; aut quando fingunt probitatem, morbum, vulnera vel paupertatem majorem, ut sibi copiosiores eleemosynas adsciscant quam opus sit ad vitam commode sustentandam.

IV. Quod etsi sit

Perniciosum, potest nihilominus fieri veniale, non solum ratione indeliberationis, sed etiam ratione levitatis nocumenti vel damni illati.

Jocosum & Officiosum, possunt fieri mortalia ratione scandali vel damni inde consequentis. *Ex D. Thoma* 2. 2. *quæst.* 110. *in corp.* Opinio vero Magistr. Sententiarum, viros perfectos jocose mentientes, & Ostiensis habentes consuetudinem jocose mentiendi condemnans de peccato mortali, communiter rejicitur.

Levissimum, est semper intrinsece malum, juxta omnes, paucis exceptis (*) qui mendacium, saltem jocosum, ab omni culpa liberum crediderunt: atque adeo mendacium quodcumque includit peccatum: *jocosum* quidem & *officiosum* sunt peccata ex genere suo venialia, *perniciosum* vero ex genere suo mortale oppositum charitati & justitiæ.

* Plato, Origenes, Cassianus, quibus S. Joan. Chrysostomum & Hieronymum adhæsisse ostendit P. Concina (*Tom.* 4. *lib.* 10. *in Decal. c.* 5.), id crediderunt, perperam tamen: nam sat clare innumeri S. Scripturæ textus: Exodi 23. 7. *Mendacium fugies*. Prov. 19. *Qui loquitur mendacia non effugiet pœnam*. 1. Joan. 2. *Omne mendacium ex veritate non est*, & Psal. 5. v. 6. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: Veritas Dei, cui opponitur, & a cujus perfectione deflectit: ipsum dictamen rationis & natura vocum, quæ ideo ab illa institutæ sunt, ut animi conceptus significarentur; unde S. Augustinus, relatus *Can.* 15. Autem. 4. *caus.* 22. *quæst.* 2. *Verba propterea instituta sunt, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat; verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod sunt instituta, peccatum est*. Hic perpendens mendacii malitiam, asserere non dubitavit *lib.* 22., contra mendacium *cap.* 26., eum, qui baptizare non posset, nisi custodibus per mendacium deceptis, debere potius baptismum prætermittere. Ex quibus clare elucet mendacium, quodcumque sit, semper esse peccatum, & quidem maxime contrarium Divinitati, quæ in veritate Dei maxime relucet, bonæ existimationi ipsius mentientis, quia solito jocose mentiri fides etiam in materiis non adhibetur: bono tandem Reipublicæ, quod funditus tollitur, si homines falsitate imbuuntur. Unde asserendum nihil in civitate abominabilius, homine mendace.

TAB. LXXXII. *De injusta laesione Famae et Honoris proximi interna.*

Fama seu bona existimatio de alicujus excellentia lædi potest actu interno per

I. Suspicionem, cum quis magis inclinatur ad credendam improbitatem proximi, non tamen firmiter adhæret ob formidinem oppositi; quæ si sit valde gravis, dicitur *levis;* si sit minor, dicitur *gravis;* si autem valde modica, dicitur *violenta* suspicio: estque proprie *opinio*, seu *assensus intellectus infirmus propter formidinem partis oppositæ.*

II. Dubitationem, quæ est *suspensio judicii de improbitate proximi in neutram partem inclinantis*, adeo ut dubitans nec annuat, nec abnuat, sed ad summum existimet dubium esse: an proximus peccatum illud commiserit nec ne.

* Utraque potest

- Esse vel
  - Fundata, si dubitetur, aut suspicetur ex motivis gravibus, seu talibus, quæ omnibus consideratis movere possunt virum probum ac prudentem ad dubitandum vel male suspicandum de proximo.
  - Temeraria, dum quis suspicatur, aut dubitat de improbitate proximi sine sufficienti fundamento, seu ex motivis vel omnino nullis vel certe insufficientibus.
- Peccatum cœteroquin ex genere suo veniale fieri mortale
  1. Si oriatur ex maligno affectu, aut odio vel conjuncta sit cum gravi contemptu proximi, eidemque pertinaciter inhæreat.
  2. Si ob eam quis ad effectum externum malignum ac damnum proximi procedat, ut si judex reum condemnaret.
  3. Si ea aliis manifestetur cum infamia vel gravi damno ipsius, extra tamen casum, quo ex bono fine manifestaretur.
  4. Mox dicta procedunt etiam de suspicione violenta, quæ & opinio dicitur, licet enim aliqui condemnent de peccato gravi, qui opinatur malum grave de proximo, minore tamen temerario judicio, dum deliberate & voluntarie opinatur; alii tamen reducentes tale judicium, utpote non firmum, ad suspicionem, volunt opinantem malum grave de proximo, peccare solum venialiter per se.

III. Judicium

- Temerarium, quod est assensus absolutus & firmus de proximi improbitate ex levibus & insufficientibus indiciis ortus, ex genere suo mortale, dummodo
  1. Concurrat judicium firmum ac deliberatum, cum pleno consensu voluntatis; quare si judicium non sit firmum & quasi pro moraliter certo conceptum, erit solum suspicio.
  2. Adsit advertentia & quidem, juxta probabiliorem, actualis ad insufficientiam indiciorum, seu motivorum.
  3. Versetur circa materiam gravem spectatis circumstantiis, de qua temere judicatur malum, ita ut si ei constaret, tale de se judicium temere concipi, merito censeret gravem injuriam ac læsionem æstimationis suæ.
  4. Sit temerarium seu conceptum propter indicia insufficientia, seu non habentia moralem connexionem cum tali modo neque per se, neque ex communi hominum usu.

  * Deficientibus mox allatis conditionibus sive omnibus, sive earum aliqua (uti practice plerumque contingit), verum judicium temerarium non habetur.
- Fundatum, quod est assensus & ex gravibus & sufficientibus rationibus ortus, quale censetur ex
  1. Circumstantia temporis, si videlicet quis videns aliquem nocturno tempore scalas ascendere, per fenestram ingredi domum, judicet, ipsum ingredi ad patrandum malum v. g. furtum, vel stuprum &c.
  2. Circumstantia loci, si videlicet videns adolescentem ingredi domum, quam solæ meretrices inhabitant, aut videns adolescentem in obscuro loco lascive amplectentem puellam, judicet ipsos velle peccare mortaliter carnaliter.
  3. Circumstantia personæ, si videlicet, sciens aliquem esse aliquo vitio deditum, judicet illud commisisse.

     * Sciens autem malum a proximo semel perpetratum, nequit vi hujus judicare, quod proximus ille semper sit malus futurus.
  4. Circumstantia tum personæ referentis alterius delictum fide dignæ, tum personæ, de qua delictum refertur, si hæc non sit adeo bonæ famæ.
  5. Circumstantia famæ, ut si fama volet, quod talis commiserit delictum, & ipse credat rem ita se habere.

N. B. *Posse dari judicium falsum quin sit temerarium, cum videlicet adsunt motiva sufficientia pro ferendo judicio, quamvis a parte rei res judicata minime esset vera: in quo temerarium judicium differt a falso.*

TAB. LXXXIII. *De injusta laesione famae per Detractionem:*

Detractio seu *injusta alienæ famæ externa ablatio* committi potest

- **Directe ac positive**
  - 1. Imponendo alicui crimen falsum, seu calumniando proximum.
  - 2. Verum, vel etiam falsum crimen exaggerando.
  - 3. Manifestando alterius crimen occultum.
  - 4. Opus alterius, etsi bene factum, sinistre interpretando.
  - Quatuor mox dicti modi directe ac positive detrahendi sequenti versu comprehenduntur: *Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.*
- **II. Indirecte ac quasi negative**
  - 1. Negando recte facta aut dotes alterius.
  - 2. Bonum, aut dotes alerius diminuendo, aut extenuando, aut etiam extollendo cum damno alterius proximi.
  - 3. Tacendo bona, seu dotes alterius eo loco & tempore, quo quis deberet illa manifestare, ut contingit, dum quis sine displicentiæ signo tacet aliis detrahentibus, aut vituperantibus.
  - 4. Simulate & ita frigide laudando aliquem, ut talis potius in diminutionem famæ alterius, ejusque vituperium cedat.
  - Quatuor mox dicti modi indirecte & quasi negative detrahendi sequenti versu comprehenduntur: *Inficians, minuens, reticens, laudansque remisse.*
  - N. B. *Ex allatis octo detrahendi modis per se loquendo graviores sunt tendentes directe ad læsionem famæ proximi; atque inter omnes gravissimus est primus consistens in detractione calumniosa.*
- **III.** Materialiter dum crimen alterius manifestatur absque intentione & voluntate alteri nocendi, vel ejus famam denigrandi, cum hujus tamen prævisione.
- **IV.** Formaliter dum crimen alterius manifestatur cum directa intentione alteri nocendi, vel ejus famam denigrandi.
- **V. Pure, dum crimen alterius verum, quidem, sed occultum manifestatur**
  - **Quod est peccatum mortale, si concurrant**
    - 1. Voluntarium perfectum, quod censetur adesse, dum quis plena ratione utens vel directe intendit, vel saltem advertit, aut advertere deberet, quod sua locutio noceat, vel denigret famam proximi: defectu hujus requisiti plerumque detractio materialis est solum peccatum veniale, præcisa tamen mala consuetudine contracta, qua supposita censeretur adesse voluntarium in causa.
    - 2. Materia gravis, qualis generice loquendo omnis & solus defectus vel in se, vel respectu personæ læsæ graviter probrosus, qualis, attentis circumstantiis status & conditionis personæ & damni secuti, potest esse etiam defectus venialis, imo & solum naturalis.
    - 3. Injustitia revelantis, uti concurrere censetur, dum revelatio fit absque ulla causa necessitatis, vel utilitatis.
    - 4. Occultum quod censetur, si delictum, vel crimen non sit notum notorietate sive juris, sive facti, sive famæ; Notorium enim notorietate juris potest sine peccato gravi ubique divulgari, imo, juxta probabiliorem, etiam notorium notorietate sive facti, sive famæ, loquendo cum exceptione notorietatis intra coram communitatem privatam v. g. familiam, vel Monasterium, in eodem loco semper permanentium.
    - * Revelans delictum, quod olim fuit notorium notorietate solum facti, vel famæ, oblivione tamen sepultum, peccat mortaliter contra justitiam, præsertim si per pœnitentiam & emendationem vitæ famam suam recuperasset, si tamen simul manifestaret resipiscentiam, non peccaret contra justitiam.
  - **Secus vero, si ordinetur ad bonum vel**
    - 1. Ipsius referentis, ut si consilii, vel auxilii, imo etiam, in afflictione, solatii & levaminis capiendi gratia, viro prudenti, amico, confessario &c. reveletur crimen alterius, ad sui, vel proximi justam defensionem.
    - 2. Audientium, sive ad ipsorum instructionem, ut a malis avertantur, simili lapsu, aut ab occasione caveant, vel ad cautelam, ne hypocrisi, pravis moribus, aut societate malorum seducantur.
    - 3. Ipsius delinquentis & ideo dum correctio fraterna nihil prodest, vel adhibenda prævidetur nihil profutura, potest crimen alterius superiori denunciari ad correctionem, qua ratione excusantur crimen occultum filiorum parentibus, vel famulorum heris ad correctionem manifestantes.
    - 4. Communitatis, vel Reipublicæ, & ideo si quis moliretur crimen perniciosum Reipublicæ, uti sunt hæresis, proditio, conspiratio, aut assumendus esset ad statum aliquem indignus, qui futurus est perniciosus Reipublicæ, vel Communitati, posset, imo & deberet manifestari, etiam post illius evectionem, si periculum non cessat, talis posset, imo & deberet manifestari.
- **VI. Hinc**
  - 1. Delictum grave occultum uni, vel alteri, licet prudenti & taciturno, manifestare, etiam sub secreto, ex mera animi levitate & loquacitate, est peccatum mortale, *juxta probabiliorem ac D. Thomæ 2. 2. qu. 73. art. 1. ad 2.*
  - 2. Referens crimen alterius ut auditum cum propria asseveratione & confirmatione & in iis circumstantiis, ut narratio suo pondere fidem apud audientes mereatur, vel sinistram suspicionem generet, peccat graviter contra justitiam; secus vero si referat ut auditum sine propria asseveratione, approbatione, confirmatione, aut nocendi proposito, saltem extra casum, quo prævideretur, quod audientes ex propria animi levitate, aut malitia sint credituri, aut sinistre interpretaturi, in quo casu referens crimen alterius auditum peccaret mortaliter, sed juxta D. Antoninum, solum contra charitatem.
  - 3. Diffamatus de uno delicto, nequit diffamari de alio sive ejusdem, sive diversæ speciei sine læsione justitiæ, saltem extra casum, quo delictum illud occultum esset valde affine, vel connexum altari notorio.
  - 4. Revelans acceptum sub secreto naturali sive promisso, sive commisso per se loquendo, peccat venialiter quidem plerumque, si secretum sit solum promissum, mortaliter vero si secretum sit commissum, & agatur de materia gravi, ad quod ex tacita conventione obligantur Consiliarii, Jurisperiti, Medici, Advocati, Obstetrices &c.
  - Calumniose censetur detrahere, qui crimen falsum alteri imponit.
  - Contumeliose, dum in præsentia objicitur alteri suum delictum; quod si objiciatur crimen verum occultum præsentibus aliis, est simul detractio & contumelia: illa enim lædit famam, hæc honorem, utraque ex genere suo mortalis, evadere tamen potest venialis, vel quia leviter honor læditur, vel si fiat correctionis gratia.

TAB. LXXXIV. *De Malitia Detractionis injustae, et obligatione famae laesae restituendae.*

Detractio ctio inducit

I. Peccatum ex genere suo mortale oppositum justitiæ commutativæ, utpote privans proximum bono sibi debito, scilicet fama & bona sui æstimatione habita, quod evadere potest veniale etiam ex parvitate materiæ; quod si detractio sit calumniosa, consistens in eo quod quis sive per se, sive per alium Sacerdotem, aliquem de sollicitatione ad turpia in confessione, vel occasione confessionis facta, vel attentata falso denunciaverit apud Ecclesiasticos Judices, talis detractio calumniosa esset reservata Summo Pontifici, adeo ut nec Regularis Confessarius quantumvis alias privilegiatus, posset talem calumniatorem absolvere, extra mortis periculum, *ex dispositione Benedicti XIV. Const.* Sacramentum Pœnitentiæ. *Tom.* 1. *Bull. ejusd. fol.* 78. §. 3. *edit. Rom. & in Bull. Cappuccin. Tom.* 6. *fol.* 493.

II. Obligationem restitutionis famæ læsæ, quæ facienda

Sub mortali, si fama læsa sit in materia gravi & cum culpa mortali; sub veniali vero, si fama læsa sit solum in materia levi & cum culpa veniali, sive ob parvitatem materiæ, sive ob imperfectionem actus, ex inadvertentia, vel præcipitantia.

Lædens famam alterius graviter ex aliqua præcipitantia, indeliberatione, aut inadvertentia, tenetur postea resciens modo possibili resarcire, alias in quantum continuat redditur voluntaria.

Si sit vera detractio, seu quod alter vere fuerit læsus in fama, faciendo quantum in se est, ut infamatus, correcta mala fama, apud audientes bonum nomen, decus suum reipsa & in effectu recuperet, idque etiam cum suo incommodo majori, vel minori, juxta proportionem delicti; si vero proferens verba de se quidem detractoria serio & animo, ut ab aliis credatur, dubitet vero an revera aliquod damnum inde secutum sit aliis, stante tali dubio non tenetur ad aliquam compensationem, vel restitutionem.

Aperte retractando apud audientes, pro casu quo famam proximi læsisset calumniando, seu scienter crimen falsum imponendo, dicendo v. g. se errore deceptum falsum dixisse, *ex D. Thom.* 2. 2. *qu.* 62. *art. ad* 2. & si opus est, etiam addendo retractationi suæ juramentum; & id verum est, licet retractando deberet subire æquale damnum in bonum sive famæ, sive fortunæ, sive vitæ; secus vero si majus damnum subire deberet.

Inducens alium ad falsum testimonium ferendum, tenetur ipsum admonere ut retractet, & hoc recusante tenetur judici aperire, quamvis sibi vitæ periculum immineret, dummodo semper credat, id profuturum.

Adhibendo omnia media, quæ utilia putantur ad conceptam criminis opinionem abolendam, quantum fieri potest sine mendacio & majori damno proprio, quam sit illud, quod infamatus patitur, si detractio consistat in manifestatione criminis veri quidem, sed occulti, dicendo v. g. se male & injuste fuisse locutum, injuriam alteri fecisse ut suggerit ** *Ex D. Thoma ibid.* P. Concina *Tom.* 4. *lib.* 10. *in Decal. cap.* 16. *n.* 9. Secus vero dicendo, se esse mentitum, aut se verum non dixisse, quia mentiretur, vel quod securius est, laudando & honorando diffamatum.

Apud omnes immediatos audientes, imo & apud mediatos, saltem pro casu, quum quis coram aliis detraxisset ea prava intentione, ut hi aliis divulgarent delictum: præcisa hac prava intentione, non videtur detractor obligatus sub gravi culpa retractare apud mediatos, etsi detrahentes coram aliis prævidisset, quod hi utpote juvenes & garruli, divulgaturi sint delictum: quod a fortiori procedit, si manifestatio fiat coram personis bonis & communiter gravibus reputatis, vel sub obligatione sigilli.

III. Speciatim

1. Lædens publice famam alterius affixione libelli famosi, debet facere publicam retractationem, aut affixione alterius scripturæ, qua retractentur vitia evulgata, aut voce præconis, aut alia via a prudentis Theologi judicio præscribenda.

2. Inveniens libellum f mosum tenetur ipsum lacerare & comburere, & id non faciens, sed retinens, vel manifestans incurrit easdem pœnas sicut conficiens & publicans, & ex jure tam civili, quam canonico præsumitur illius auctor.

3. Lædens coram aliis honorem proximi per inhonorationem vel contumeliam tenetur ex justitia inhonorato honorem læsum coram aliis resarcire, vel veniam publice petendo, si agatur de inferioribus; vel extraordinaria signa honoris & benevolentiæ ostendere inhonorato, si agatur de æqualibus; vel honorifica salutatione, amica conversatione, beneficio, vel obsequio aliquo, si agatur de superioribus. Lædens vero honorem alterius privatim ad nullam tenetur restitutionem, sed ad solam satisfactionem, v. g. veniæ petitionem.

4. Audire detrahentes voluntarie, & sine justa causa, est peccatum ex genere suo mortale, & quidem

1. Si audiens positive cooperetur ad detractionem faciendam, vel continuandam, inducendo, interrogando, annuendo, laudando, vel approbando, ita ut ejus laus, approbatio, vel complacentia sit vera causa detractionis factæ, vel auctæ, peccat mortaliter contra justitiam.

2. Si audiens detrahentem, solum consentiat, gaudeat, complaceat de detractione & injusta diffamatione alterius, absque tamen positiva cooperatione & influxu, peccat solum contra charitatem; nisi aliunde teneatur ex officio, uti Superiores, impedire detractiones.

3. Si audiens non inducat detrahentem, nec lætetur de auditis ab eo, sed mere passive & negative se habens, non impedit detrahentem cum facile & commode posset, sive verbis, sive saltem vultus tristitia, peccat mortaliter contra charitatem & præceptum correctionis fraternæ.

4. Excusatur a peccato non impediens detractionem, neque corrigens detrahentem pro casu, quo audiens vel non sit moraliter certus de injustitia detractionis, vel ei non constet, quod detrahens mortaliter peccet detrahendo, vel occurrat aliqua ex causis excusantibus a restitutione famæ & honoris, de quibus in sequenti Tabula.

TAB. LXXXV. *De Causis excusantibus a restitutione famae, et honoris laesi:*

Detractor excusatur a restitutione facienda famæ, vel honoris læsi

I. Quando absque culpa & injustitia fama proximi fuit læsa, uti contingit dum revelatur ignorantibus delictum proximi, alias notum notorietate sive juris, sive facti.

II. Quando peccatum leve manifestatur, cum peccata levia per se non inducant grave restitutionis debitum.

III. Quando ex detractione non fuit secuta infamia, v. g. quia Auditores non adhibuerunt fidem, imo & in dubio, juxta dicta in priori Tabula.

IV. Ob impotentiam, sive
- Physicam, qua censetur laborare, qui non posset convenire audientes, apud quos detraxit.
- Moralem, qua censetur laborare, qui non posset restituere famam, vel honorem læsum sine notabiliter graviori suo damno.
- N. B. *Exemptus ob impotentiam sive physicam, sive moralem, non tenetur famam, vel honorem læsum compensare pecunia*, juxta probabiliorem.

V. Ob condonationem sponte ac libere factam expresse, vel tacite ab infamato, vel dehonorato, citra tamen præjudicium aliorum; sicut enim nemo potest famam suam prodigere cum gravi infamia & damno aliorum, licet sit dominus propriæ famæ & honoris; ita nec potest quis alterum liberare ab onere restitutionis famæ & honoris sibi læsi, quando ex tali liberatione deberet sequi damnum aliis v. g. Familiæ suæ.

* Dictum fuit *ob condationem expresse vel tacite factam:* Nollem tamen crederes aliqoem læsionem famæ vel honoris condonare, quia videlicet læsus conscius tacet tamen, vel quia Christo calumniato vult sese conformare, vel quia absque maximis incommodis non posset suæ famæ redintegrationem repetere, vel quia de Tribunali septo per malignantium synagogam præscit judicium rectum nunquam egressum. Nam aliud est parcere inimico, aliud cedere juri suo. Viderint, quid agant præpotentes, qui inferiorum, quos quia in piis suis consiliis minime adhæsuros prævident, famam denigrant. *Ego non judico quemquam*, asserit calumniata Veritas, *est qui quærit & judicet:* ille nimirum, *qui liberavit pauperem a potente ... qui facit vindictam pauperum.*

** Temperamentum illud quorumdam, ut præpotentes & Superiores ab obligatione retractandi, resarciendi &c. famam inferiorum absolvant excogitatum, asserentium sufficere si læso publica ostendant benevolentiæ signa cum Christianæ Æthices principiis non connectit. Nam cum Præpotens & Superior possit infamato ostendere illa benevolentiæ signa vel ex virtute clementiæ, vel ex virtute justitiæ; & hæc benevolentiæ ostentatio possit æquivocare in hominum sensu & infamatum relinquere infamem; talia signa mere fucata & macchiavellica non sufficiunt, sed quisquis ille sit cujuscumque conditionis & dignitatis (*non enim acceptio personarum est apud Deum*) juxta datas regulas tenetur famam, vel honorem læsi resarcire damnaque compensare. Sufficerent tamen si essent talia, quæ subditum, vel inferiorem læsum pristinæ honorificentiæ restituerent.

*** *Citra tamen præjudicium aliorum &c.* Si enim injusta læsio famæ vel honoris sit implexa communi bono, vel detrimento Reipublicæ, Communitatis, & læsus revindicatione suæ famæ vel honoris posset impendentia mala communitati vel Familiæ arcere, nullo modo potest absolvere reum ab obligatione resarciendi suam famam, imo tenetur absolute, *in publica injuria*, ait Tertullianus, *omni homo miles.* Hinc insipienter agere conjicies quosdam mysticos Confessarios, qui sub obtentu nescio cujus heroismi retrahunt pœnitentes a consilio per revendicationem propriæ famæ & honoris consulendi communi bono & contenti videre pœnitentes insipienter patientes, sereno osculo publicam cernunt ruinam.

VI. Ob cessationem damni illati: Hinc cessat obligatio restituendi
- Quando a principio ex detractione, vel calumnia, aut contumelia revera proximo nullum est secutum damnum in fama, vel honore, sive quia audientes non crediderunt detractori, sive quia non intellexerunt de quo detractor locutus sit, sive quia per alium corripientem mox infamia impedita est.
- Quando infamato, vel inhonorato alia via fama & honor recuperatus est, v. g. propria purgatione, bonorum virorum testimonio, sententia Judicis, aut vitæ ipsius probitate, nisi ex infamatione illa infamatus damnum passus fuisset in bonis temporalibus.
- Quando infamia illata progressu longi temporis oblivione sepulta est & in dubio oblivionis non est facienda restitutio ob timorem ne excitentur rursus species consepultæ, & memoria simul cum infamia reviviscat, aliqua tamen compensatio facienda est, sive laudando apud alios, sive honorando infamatum.

VII. Ob compensationem mutuam
- Juxta aliquos, non quidem hoc sensu, quod si renuens restituere famam, vel honorem ablatum possit ille, cui fama, vel honor ablatus est, alterum reciproce denigrare, vel inhonorare, quod esset manifesta vindicta; sed hoc sensu quod supposito, quod duo se mutuo infamassent & unus nollet alteri famam restituere, valeat alter compensatione uti & suspendere illi satisfactionem, seu restitutionem famæ denigratæ.
- Alii tamen probabilius negant, licitum esse compensare famam ablatam, eam scilicet alteri a se diffamato non restituendo, cum compensatio tendere debeat ad æqualitatem ponendam, negatione vero restitutionis famæ ablatæ non ponatur inter invicem infamantes æqualitas, sed potius faciat ut ambo infames maneant apud audientes.
- N. B. *Compensare famam, vel honorem sibi ablatum surripiendo occulte ab infamante, vel inhonorante pecuniam nullo modo licet, ob defectum debiti certi; cum non sit certum, sed ad summum probabile, quod infamia possit compensari pecunia, alias pauper nobilis propter ablatam sibi famam ingentem pecuniæ summam posset occulte surripere, cum fama viri nobilis plurimi æstimetur, & nescio quid æstimari posset ab avido pecuniarum.*

TAB. LXXXVI. *De Dominio et Paeculio Clericorum, Filiorum familias et Uxorum!*

Bona temporalia alia sunt

I. Clericorum, vel

1. Patrimonialia, quæ Clerico ex hereditate, donatione, arte, industria, vel titulo profano adveniunt seu ante, seu post susceptum statum Clericalem, quorum Clerici habent perfectum dominium.

2. Quasi Patrimonialia qualia censentur

1. Obvenientia Clerico, non intuitu beneficii, sed ex industria, labore spirituali, uti ob celebrationem Missarum, Conciones, Sacramentorum administrationem.

2. Fructus stolæ, qui eidem obveniunt ex benedictione nuptiali, administratione Sacramentorum, sepulturis & aliis laboribus sui muneris, *juxta probabiliorem*.

3. Distributiones quotidianæ, quæ beneficiatis præsentibus intuitu præsentiæ in choro distribui solent, *juxta probabiliorem*. Quorum bonorum etiam plenum habent dominium.

3. Parsimonialia, quæ Clerici ex redditibus mere ecclesiasticis ad congruam sustentationem sibi competentibus, parcius honesto vivendo sibi subtrahunt & congregant; quorum Clerici Beneficiati habent perfectum dominium.

4. Ecclesiastica mere talia, quæ ex redditibus Beneficii percipiuntur, quorum alia dicuntur

1. Necessaria ad congruam & honestam sustentationem, pro qua statuenda attendi debent circumstantiæ personæ, dignitatis, temporis, loci &c., & istorum beneficiati habent perfectum dominium post divisionem Bonorum factam per Simplicium, & Gelasium PP. circa an. 470.

2. Superflua, seu congruæ & honestæ sustentationi non necessaria. Horum bonorum Clerici Beneficiati non habent perfectum dominium. Ita SS. Patrum, Conciliorum & melioris notæ Theologorum & Canonistarum, adstruentium solam administrationem in Beneficiatis, & non dominium, authoritas. Unde gravissime peccant in usus profanos ea insumendo & dilapidando; eaque tenentur ex bonis patrimonialibus pro rata restituere ad æqualitatem. Vid. Alexand. III. *Cap.* Fraternitatem, *de Donation.*, Concilia Aquense *an.* 1585. *tit. de Monast.*, Nicænum II. *Can.* 12. Rhedom. *an.* 1273. *Can.* 1. Rotomag. Burdigal. Concil. Gen. VIII. C. 15. &c. D. Hieronym. *in cap.* 3. *Isai. v.* 14. D. Bernard. *epist.* 50. *ad Bonifacium*, S. Thom. *quodlibet.* 6. *art.* 12. *in corp.* S. Raymund. *lib.* 2. *tit.* 5. *de rapt. & præd.* §. 6. Aliosque Patres, qui in eamdem sententiam concurrunt. Hinc

N. B. *Si ex his redditibus superfluis emptæ fuerint possessiones, vel alia bona mobilia, ex his satisfieri debet obligationi, utpote quæ æquivalenter habent rationem redditu um superfluorum.*

2. *Consanguinei non indigni, vel alii carnales amici inducentes Beneficiatum ad sibi relinquenda bona ecclesiastica superflua, peccant mortaliter cooperando alterius peccato, tenenturque ea pauperibus restituere, vel in alios pios usus convertere. Nam nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.* Reg. 79. Jur. in 6.

II. Filiorum familias, vel

1. Castrensia, quæ filius acquirit in castris, seu bello, in Principis obsequio, arcis custodia etiam tempore pacis; quorum dominium tum proprietatis, tum ususfructus ac administratio pertinet ad ipsum: ideoque de illis potest disponere etiam invito patre, nisi forte ætate, vel lege prohibeatur.

2. Quasicastrensia, quæ sibi acquirit vel ex Beneficio Ecclesiastico, vel Officio publico v. g. Medici, Advocati, Professoris cujuscumque scientiæ, vel artis liberalis, quorum dominium perfectum ad ipsum pertinet, potestque pro libitu de his disponere.

3. Parsimonialia, quæ scilicet parce vivendo filii congerunt sibi ex pecuniis a patre concessis pro victu & vestitu, quorum perfectum dominium pariter pertinet ad ipsos.

4. Adventitia, quæ obveniunt filio, non a patre, nec hujus intuitu principaliter, sed aliunde, uti successione materna, donatione, aut propria industria, artificio, casu, fortuna: quorum dominium directum habet filius; usufructus & administratio spectat ad patrem; nisi forte pater renuntiaverit vel excipiatur, vel ea solum conditione relicta sint.

5. Profectitia, ex rebus scilicet, & substantia patris a filio acquisita, v. g. negociando pecunia, administrando, vel quæ proxime & immediate intuitu, vel in obsequium patris filio obveniunt. Horum filius familias nec directum, nec utile habet dominium. Ex supposito tamen, quod negociando, nomine patris negociatus fuerit; si enim nomine suo negocium gessisset, licet cum pecunia patris, vel alterius, si sortis paternæ in se suscepisset periculum, plenum dominium haberet lucri acquisiti.

N. B. *Filius familias sua industria & labore augens substantiam patris non potest in rigore plus partecipare de bonis paternis quam cæteræ proles legitimæ, quamvis consonum videatur rationi, ut præ cæteris participet.*

III. Uxorum, vel

1. Dotalia, quæ scilicet dari solent viro ad onera matrimonii ferenda, quorum mariti est administratio & usufructus: dominium directum vero, & proprietas est uxoris, & periculum apud ipsam manet; nisi consistant in numerata pecunia, vel in rebus usu non consumptibilibus, v. g. fundo, domo &c., & dentur cum æstimatione pretii, ita ut æstimatio connotet emptionem & venditionem.

2. Paraphernalia, quæ uxor præter dotem adfert; ad quæ reducuntur omnia, quæ uxori obveniunt, seu ante, seu post matrimonium titulo hæreditatis, donationis; vel ex industria & labore extraordinario, quorum integrum dominium est penes uxorem; nisi de acquisitis extraordinario labore aliter prius conventum fuerit. Ad hæc reducuntur item ea, quæ uxor genio suo subtrahit ex concessis sibi a marito pro victu, vestitu, honestis recreationibus, vel donariis &c.

3. Communia, scilicet quæ tempore matrimonii communi utriusque labore & industria sunt acquisita, quorum dominium directum penes utrumque conjugem residet; sed administratio & usufructus penes maritum; nisi aliter conventum fuerit, vel alia sit loci consuetudo.

N. B. 1. *Dominium proprietatis est* jus disponendi de re tamquam sua, nisi lex vel pactum obsistat, *uti obsistit respectu pupilli, debitoris tradentis alteri rem in pignus, vel hypothecam.*

2. *Ad verum rerum dominium acquirendum ordinarie requiritur tum* titulus, *ut emptio, donatio, successio hæreditaria; tum* traditio, *dum agitur de dominio ab uno in alium transferendo, quamvis in quibusdam casibus acquiri possit dominium non secuta traditione.*

3. Dominium *differt a* possessione *sive juris, sive facti, quia ad hanc requiritur, ut res corpore, animo ac juris adminiculo apprehendatur; quod si solo animo retineatur, prout fit ab eo qui abest a rebus suis, dicitur res illa* naturaliter & civiliter *possideri. Hæcque possessio est* firmissima *secundum jura.*

TAB. LXXXVII. *De Modo acquirendi dominium rerum per Venationem, inventionem thesauri, Accessionem, Commixtionem, etc.*

Dominium, seu *jus disponendi de re aliqua tamquam sua*, acquiri potest vel per

I. Venationem, seu persecutionem animalium, sive volatilium sive terrestrium, sive aquatilium, quorum alia sunt

1. Mansueta naturaliter, ut oves, boves &c., quæ nunquam fiunt primo occupantis, sed semper manet eorum dominium penes alterum licet longius evaserint, etiam pro casu quo liberata essent ab interitu, v. g. incendio, naufragio, direptione hostium, vel bestiarum.

2. Mansuefacta usu, & educatione, ut columbæ & alia, quæ etsi vagari permittantur, tamen ad domum redire solent, & horum dominium manet penes dominum quousque consuetudinem revertendi domum non amiserint.

3. Sylvestria & fera adeo ut nunquam fuerint mansuefacta, ut vulpes, aves, pisces, quorum dominium est vel trajicientis ea, vel laqueum ponentis, si aufugere non potuissent, vel eximentis ea, si alias aufugere potuissent; id tamen procedit supposito, quod talium animalium venatio non sit sive prohibita a Principe, sive reservata alicui privato.

* Capientes tamen dicta animalia sylvestria contra prohibitionem Principis, secluso notabili damno aut periculo incurrendi grave damnum, si reperirentur & punirentur, non nisi venialiter peccant, quia non fit gravis injuria Principi.

II. Inventionem thesauri, qui est *vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat*, qui de

* Jure naturæ & Gentium cedit in dominium inventoris tamquam primo occupantis.

** Jure Civili cedit

1. Totus inventori, si in proprio fundo inveniatur, quod verum est, licet quis emisset fundum sciens in eo latere thesaurum: excipiuntur tamen mineralia & metalla, quæ ex consuetudine pertinent ad principem.

2. Partim Inventori, partim Domino fundi, si in alieno, licet Principis, fundo inveniatur casu & fortuito, vel etiam in loco publico, aut sacro, etiam ante Judicis sententiam.

3. Partim Domino fundi, partim Inventori, si de consensu Domini fundi data opera quæsitus & inventus fuit, nullo præcedente pacto; alias standum conventioni,

4. Partim Inventori, partim Domino proprietario domus, si in domo aliena ab altero conducta inveniatur; non vero ipsi Conductori domus; si vero in fundo alieno titulo emphyteutico, vel feudatario possesso inveniatur, mediata dividenda inter Emphyteutam vel Feudatarium & Dominum proprietarium; quod si ipsemet Emphyteuta, vel Feudatarius esset inventor, duas partes posset sibi retinere.

5. Totus Domino fundi, si data opera sine licentia & consensu Domini quæratur & inveniatur in alieno fundo, sed post sententiam judicis.

6. Totus Domino fundi, si certo sciens in alieno fundo latere thesaurum, simulans se nihil scire & fingendo aliam necessitatem terræ fodiendæ, foderet & inveniret thesaurum.

7. Totus Fisco si in propriu fundo: partim Fisco, partim Domino fundi, si in alieno fundo arte magica reperiatur, sed post sententiam Judicis; idem procedit, si quis usu virgæ Corili inveniret thesaurum, quia usus talis virgæ declaratus est superstitiosus a Clem. XI. *Romæ 26. octob.*

8. Totus Domino, si non habeat rationem veri thesauri, ut pecunia inventa in via publica, si Dominus sciatur; si vero non sciatur, debet inventor diligentiam adhibere in quærendo Domino, eo quidem majorem & diuturniorem, quo majoris momenti est res inventa; quod commodissime fit per publicationem in Ecclesiis; & expectandum tempus longius vel brevius juxta qualitatem & valorem rei inventæ antequam alienetur.

Si elapso tempore debito dominus ignoretur, debet res inventa distribui pauperibus, vel converti in usus pios, *juxta tutiorem, imo & probabiliorem*, licet non pauci Doctores velint, posse detineri ab ipso inventore, quod extra dubium foret, si ipse inventor esset de genere vere pauperum; comparente tamen Domino tempore præscriptionis non elapso, restituenda esset Domino res ipsa, vel æquivalens.

N. B. *Nomine pecuniæ definitioni adpositæ, non solum venit moneta sive aurea, sive argentea sed etiam aliæ res mobiles, uti catenæ, gemmæ, vasa aurea, argentea, &c.*

III. Accessionem quando nimirum una res alteri accrescit vel

Naturaliter sive per naturalem generationem, ut dum serva parit, pecora fœtum emittunt: sive alluvionem, ut dum fluminis impetu alterius prato vel agro terrenum adjicitur latenter, ita ut vix notari queat; secus vero per alluvionem patentem, quæ contingere solet dum bonum aliquod, etiam mobile, v. g. linum, arbores, trabes, aquarum impetu alicui adjicitur.

Industrialiter per plantationem, inædificationem, picturam, ut dum quis in aliena tela pingit.

N. B. *Si res alteri accedentes haberentur a Domino pro derelictis, dominium earum cederet primo occupanti*, ex Jure Civili & S. Thoma 2. 2. quæst. 66. art. 5. ad 2. *Tales autem res non reputantur bona naufragantium.*

IV. Commixtionem, dum videlicet plures res simul conjunguntur, ita tamen, ut quoad substantiam maneant separatæ, adeo ut absolute discerni possint, ut dum plura frumenta, vel pecuniæ commiscentur, quarum rerum dominium est commune, si commixtio fiat communi consensu; secus vero si fiat casu, aut sine consensu alterius, loquendo cum exceptione pecuniarum, quarum dominium manet penes commiscentem, qui tamen manet obligatus refundere ex propriis, casu quo mala fide illa commiscuisset, secus vero si id ab ipso bona fide factum esset, nisi in quantum factus esset ditior.

V. Confusionem, dum videlicet plures res simul conjunguntur, adeo ut amplius separari & discerni nequeant modo ordinario, ut dum vinum unius conjungitur vino alterius, aut mulsum unius meli alterius, quarum rerum dominium est penes confundentem, qui tamen manet obligatus satisfacere parti læsæ casu quo injuste res alterius propriæ conjunxisset, secus vero, si bona fide, nisi in quantum factus fuisset ditior.

VI. Præscriptionem seu usucapionem factam cum debitis conditionibus, pro qua sequens erit Tabula.

VII. Contractus, in quibus transfertur dominium, ut in emptione, venditione &c. de quibus in posterioribus Tabulis.

TAB. LXXXVIII. *De modo acquirendi dominium per Praescriptionem, seu Usucapionem*

Præscriptio seu Usucapio est *acquisitio dominii continuatione temporis a lege definiti*

I. Ad quam requiritur

1. Bona fides, seu prudens æstimatio ac credulitas quod res, quam quis possidet, sit sua, quæ debet durare toto illo tempore, quo currit præscriptio; nec vitiatur per dubium superveniens (supposita sufficienti inquisitione) aut per ignorantiam, sive facti, sive juris dubii, bene vero juris clari, saltem resistentis, ad res præscribendas; sine hac bona fide nulla potest subsistere præscriptio sive pro foro interno, sive externo.

2. Possessio rei; seu ut re præscribenda sit apprehensa, quæ possessio esse potest
   1. Naturalis, consistens in actuali rei existentia ac detentione, & hæc omnino requiritur ad inchoandam legitimam præscriptionem, præter civilem, ob cujus defectum nunquam præscribi possunt precarium, commodatum, pignus, res emphyteutica, vel feudalis, aut conducta, vel deposita ab eo qui hoc sub tali titulo possidet, aut ab ejus hærede.
   2. Civilis, consistens in animo rem possidendi ut suam, & hoc modo dicitur Dominus absens a re sua hanc possidere; qui modus sufficit quidem ad continuandam præscriptionem legitime inchoatam, non tamen ad inchoandam.

   * Quod dictum est de vera possessione per respectum ad res corporales, quæ proprie dicuntur possideri, intelligi etiam debet de ficta, seu quasi possessione, per respectum ad res incorporales, seu jura.

3. Continuatio temporis a lege definiti, scilicet
   1. Triennium inter præsentes, respectu rerum mobilium (ad quæ reducuntur debita mobilium & actiones ad ea obtinenda), etiamsi sint Ecclesiæ, dummodo hujus non sint pretiosa; quadriennium vero inter absentes.
   2. Decennium respectu rerum immobilium & incorporearum, scilicet jurium, actionum civilium, ad immobilia pertinentium, ad personas præsentes, seu in eodem territorio existentes.
   3. Vicennium respectu earumdem inter absentes: quod si partim præsentes, partim absentes sint, duo anni absentiæ reputantur pro uno præsentiæ.
   4. Trigesimum respectu debitorum sive rerum mobilium, sive immobilium, contra Creditores.
   5. Trigesimum, vel Quadragesimum, si res sit vitiosa, v. g. furto ablata, juxta tamen infra dicenda.
   6. Quadragesimum respectu rei immobilis pertinentis ad particularem aliquam Ecclesiam, Hospitalitatem, vel Communitatem, Triennium vero respectu rei mobilis.
   7. Sexagesimum respectu rei immobilis pertinentis ad Monasteria privilegiata, Triennium vero respectu rei mobilis.
   8. Centesimum respectu rei immobilis pertinentis ad Ecclesiam Romanam.
   9. Vicennium respectu actionum criminalium computandum a die commissi criminis, quamvis aliqua crimina minoris temporis spatio præscribantur.

   N. B. *Anni primi bonæ fidei numerandi sunt cum annis posterioris possessionis bonæ fidei.*

4. Titulus justus, v. g. donationis, emptionis, hæreditatis, sine quo, saltem præsumpto, colorato & apparente, nequit haberi præscriptio rerum etiam mobilium, nisi spatio longissimi temporis, v. g. triginta vel quadraginta annorum.

5. Ut res non sit vitiosa, qualis est res furto ablata, quæ non nisi spatio longissimi temporis, v. g. triginta vel quadraginta annorum, præscribi potest, non quidem ab ipso fure, sed ab altero, qui rem illam titulo aliquo, excepto immediatæ hæreditatis, acquisivit.

N. B. *Si quis transacto tempore legitimæ præscriptionis veniens in cognitionem quod res illa sit alterius, ex ignorantia juris alteri restituisset, posset illam denuo repetere & vindicare a quocumque.*

II. Quæ excipit in casibus, adeoque

1. Hæres immediatus, licet bonæ fidei possessor, numquam præscribet rem titulo hæreditatis acquisitam a defuncto malæ fidei possessore, *juxta probabiliorem;* bene vero si alio titulo, v. g. donatione, rem illam obtinuisset.
2. Contra Pupillum sine licentia Tutoris alienantem rem aliquam, non currit præscriptio, etiam respectu ignorantis quod Pupillus nequeat rem alienare, bene vero respectu ignorantis ipsum esse Pupillum, *ex Regula illa* 13. *juris* 126. *ignorantia facti, non juris excusat.*
3. Contra bonum adventitium filii familias, dotalitium uxoris alienatum a Patre, vel Marito, non curret præscriptio, nisi tempore inchoando post mortem Patris, vel Mariti, cum antecedentes a jure agere impediantur.
4. Numquam præscribi possunt Majoratus, Fideicommissa, Primogenituræ, sicut nec res sacræ v. g. Ecclesiæ, aut loca Religiosa, vel jura spiritualia a Laicis.
5. Non currit, sed dormire dicitur præscriptio tempore quo vel non potest quis agere, ut hostilitatis, belli, pestis &c., vel non permittitur agere.
6. Numquam præscribi possunt limites, seu termini Provinciarum, Diœcesium & Parochiarum, bene vero limites prædiorum privata auctoritate, aut conventione statuta spatio 40. annorum.
7. Nunquam contra obedientiam superioribus debitam, aut eorum visitationem præscribitur extinctive a subditis, ita ut hi obtineant omnimodam & absolutam exemptionem respectu omnium superiorum Ecclesiasticorum, adeo ut a nullo eorum visitari valeant, bene vero translative, ita nimirum ut alteri, quam Episcopo, v. g. Prælato Regulari, debeatur obedientia & competat visitatio.
8. Nunquam præscribi possunt res meræ facultatis, seu gratuitæ voluntatis & ideo licet quis per centum annos continuos ivisset ad certum quoddam molendinum, vi præscriptionis non posset obligari ad continuandum.

N. B. *Præscriptio introducta jure Gentium & Civili ob bonum commune & publicum, ne videlicet dominia rerum maneant incerta, ne lites multiplicentur, ne titulorum fictores aliena bona invadant; ut negligentia, vel desidia hominum, res & jura sua prosequi negligentium aut acuatur, aut puniatur, & a jure canonico approbata* titulo *de Præscriptionibus; si sit legitima, locum habet non solum pro foro externo, sed & interno, juxta communem Theologorum, & expressam* D. Thomæ. *Quodlibet.* 12. *art.* 26.

TAB. LXXXIX. *De Contractibus in genere, et eorum divisione.*

Contractus, qui est *conventio duorum, vel plurium in alterutro saltem obligationem pariens*, dividitur in

1. Perfectum, qui est *conventio, seu pactum ultro citroque obligationem pariens*, eo quod aliquid accipiatur & aliud rependatur, prout contingit in contractibus emptionis, & venditionis, & hic contractus perfectus dicitur *onerosus*.

2. Imperfectum, qui est *conventio, seu pactum in alterutro tantum obligationem pariens*, eo quod aliquid accipiatur & nihil rependatur, prout contingit in promissione liberali, donatione &c., & hic contractus imperfectus dicitur *gratuitus*.

3. Explicitum & formalem, dum duo expresse de eadem re conveniunt cum mutua, vel saltem unius ad alterum obligatione.

4. Implicitum, dum tacite & implicite de aliquo convenitur; sic Judex, Medicus, Tutor dum hæc officia suscipiunt, eo ipso se virtualiter & implicite obligant ad præstandam operam omnem, quam adhibere solent ejusmodi conditionis homines erga eos, in quorum gratiam hæc munera exercent; & hi vicissim, si non expresse, saltem implicite spondere censentur, se id retributuros, quod vi legis, vel consuetudinis sancitum est.

5. Nominatum, qui proprium & specificum nomen in jure obtinet, ut venditio, emptio, locatio, conductio, societas &c.

6. Innominatum qui proprio caret nomine & sistit dumtaxat in vocabulo generico contractus, aut pacti, quorum quatuor communiter recensentur, videlicet 1. *do ut des*: 2. *do ut facias*: 3. *facio ut des*: 4. *facio ut facias*.

7. Nudum, qui consistit in simplici conventione, omnique alio juris fundamento caret, quo actionem civilem parere possit, unde solum parit obligationem naturalem, stringitque contrahentes in foro conscientiæ.

8. Vestitum, qui est conventio innixa alicui fundamento juris; hujusmodi autem fundamenta juris sunt scriptura, testes, juramentum &c., & talis contractus parit obligationem tum naturalem, tum civilem, ita scilicet, ut contra eum, qui renuit stare contractui, concedatur actio in foro politico.

9. Purum, cui nullum adjicitur accidens.

10. Non purum, cui adjicitur aliquod accidens vel ad diem, vel ad modum, vel ad causam, vel ad demonstrationem, vel ad conditionem.

N. B. *Contractus & pactum in jure promiscue sumuntur, quamvis stricte inter se differant; nam pactum præscindit a mutua obligatione, utpote quod communiter definitur, quasi sit* duorum, vel plurium in idem placitum consensus, *scilicet ad aliquid agendum vel non agendum; contractus vero stricte sumptus semper inducit obligationem, ex quo fit quod omnis contractus sit pactum, sed non omne pactum est contractus.*

* Hinc necessario admonendos judico tum tyrones, tum Confessarios, nullam materiam in tota Theologia Morali esse magis implicatam, erroribus, deceptionibus & versutiis hominum obnoxiam, quam contractuum. Dedi quidem in hac Tabula communissimam divisionem modosque explicui; sed me minime sufficere fateor. Nam contractus in tot species, modosque abeunt, quot perversa avaritia nacta est excogitare versutias. Ideoque confessarios oportet esse in hac materia versatissimos & promptos adeo, quod regulas generales particularibus modis in individuo applicando, primo intuitu larvatam injustitiam detegant. Dixi oportet esse versatissimos: nam hominum quidem contrahentium, mercatorum &c. est excogitare modos lucrandi & circumveniendi societatem; sed Theologorum est, discernere & definire num hi contractus in individuo æqui sint & liciti? Num palliatas usuras, injustitiamve contegant? Eo magis, cum signanter Mercatura sit ars liberalis & vel ideo ex una parte plurimo studio legum, constitutionum &c. indiget; & ex altera constet mercatores passim vel non studuisse, vel penitus nihil scire eorum, quæ ad mercaturam &c. Christiane excolendam pertinent: quorsum pro consilio, unde illis necessaria cognitio si Confessarii minus prompti fuerint & versati? Fraudes, dolos, usuras, mendacia ubique hac nostra præsertim tempestate, concinnari videmus. Unde quæso? Ex alterutro capite. Quod illi ignorantes, num possint nec ne? ob ignorantiam crassam & supinam nec interrogent, nec dubitent, nec se examinent, & consequenter nec confiteantur; vel quod confessarii non sciant discernere: hoc diligenti studio reparatur, illud interrogando, & examinando, signanter Mercatores, emptores, venditores, locatores, conductores, magnarios (vulgo *Incettatori* &c.) num super obligationibus, & justitia suæ professionis diligens examen instituerint? Materiam contractuum in tota sua universalitate, aspectu, modis, artibus, versutiis egregie pertractat liber, cui titulus " *L'ingiustizia smascherata*, editus in lucem Anconæ an. 1791., qui omnibus justitiæ commutativæ subjectis consulendus esset.

TAB. XC. *De iis, qui prohibentur a jure celebrare contractus.*

Contractus inire possunt, qui liberam suorum bonorum administrationem habent, nisi a jure prohibeantur, uti prohibentur

I. Ebrii, Dormientes, Fatui, nisi tempore lucidi intervalli, quamvis possint obligare & obligari si ad hoc non requiratur eorum consensus, ut si instituantur Legatarii obligant sibi hæredem, si instituantur hæredes obligantur ad solvenda Legata.

II. Infantes ante septennium, imo & infantiæ proximi, seu masculi ante completum decimum cum dimidio & fœmellæ ante completum nonum cum dimidio.

III. Pupilli sine auctoritate Tutorum, licet pubertati proximi, uti censentur masculi usque ad decimum sextum cum dimidio & fœmellæ usque ad decimum cum dimidio, qui tamen in suum commodum possunt etiam civiliter contrahere & consequenter alterum obligare, nisi & hic Pupillus supponatur.

IV. Minorennis, usque ad 25. completum in suum incommodum sine licentia Curatoris, bene vero in suum commodum, imo & incommodum, si non habeat Curatorem & contractus sit de rebus mobilibus, licet aliquantulum pretiosis; secus vero de immobilibus, licet obtinuisset a Principe veniam ætatis, quæ concedi potest masculis post 20., fœmellis post 18. annum completum.

V. Pupilli, & Minorennes qui

- Neque de consensu Tutoris, vel Curatoris possunt valide alienare sive immobilia, sive mobilia, quæ commode servari possunt, sed ad id exigitur præter licentiam tutoris & Curatoris, etiam judicis decretum; mobilia tamen quæ per triennium sana custodiri non possunt, ut vinum, vestes, valide a Pupillis & Minorennibus alienantur accedente Tutoris, vel curatoris licentia.
- Sine auctoritate Tutoris, vel Curatoris aut judicis contrahentes, juxta plures, non solum non obligantur civiliter stare contractui (saltem extra casum, quo contractus ab ipsis factus, proprio juramento fuisset firmatus), sed neque naturaliter & in foro conscientiæ; quamvis alii non pauci forte, non minus probabiliter, velint obligari naturaliter & in foro conscientiæ.
- Contrahentes sine dicta auctoritate possunt se eximere ab obligatione illa naturali, petendo beneficium restitutionis in integrum: (*) & hinc intendentes prosequi dictum beneficium, possunt, etiam ante ejus usum, retinere quod promiserunt, nisi promisissent juramento.

VI. Tutores, vel Curatores durante tutela & curatela contrahentes cum Pupillis & Minorennibus nullus & irritus est contractus & quidem non solum civiliter, sed & naturaliter.

VII. Executores testamentorum nequeunt de rebus defuncti contractus inire absque judicis, & aliorum omnium Executorum voluntate.

VIII. Advocati nequeunt emere Clientum bona, de quibus lites agunt.

IX. Prodigus sine auctoritate Curatoris prohibetur contrahere & quidem, si ipsi administratio bonorum sit specialiter interdicta a judice, nec naturaliter obligatur, & ideo aliquid ab eo vi contractus accipiens tenetur ad restitutionem ante judicis sententiam.

X. Filiifamilias, Uxores juxta dicta in Tab. LXXXVI.

N. B. *Restituere aliquem in integrum idem est, ac reducere eum in illum statum, in quo erat ante læsionem, quod a solo judice præstari potest & solet omnibus ætate minoribus, idest, qui vigesimum quintum ætatis annum nec dum compleverunt, pro casu quo ex contractu, vel quasi contractu, notabiliter, prudenti judicio læsi essent, nec aliud medium suppeteret contractum revocandi, etsi hujusmodi contractus initus esset de consensu Tutoris, aut Curatoris, vel etiam judicis decreto.* **

** Quæ tamen exigi nequit ab eo

- Qui post expletum vigesimum quintum ætatis annum ratificavit ea, quæ cum consensu Tutoris vel Curatoris in minore ætate egit.
- Qui contractum in minori ætate initum, pubertate jam adepta, ipsum juramento sponte facto confirmavit.
- Qui intra quadriennium inchoandum ab ætate legitima, seu a prima die exacti vigesimi quinti anni, negligeret, cessante alio impedimento, petere tale beneficium.

N. B. *Accipientes aliquid a Pupillo vel Minorenne sine auctoritate Tutoris vel Curatoris, aut decreto judicis, possunt illud tuta conscientia sibi retinere, quia si non probabilius, certe non minus probabile est, quod naturaliter obligentur Pupilli & Minorennes.*

TAB. XCI. *De Requisitis ad Contractus in genere.*

Contractus in genere exigunt

- **I. Consensum & quidem**
  1. Internum, verum & non fictum, vel simulatum: hinc nullus esset contractus, si quis exhiberet signa externa expressiva consensus, interne tamen sive negative se haberet neque assentiendo, neque dissentiendo, sive positive interne dissentiendo quidquid Turrianus contrarium senserit, putans, quod in casu simulati vel denegati consensus interni, suppleat Respublica talem consensum, dum signa externa exhibentur.
  2. Signo externo manifestatum, sive dein signum illud consistat in nutu, velut in surdis & mutis, sive in rebus, sive in solis litteris, sive in scriptura authentica, sive in traditione rei, pro ratione contractus.
  3. Ab Errore & Dolo alienum, nam error & dolus, si sit circa substantiam rei, sive dein sit invincibilis, sive vincibilis, sive juris, sive facti, sive antecedens, qui dedit causam contractui, sive concomitans incidens, aut consequens, qui non dedit causam contractui, sive sit causatus ab altero contrahente, sive a quocumque alio, reddit invalidum contractum, quia errantis circa substantiam nullus est consensus; secus vero si sit solum circa qualitatem, nisi hæc per se primo, ac per modum finis sit intenta, vel apponatur sive actualiter, sive virtualiter per modum conditionis.
  4. Immune a metu gravi injuste incusso in ordine ad extorquendum contractum, qui tamen spectato jure naturæ non debet invalidare contractum, *juxta probabiliorem, & dicta in* Tabula III. Imo nec jure positivo, loquendo cum exceptione sex contractuum hoc versu comprehensorum: *Tutor, Judicium, Dos, Sacrum, Copula, Votum*, idest Matrimonii, Professionis religiosæ, Promissionis vel traditionis ex rebus Ecclesiæ, Promissionis vel solutionis dotis, Renunciationis Beneficii & jurisdictionis extortæ, de quibus suis locis.
  5. Mutuo acceptatum acceptatione externe manifestata respectu contractus onerosi, secus respectu contractus gratuiti, utpote respectu cujus sufficit acceptatio ex parte illius, qui alterum sibi obligat.
- II. Materiam, quæ debet esse possibilis moraliter, honesta, non prohibita a jure, uti prohibentur alienationem Bonorum Ecclesiasticorum immobilium, imo & mobilium pretiosiorum sine licentia Papæ.
- III. Ut observentur solemnitates substantiales a jure requisitæ ad contractum, seu illæ quæ præscribuntur a lege sub nullitate actus; accidentales vero, quæ videlicet exiguntur a lege nulla addita clausula irritatoria, non reddunt contractum nullum & irritum, sed tantum illicitum, juxta axioma illud, *multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.*
- IV. Animum sese obligandi, nam omnis contractus validus parit obligationem vel naturalem, seu conscientiæ, ortam ex natura ipsius rei; quam obligationem parit contractus nudus, licet in foro externo non tribuat actionem, nisi juramento firmetur, vel naturalem simul & civilem ortam ex natura ipsius rei, quæ fovetur insuper a jure civili concedente actionem in judicio adversus obligatum, quam obligationem pariunt contractus vestiti.
- *Resolves*
  1. Contractus initos sub conditione honesta de præsenti vel præterito statim vel esse validos ea subsistente, vel nullos & irritos ea deficiente: uti & sub conditione honesta, necessaria; atque adeo obligare statim, aut nunquam.
  2. Contractus initos sub conditione de futuro contingenti non obligare ante adventum conditionis; nequit tamen ita contrahens sive resilire ante adventum conditionis, sive impedire eventum ejusdem; purificata autem conditione statim transeunt in absolutos sine novo consensu, *juxta probabiliorem.*
  3. Juramentum additum contractui jure positivo irrito non posse confirmare ipsum contractum, sed solum inducere obligationem; propterea que non obligare ex justitia, sed solum ex virtute Religionis; atque adeo sublato juramento, nullam adesse obligationem, cum vi juramenti nullum jus parti sit acquisitum.

TAB. XCII. *De Contractu simplicis ac liberalis Promissionis:*

Promissio est *deliberata ac spontanea fidei obligatio facta alteri de re licita possibili*, quæ

I. Differt a proposito, quod promissio inducat obligationem, juxta mox dicenda, secus vero propositum, nam promissio postulat ut facta conformentur dictis, e contra propositum solum postulat ut verba conformentur menti, juxta dicta in Tab. XLVII., hinc illa inducit obligationem, secus propositum; nec censetur violare propositum, qui quod proposuit non exequitur, dummodo habuerit intentionem exequendi: Unde propositum solum obligat ex veracitate, non vero fidelitate, quamvis aliqui inordinata propositorum mutatione agnoscant peccatum inconstantiæ ex genere suo veniale.

II. Dividitur in
- Perfectam & consummatam, qualis est, quæ est acceptata a promissario seu ab eo, cui fit promissio.
- Imperfectam, qualis censetur, quæ non est acceptata ab eo, cui fit, & dicitur *Pollicitatio:* quod si fiat sub quadam verborum formula uno interrogante, altero respondente, v. g. si unus dicat: dabis mihi librum? & alter respondeat: dabo, dicitur *Stipulatio*.

III. Obligat
1. Ex virtute fidelitatis sub veniali, si ab altero, cui facta est & factam fuisse optime novit, non fuit acceptata, quia habet rationem *Pollicitationis*, quæ obligat sub veniali, secluso tamen juramento addito.
2. Ex justitia, si sit ab altero, cui facta est promissio, acceptata, juxta plures; atque adeo sub gravi vel levi culpa, juxta quantitatem rei promissæ, etsi nullum damnum promissario eveniret, quam carere re promissa; quamvis non desint, qui & in hoc casu velint solum obligare ex honestate & fidelitate, atque adeo solum sub veniali.
3. Solum secundum intentionem habitam a promittente, juxta veriorem, adeo quod obliget solum ex fidelitate, si taliter solum promittens, intendebat se obligare; vel ex fidelitate simul & justitia, si ad hoc intendebat promittens se obligare; quod facile non est præsumendum de eo, qui sponte & libere aliquid, licet notabile, alteri promittit.
4. Si promittens promittendo voluit se simpliciter obligare, etiam in re gravi, non tamen cogitavit vel se determinavit, ex qua virtute, aut an graviter, vel leviter (qui modus promittendi solet esse quotidianus): obligat solum ex virtute fidelitatis venialiter quia homines, quando aliquid promittunt liberaliter abstrahendo, vel non advertendo ad qualitatem vel quantitatem obligationis, si nihil aliud addant, non intendunt, nec censeri possunt, se velle obligari, nisi ad id, quod exigit natura promissionis liberalis ex genere suo.

IV. Non obligat si
1. Sit solum interna, seu solo animo facta, nam hæc nullam, nec quidem naturalem in conscientia, & multo minus civilem in foro externo parit obligationem.
2. Externe facta non sit acceptata, saltem tacite & interpretative ab illo, in cujus favorem facta est, utpote habens rationem *Pollicitationis*, quæ non parit obligationem saltem ex justitia, sed ad summum ex fidelitate.
3. Intercesserit remissio ipsius promissarii, seu illius cui facta est promissio, quia, juxta Regulam illam 1. Juris: *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.*
4. Res promissa fiat illicita, inutilis vel impossibilis, nam ut promissio ab altero acceptata obliget in conscientia, requiritur ut sit de re possibili, licita, & utili alteri, cui facta est promissio.
5. Fiat notabilis mutatio circumstantiæ vel status circa ipsas personas, quæ si ab initio extitisset, promissio facta non fuisset.
6. Alter, qui reciproce promisit non stet promissis, juxta Regulam illam 25. Juris *in* 6. *frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.*
7. Cesset finis principalis promissionis: ut si pauper, cui ratione paupertatis suæ promissa fuissent alimenta, evasisset dives.
8. Facta sit animo non se obligandi, nam ut promissio liberalis obliget in conscientia, præter acceptationem, requiritur intentio sese alteri obligandi, saltem implicita, quam censetur habere, qui vere promittit, cum promissionis veræ per se sequatur obligatio. Si quis tamen intentione & animo expresso se non obligandi aliquid promitteret, talis promissio nulla foret; adeoque nec pareret obligationem, quamvis taliter promittens venialiter peccaret transgrediendo legem veritatis, vi cujus tenetur dicta sua vera facere, & cavere ne dicatur falsum.
9. Facta sit ob turpem causam, seu propter opus malum, ante patratum opus illud malum; patrato tamen malo adest obligatio standi promissis, ratione contractus innominati.

TAB. XCIII. *De Contractu Donationis gratuitae et liberalis*.

Donatio, quæ est *gratuita ac liberalis rei collatio*, dividitur in

1. Verbalem, quæ videlicet fit solis verbis non adjuncta traditione rei, quæ & *imperfecta* dicitur.
2. Realem, quæ sequitur ipsam rei traditionem, & hæc dicitur *perfecta*, utpote per quam transfertur jus non solum *ad rem*, prout in Verbali, sed & *in re*.
3. Stricte liberalem, quæ excludit omne debitum tum gratitudinis, tum justitiæ ex parte donantis, adeoque fit absque ullis meritis donatarii.
4. Minus stricte liberalem, quæ excludit quidem debitum rigorosum ex justitia, non tamen excludit debitum morale gratitudinis ex parte donantis ob merita donatarii, & hæc dicitur etiam *antidoralis* seu remuneratoria, quæ ut valeat etiam in foro externo, satis est, ut donator dicat: se donare ob merita donatarii, nec opus est, ut merita exponantur vel probentur.
5. Factam *mortis causa*, quæ censetur dum fit a vivente viventi sub conditione mortis secuturæ ipsius Donantis, adeoque transfert dominium rei donatæ simpliciter post mortem; & ad hanc requiritur ut fiat mentio mortis, sive æquivalenter: quod si dubitetur, an fuerit inter vivos vel mortis causa, præsumendum quod sit mortis causa, utpote quæ minus gravat donantem. Hæc autem donatio, mortis causa, est quadruplex, scilicet *Testamentum*, *Codicillus*, *Legatum & Fideicommissum*, juxta alibi dicenda.

   N. B. *Hæc est revocabilis, quamdiu donans vivit, juxta dicenda de Testamentis, & aliis ultimis dispositionibus*.

6. Factam *inter vivos*; ut cum donans in donatarium vult rei dominium transferri se adhuc vivente; qualis censetur cum absque ulla conditione, mentione vel suspicione mortis, absolute aliquid donatur, quamvis donans vellet traditionem ejusdem primo post mortem fieri. Hæc

   - **Exigit ad valorem**
     1. Dominium & administrationem rei donandæ ex parte ipsius Donantis, quia, juxta Regulam 79. juris *in* 6. *nemo potest plus juris in alium transferre, quam sibi competere dignoscatur*.
     2. Acceptationem ex parte donatarii, adeo quod ante hanc nullam pariat obligationem, possitque libere revocari, etsi quis absolute se obligare voluisset, sufficit tamen tacita acceptatio respectu donationis liberalis factæ Donatario præsenti & tacenti; imo si facta sit Ecclesiæ vel alteri causæ piæ statim obligat, quamvis a Rectore vel Administratore Ecclesiæ, vel causæ piæ absente non fuisset acceptata.
     3. Traditionem vel *realem*, quæ contingit dum Donans dominium directum & utile actu & absolute transfert in Donatarium; vel fictam, dum Donans reservans sibi usumfructum transfert solum proprietatem rei donatæ in Donatarium.
   - **Est irrevocabilis, etiam per Rescriptum Principis, regulariter loquendo; si sit acceptata a donatario. Excipe tamen**
     1. Si Donatarius enormiter ingratum se exhiberet erga Donantem, ut si injurias atroces in Donantem effunderet, aut in eum manus impias inferret, aut inopia pressum non sublevaret, aut vitæ ejus insidias strueret; ast præ se ob ingratitudinem nequit revocari Donatio remuneratoria, nisi in quantum excedit merita Donatarii.
     2. Si Donans prole carens magnam partem bonorum suorum donasset, & postea nasceretur ei proles; & quidem ex toto, si sit facta ad causas profanas, solum usque ad *legitimam* prolium susceptarum, si sit facta ad causas pias.
     3. Si sit inofficiosa liberis, si videlicet Patris donatio redundaret in præjudicium legitimæ portionis filiorum; sed solum post mortem Patris, & usque ad *legitimam* aliorum, si facta sit alicui ex filiis; si vero facta sit extraneo animo defraudandi filios, revocatur tota; si autem sine dicto animo, vel facta sit ad causas pias, revocari tantum potest usque ad *legitimam* filiorum.
   - **Nulla est**
     1. Si excedat summam quingentorum solidorum seu aureorum, *ex jure civili*: facta vero potest a Donatario tota conscientia retineri donec a Donante vel ejus Hærede, vel per sententiam judicis rescindatur donatio, quoad illum excessum: valeret tamen etiam quoad excessum pro casu quo talis donatio vel non ad semel, sed diversis temporibus, animique motibus fieret, vel esset remuneratoria beneficiorum, aut obsequiorum, nisi excederet nimium merita Donatarii, vel facta fuisset Ecclesiæ vel alteri causæ piæ.
     2. Si fiat omnium bonorum tam præsentium, quam futurorum ad causas profanas, nisi talis donatio esset juramento firmata: quod si facta fuisset ad causas pias, subsisteret; imo forte & facta ad causas profanas subsistere posset pro foro interno conscientiæ.
     3. Si inter Maritum & Uxorem, in supposito quod sit mere liberalis, & exinde Donans fiat pauperior & Donatarius locupletior, nisi juramento sit firmata, aut morte sive naturali, sive civili Donantis confirmetur.

N. B. *Donatio differt a promissione, tum quia hæc est libera & spontanea* fidei datio; *illa vero est libera & spontanea* rei datio; *tum quia donatio, nequaquam vero promissio, ex natura sua habet vim transferendi statim dominium de præsenti*.

TAB. XCIV. *De Contractu Emptionis et Venditionis.*

Emptio est *pactio, pretii pro merce:* Venditio est *pactio mercis pro pretio*. Hi contractus onerosi

- **I. Requirunt essentialiter**
  - 1. Mercem, quo nomine veniunt omnia, quæ quis habet sive in re, sive in spe, sive in jure, sive res illæ sint corporales, sive incorporeæ, ut jura, actiones.
  - 2. Justitiam, seu æqualitatem inter mercem & pretium, seu ut servetur justum pretium, quale censetur quod exæquat valorem rei venalis in genere moris, scilicet in ordine ad usum & utilitatem, quam hominibus adferunt.
  - 3. Pretium, quod est sola pecunia, quia si res daretur pro merce, esset permutatio; estque vel
    - 1. Legitimum, seu taxatum a Potestate publica, & hoc consistit in indivisibili, servarique debet ab omnibus omnino personis, etiam Ecclesiasticis, nisi evidenter constaret injuste fuisse taxatum, de quo tamen minime præsumendum.
    - 2. Naturale, seu vulgare, quod scilicet communi hominum intelligentium judicio, ponderatis rerum circumstantiis, imponitur; & hoc non consistit in indivisibili, sed admittit latitudinem, & ideo communiter dividitur in summum seu rigorosum, medium seu mediocrem & infimum, seu pium.
    - 3. Justum, & dicitur illud quod res tempore traditionis valet, vel respectu vulgaris pretii, quod non excedit summum, seu rigorosum, vel non est infra infimum.
- **II. Perficiuntur, & quidem**
  - Contractus Emptionis & Venditionis perficitur solum partium consensu exterius significato, quo se mutuo contrahentes obligant, Venditor quidem ad mercem tradendam, Emptor vero ad pretium solvendum. Ultimum autem suum complementum habet secuta traditione, utpote per quam solum transfertur dominium; quamvis res constans numero, pondere & mensura fictione juris censeatur tradita, quando est coram emptore determinata, numerata, aut mensurata.
  - Peracto contractu emptionis & venditionis per traditionem, ac pretii solutionem, vel hujus assecurationem, cautionem, fidejussionem, plenum dominium rei cum omnibus fructibus, commodis & incommodis, periculis, damnis, pleno jure transfertur in emptorem.
- **III. Referunt commodum & interitum rei venditæ, sed nondum extraditæ ad**
  - Emptorem, si res aliqua determinata in specie, seu in individuo vendatur, v. g. hæc domus, extra tamen casum, quo vel aliter inter contrahentes conventum fuisset, vel rei venditæ ante traditionem ex dolo aut culpa levi venditoris periret, vel venditor fuisset in mora culpabili rem tradendi.
  - Emptorem, si res empta esset ad corpus seu per modum unius, & contingeret ante traditionem deteriorari, vel perire apud venditorem, seclusa tamen speciali conventione, culpa vel mora venditoris; si vero empta esset ad pondus, numerum & mensuram, pertineret ad venditorem.
  - Emptorem, si res quæcumque pereat apud Conductorem, ut si triticum Nautæ consignatum in mare submersione navis pereat sine culpa gravi vel levi Conductoris, nisi aliter conventum esset; si vero ex culpa lata vel levi Conductoris periret, huic periret; quod si gratis assumpsisset onus translocandi, non nisi ex culpa theologica gravi obligaretur.
  - Emptorem pertinent omnes fructus rei pendentes tam maturi, quam immaturi, præcisa speciali conventione; imo juxta probabiliorem, etiam fructus primo nascituri, quamvis aliqui velint, quod hujusmodi fructus primo nascituri, non nisi post solutionem præstitam pertineant ad emptorem.
- **IV. Si sunt rerum mobilium venditarum adserunt jus, nimirum**
  - 1. Res immobiles venditas posse jure Retractus gentilitii, seu sanguinis recuperari a proximo consanguineo venditoris, & quidem eodem pretio, quo primo venditæ fuerunt, computatis tamen & compensatis tam sumptibus, quam expensis necessariis & utilibus factis in rem, ita ut Emptor servetur omnino indemnis.
  - 2. Hoc jus recuperandi non nisi consanguineis competere, unde si extraneus nomine consanguinei retraheret, seu recuperaret, teneretur ad restitutionem, supposito quod extraneus ille revera pro se, sed ficte, nomine alterius id faceret & consequenter dolose procederet; sic etiam, si ipsemet consanguineus retraheret, ut alteri majori pretio rem retractam venderet.
  - Consanguineum sive majorem, sive minorem, sive præsentem, sive absentem, non posse elapso anno & die retrahere, præcisa tamen speciali conventione; imo pro casu, quo consanguineus requisitus an justo pretio rem illam retrahere vellet, recusaret, posset post duos menses alteri vendi, & venditio facta amplius revocari non posset a consanguineo.

TAB. XCV. *De Observandis et Vitandis a Venditoribus:*

V. Venditor.

I. Tenetur

1. Extradendo merces suas, ex justitia servare justum pretium sive taxatum, sive naturale seu vulgare, & rem venditam sive obligatam realiter teneat in pretii solvendi securitatem.
2. Manifestare emptori vitium rei vendendæ, si vitium sit periculosum, reddatque rem noxiam, aut inutilem, etsi non interrogatus, præsertim si vitium non sit manifestum, sed occultum, aliter faciendo tenetur, non solum compensare defectum quantum minoris res vendita valet, sed etiam damna ex tali venditione secuta: vitium vero occultum non reddens rem noxiam, non tenetur aperire, saltem non interrogatus.

II. Non tenetur aperire vitium manifestum & cognoscibile, modo vendat rem justo pretio, facta compensatione & detractione ratione vitii, *ex D. Thoma 2. 2. quæst. 77. art. 3. in corp.*, loquendo tamen cum exceptione tum casus, quo venditor adverteret in emptore hebitudinem ingenii, aut debilitatem visus, tum casus, quo emptor interrogaret venditorem de bonitate, vel vitio mercis.

III. Nequit

1. Excedere summum pretium ex eo præcise, quod res credito vendat, *ex cap.* Consuluit *de Usuris*.
2. Cariori pretio res suas vendere ex eo, quod in mercibus suis passus sit damnum, v. g. ratione furti, naufragii, aut alterius accidentis; si tamen venditor ex officio teneatur vendere, cum alios modos acquirendi omittat.
3. In venditione mercis suæ adjicere pactum aliquod onerosum nisi facta diminutione justi pretii; vendere autem cum pacto in favorem solius venditoris, licitum est: dummodo non accedat pactum, ut res retrovendatur eodem, quo venditur pretio, quia in vendendo ob gravamen minoris vendi debet, vendere autem cum pacto, ut emptor iterum retrovendat mercem pretio infimo, quam emerat pretio summo, habet rationem contractus *Mohatræ* damnati ab *Innocentio XI. propositione* 10.
4. Cum aliis mercatoribus conspirare, ut vel ipsi soli, vel certo, quo voluerint, pretio mercem aliquam vendant, quia hæc conspiratio habet rationem monopolii, quod privata auctoritate factum est injustum. *

V. Potest

* Excedere justum pretium ob

1. Lucrum cessans, dummodo admoneatur de hoc emptor, & detrahantur expensæ, quas vendens fecisset in conservatione rei; si tamen aliunde omnibus notum esset, quod res alio tempore cariori pretio vendentur, necesse non esset, emptorem de augmento pretii admonere.
2. Damnum emergens ob venditionem in gratiam alterius factam, in quo etiam casu admoneri debet emptor, ut prius.
3. Periculum amittendæ sortis, imo & ob timorem magnæ difficultatis, molestiæ ac laboris in ea obtinenda, ratione cujus opus non est admonere emptorem, iste tamen titulus non suffragatur ei, qui pignus, vel hypothecam accipit, saltem æquivalentem, rei venditæ.
4. Excessum affectionis tenentem se ex parte venditoris, quod dicitur pretium affectionis, hic tamen titulus non suffragatur mercatoribus ex officio.

** Cariori pretio vendere

1. Res non habentes pretium taxatum ratione laborum, periculorum & expensarum in rebus acquirendis, advehendis & conservandis, communiter occurrentium.
2. Quando est copia emptorum & penuria mercium; hinc excusantur, qui in transitu alicujus Principis cum magno comitatu, vel alicujus exercitus pretia rerum accrescunt.
3. Res novas, vel antiquas, quia raritatem inducunt, imo res non pertinentes ad usum communem, scilicet victum, vestitum, habitationem, ut sunt gemmæ, canes &c., possunt, juxta aliquos, ad libitum vendi, quamvis probabilius sit quod neque in his vendendis possit excedi summum pretium.

V. Vendens

1. Bona fide rem vitiosam, ut integram, veniens in cognitionem tenetur vel rescindere contractum, vel emptori excessum pretii refundere; saltem extra casum, quo venditor dicat; se rem vendere sicuti est, nec in se velle ullatenus suscipere periculum vitii occulti, si quod habeat, quamvis in tali casu minori pretio vendi deberet propter adjectum alteri onus subeundi periculi.
2. Vinum, licet extraordinariæ bonitatis & meliorationis, aqua mixtum, pretio communi taxato, condemnandus est de peccato contra justitiam, per se quidem gravi extra casum quo misceatur aqua in modica quantitate; si tamen vino extraordinariæ bonitatis admisceatur aliud vinum minoris bonitatis, ut fiat simile aliis, factum non esset graviter condemnandum.
3. Alieno nomine (qui in jure vocatur *Proxeneta*) non potest licite sibi lucrari de pretio, nisi vendens vel specialem diligentiam & laborem adhibuerit in vendenda re sibi consignata majori pretio, ut si alio eam transferret, vel si rem sibi a domino vendendam consignatam pretio taxato, eam pro se vere & non ficte emat, adeo quod susceperit in se periculum pro casu, quo damnum aliquod contingat, & postea alteri vendat, quod tamen non permittitur famulo, vel alteri ære conducto.

VI. Commiscens de industria materiam viliorem peregrinam merci vendendæ, ut tritico far, frumento avenam, piperi juniperos, ceræ picem, & taliter mixtam vendendo pro sincera pretio taxato, vel vulgari communi, peccat contra justitiam graviter, vel leviter, si tamen ex commixtione alterius substantiæ nullum damnum inferat emptori, posset, diminuto tamen pretio, sine læsione justitiæ commutativæ rem illam mixtam vendere, uti decisum in Universitate Parisiensi *an.* 1665.

VII. Excedens summum pretium, præciso justo titulo, peccat graviter, vel leviter contra justitiam pro ratione excessus, & tenetur ad restitutionem, quamvis in foro externo non detur læsis actio, nisi læsio sit ultra dimidium, & hæc actio contra lædentem ultra dimidium bona fide institui potest usque ad 30. annos, contra lædentem vero mala fide in perpetuum.

* *Vide ad calcem Tabulæ sequentis* (A).

TAB. XCVI. *De Observandis et Vitandis ab Emptoribus.*

Emptor

- I. Solvere tenetur justum pretium sive vulgare pro merce, & si infra infimum pretium in pretio vulgari aliquid emit, peccat contra justitiam pro ratione damni illati, nisi id faciat suffultus aliquo justo titulo (A).
- II. Potest
  - 1. Viliori pretio emere mercem si
    - 1. Concurrat aliquis titulus, ex allatis in priori Tabula.
    - 2. Emptori res emenda sit parum utilis, nec emat nisi in gratiam venditoris.
    - 3. Dum copia mercium supervenit, quia id minus æstimatur, cujus major est copia.
    - 4. Emat res in magna copia, vel emat rem ultro oblatam, quia merces ultroneæ vilescunt pro tertia parte.
    - 5. Emat tempore, quo res venduntur actione publica, seu subhasta, ut in licitationibus publicis; tunc enim vilius res emuntur, quam apud mercatores, & quidem intra dimidium ejus pretii, quo emerentur in officina.
    - N. B. *Cavendum tamen in licitationibus, ne fraudes & doli committantur, uti censerentur committi, tum si concurrentes emptores conspirarent insimul de pretio vili offerendo, adeo ut venditores cogerentur res suas vilissimo pretio vendere: tum si licitationes instituerentur, dum pauci emptores comparere solent, ut amicis faverent, quod passim in celebrioribus nundinis praticari videmus absque ullo scrupulo* (B).
  - 2. Licite emere potest rem aliquam eo animo, ut integra & non mutata eam vendat cum lucro, servata tamen latitudine pretii, quia id habet rationem Negotiationis, quæ in Republica necessaria est; & ideo per se licita, quamvis Clericis sacris initiatis & Religiosis sub gravissimis pœnis prohibita, & quidem sive per se, sive per alium exerceatur, quidquid aliqui excusent, saltem a peccato gravi, negotiantem per alios.
- III. Non potest
  - 1. Infra infimum pretium rem emere præcise propter anticipatam solutionem; si tamen anticipata solutio adferret secum aliquem titulum v. g. lucri cessantis, damni emergentis, vel periculi sortis, de quibus in priori Tabula, posset ratione talis tituli anticipate solvens minoris rem emere.
  - 2. Minori pretio emere Chirographa, & aliena credita certa & liquida, pro quibus suo tempore exigendis nulla penitus occurrit difficultas, molestia, vel periculum; neque ullum lucrum cessans, vel damnum emergens; bene vero, si non essent certa & liquida, subjecta in exigendis difficultatibus, molestiis, periculis, aut damno, & quidem proportionaliter ad difficultates, molestias, pericula &c., quamvis ipse emens sciret viam & modum obtinendi solutionem empti crediti sine difficultatibus & molestiis; ipse tamen Debitor id per alium præstare non posset sine injustitia.
  - 3. Emere rem furto ablatam, etsi eam sive bona, sive mala fide emat, occurrunt dicta in Tabula LXXVIII.
- IV. Tenetur manifestare Venditori simplici & idiotæ bonitatem, seu pretium mercis, ut si venditor vellet pro falsa gemmam aliquam vendere, quam scit emptor esse pretiosam, extra tamen casum, vel quod major illa bonitas & utilitas rei venditori ignota & soli emptori cognita, etiam publice ignorata in communi hominum æstimatione revera pretium non augeret, vel major illa bonitas & utilitas primo post emptionem cognosceretur ab emptore.
- V. Emens alieno nomine rem aliquam viliori pretio, non potest sibi retinere id, quod alias in rigore emendo solvere debuisset, nisi Mercator, vel Venditor in gratiam ipsius substituti aliquam partem pretii remitteret, quod vix præsumendum, sed potius deceptionem Mercatorum ad se pro posse studentium trahere emptores sub illa ficta promissione.

(A) Execrabilem quamdam comperies malitiam in Venditoribus (præsertim magnatiis, vulgo *Incettatori*) quibusdam. Hi ut merces suas (*vinum, oleum, triticum, sericum, &c.*) ex omnibus angulis, & silicibus expressas supremo evehant pretio, constituunt aliquem, vel aliquos majoris notæ emptores compensandos de excessu per regaliam, qui tali pretio merces præfatas emant, quatenus enuntiantes tanti eas emisse, hac subdola malitia pretium firmetur, & in errorem inducti cogantur tanti emere. Hoc furtum est; imo eo detestabilior rapina, quo emptores securius læduntur. Tales autem (non venditores vocandi, sed Reipublicæ hostes) una cum emptoribus conspirantibus in damnum publicum, tenentur, & quidem in solidum ad restitutionem emptoribus; de cætero minime absolvendi.

(B) In celebrioribus nundinis & mercatibus solent passim comparere aliqui (honorati prædones) Emptores magni nominis & abundantis marsupii, qui ut cogant venditores subinde infra infimum pretium vendere oleum, frumentum, caffeum, sacharum, sericum &c., vel inter se conspirant, ut nemo præter unum alterumve ejusmodi merces emat, quatenus ob penuriam emptorum venditores adstringantur vendere merces suas vilissimo pretio, vel aliquem majoris nominis venditorem conveniunt, quatenus mercem suam vilissimo pretio compensaturis pro defectu & rata justi pretii, omnium antesignanus vendens, omnes reliqui venditores circumveniantur; qui non raro adeo læduntur, ut pauperculi, non dico itineris, vecturæ &c. sed nec rerum venditarum expensas resarcire valeant. Hos prædones non modo in solidum venditores reintegrare, sed etiam de damno emergenti teneri audacter dico.

TAB. XCVII. *De Contractu Mutui et Obligationibus Mutuantis.*

Mutuum est *Traditio rei constantis numero, pondere, vel mensura, facta eo animo, ut statim fiat accipientis cum obligatione, ut similis res in eadem specie, & bonitate restituatur,* vi cujus contractus Mutuans

I. Debet transferre dominium rei mutuatæ: quæ plerumque sunt res fungibiles seu usu consumptibiles, ut pecunia, oleum, frumentum &c., in Mutuatario, per quod mutuum distinguitur a commodato.

II. Non potest

- 1. Adjicere pactum, ut restitutio fiat in eadem non solum specie & numero pecuniæ pro casu quo certo, aut probabilius scivisset valorem extrinsecum monetæ esse augendum, bene vero pro casu, quo tam Mutuans, quam Mutuatarius incerti essent de incremento vel decremento.
- 2. A Mutuatario quidquam, præcise vi mutui, exigere, & exigendo committit usuram lucratoriam, de qua in Tabula sequenti, nisi suffragetur sibi justus titulus, id est
  - Lucri cessantis sub conditionibus
    1. Ut mutuum datum sit revera causa lucri cessantis.
    2. Ut non plus exigatur, quam lucrum cessans valere possit, detractis expensis, & æstimatione periculi, ac incertitudinis lucri, judicio viri prudentis & timorati.
    3. Ut de tali onere moneatur Mutuatarius, & in pactum deducatur.
    4. Ut compensatio lucri cessantis non statim solvatur a Mutuatario, sed postea tempore conveniente, quo scilicet Mutuans illud lucrum fecisset si non mutuasset.
  - Damni emergentis sub conditionibus
    1. Ut mutuum sit vera causa hujus damni certe aut rationabiliter eventi.
    2. Ut servetur æqualitas, seu ut lucrum exigatur judicio prudentis proportionatum damno emergenti.
    3. Ut Mutuatarius præmoneatur de damno, & ab initio conveniatur de compensando damno: quod si damnum revera non evenerit, nec Mutuans exigere, nec Mutuatarius teneretur ex hoc titulo solvere auctarium, seu *interesse*.
  - Periculi amittendæ sortis vel non nisi difficulter, & cum expensis eam recuperandi, dummodo periculum sit rationabile & extrinsecum, seu particulare ac extraordinarium, quod scilicet separari potest a mutuo per pignus vel fidejussionem, *ex D. Thoma Opusc.* 73. *de Usura & 2. 2. quæst.* 77. *art.* 4. *ad* 2. *& decisione Sac. Cong. de Propaganda facta anno* 1645. *in una Sinensi*, quidquid aliqui negent dictum titulum sufficere ad exigendum aliquid ultra sortem; liberum tamen esse debet Mutuatario assecurare sortem pignore, aut fidejussione.

III. Potest

- 1. Licite apponere pœnam conventionalem a mutuatario solvendam, nisi præfixo tempore sortem restituerit, sub conditionibus tamen
  1. Ut talis pœna non ponatur in fraudem, seu ad palliandam usuram.
  2. Ut Mutuatarius fuerit in culpa de non præstita solutione debito tempore.
  3. Ut pœna sit moderata & proportionata culpæ.
  4. Ut mora sit notabilis.

  * Concurrentibus his conditionibus sine nota usuræ lucratoriæ potest Mutuans apponere pœnam conventionalem, eamque exigere juxta probabiliorem, cui videtur favere textus relatus, *cap.* Suam. 9. *de Pœnis*; & hæc pœna solvenda est ante judicis sententiam ad petitionem partis & dicitur: Usura *punitoria* vel *moratoria*.
- 2. Licite adjicere pactum Mutuatario, ut mutuatam sibi pecuniam in eadem specie restituat v. g., pro aureis aureos; si tamen aurei tempore restitutionis faciendæ crevissent in pretio, non posset Mutuans exigere a Mutuatario tot aureos, quot ipse mutuavit. Quod si vero valor extrinsecus monetæ decrevisset, in tali casu deberet Mutuatarius addere supplementum & non satisfaceret restituendo tot quot accepit, *juxta communem*, cui favere videntur textus relati, *cap. cum Canonici* 26., *& cap.* Olim 20. *de Censibus*.
- 3. Adjicere pactum, ut restitutio fiat in eadem quantitate, qualitate & mensura, dum vinum, triticum & alia, extra pecuniam, mutuantur, seclusa vero conventione Mutuatarius satisfacit suæ obligationi restituendo quantum & quale accepit, sive dein crescat, sive decrescat pretium, eo quod in aliis materiis, extra pecuniariam, primario spectetur ipsa materia, non vero ipsum pretium.
- 4. Pro securitate sortis licite exigere, & accipere pignus: quod si pignus sit fructiferum, tenetur fructus perceptos computare in solutionem sortis, vel eos reddere Domino, *ex D. Thoma* 2. 2. q. 78. *art.* 2. *ad* 6. extra casum, quod vi adjecti contractus census perciperentur fructus correspondentes censui vel perciperentur ratione tituli sive lucri cessantis, sive damni emergentis.

V. Exigens lucrum ratione lucri cessantis, damni emergentis vel periculi sortis, lucrum hoc habet rationem usuræ compensatoriæ seu restauratoriæ, quatenus Mutuans illud exigit, ut sibi compenset vel restauret suum interesse, quod alias ex pecunia mutuata sibi obvenisset.

TAB. XCVIII. *De Usura lucratoria et modis quibus solet exerceri.*

Usura sumpta pro contractu usurario, est *Mutuatio expressa vel tacita cum pacto, vel saltem intentione accipiendi vel reddendi aliquid ultra sortem*, quæ

I. Committitur cum

1. Exigitur lucrum

1. Ex mutuo absque vero & reali aliquo titulo, sed præcise vi mutui, & hoc lucrum proprie ducitur usura lucratoria, prohibita tnm jure naturali, tum divino, tum ecclesiastico; & contrarium asserentes damnantur tanquam hæretici in Concilio generali Viennensi sess. ultima, & hinc omne lucrum ex mutuo præcise usurarium & illicitum est, nec cohonestari potest, sive id quod exigitur sit parum, sive multum, sive ille a quo exigitur sit pauper sive dives, *ex Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib.* 10. *c.* 4. *n.* 6. *ac Encyclica ad Italiæ Patriarchas &c. an.* 1745.

2. Ex ipsis Usuris, quæ dicitur *usura usuræ*, quæque contingit, dum lucrum ex sorte accepta non solvitur, sed constituitur in capitale seu in sortem, ut iterum usuram pariat, quod a Vulpiano dicitur *interusurium;* vulgo, *superinteresse*, estque immanissimum scelus.

3. Sub specie alterius contractus, prout contingeret sub specie quidem Venditionis, & si ob solam dilationem solutionis exigatur lucrum ex mutuo, sub specie Mohatræ, si Mercator det credito summo pretio merces solvendas post annum alicui quærenti, sed non invenienti pecunias; hic vero, utpote non indigens merce sed pecunia, eidem Mercatori statim vendit pretio infimo perceptas merces pro numerata pecunia, & hæc dicitur *usura palliata*.

2. Dantur pecuniæ

1. Mutuo cum pacto expresso vel tacito percipiendi lucrum ex mutuo præcise, sive dein lucrum illud exigatnr pro usu pecuniæ mutuatæ, sive ratione privationis sortis, & hæc usura dicitur *realis;* sive dein pactum & conventio fiat de lucro debito titulo justitiæ, sive titulo gratitudinis, *ex Innocentio XI. damnante propositionem* 42. *

2. Eo animo & intentione, ut acquiratur lucrum ex mutuo tanquam debitum ex justitia, etsi id fiat nullo exterius interveniente pacto expresso vel tacito, & dicitur *usura mentalis*, quæ inducit tum peccatum contra justitiam commutativam, tum obligationem restitutionis, *juxta communem & textum relatum, cap.* Consuluit 10. *de Usuris*, dummodo tam Mutuans speret & intendat aliquid accipere ultra sortem a Mutuatario tanquam debitum ex justitia; quam Mutuatarius velit & intendat dare aliquid Mutuanti tanquam debitum ex justitia: si tamen Mutuans pecunias intenderet ac speraret aliquid ultra sortem accipere a Mutuatario solum ex mera gratitudine, non committeret usuram, & acceptum lucrum posset licite retinere, *juxta probabiliorem & sat claram doctrinam D. Thomæ* 1. 2. *qu.* 78. *art.* 2.

3. Montibus Pietatis non alia de causa nisi ut inde lucrum reportetur, *juxta Theologos & Canonistas omnes;* si tamen contribuitur titulo charitatis, ut subveniatur indigentiis pauperum eo tempore, quo quis pecunia illa vellet oblatas sibi merces vel prædia emere cum spe moraliter certa lucrandi, & relicta hac occasione lucrandi ex negotiatione, vel pretio amore charitatis tribueret Monti Pietatis, talem pecuniam, adeo ut charitas succurrendi pauperibus, non vero cupiditas lucrandi ex mutuo esset causa principalis movens ad contribuendum talem pecuniam Monti Pietatis, in tali casu sine labe usuræ posset ex pecunia consignata Monti Pietatis accipi lucrum.

3. Imponitur gravamen aliquod Mutuatario præcise ratione mutui: si tamen quis alteri mutuaret pecuniam cum pacto, ut Mutuatarius præstet Mutuanti ea, ad quæ aliunde tenetur sive titulo justitiæ, sive titulo charitatis, Religionis vel alterius virtutis, non committeret usuram.

4. Accipitur pro mutuata pecunia pignus fructiferum cum pacto, ut interim Mutuans fructus pignoris accipiat & faciat suos, quod habet rationem contractus *Anticriseos:* si tamen non vi mutui sed ratione adjecti contractus census perciperentur fructus correspondentes censui vel alicujus alterius tituli expositi in priori tabula, non esset usura *lucratoria*, sed *compensatoria*.

II. Excipit adeo quod

1. Nequeat usurarius lucrum retinere ex mutuo, licet bona fide inivisset contractum, putans sibi licere ex mutuo lucrum recipere, etsi taliter esset constitutus: quod si scivisset, sibi non licere, alium contractum v. g. negotiationis, census &c., inivisset, *juxta probabiliorem*, saltem extra casum, quo contrahens expresse intendat, omni quo potest titulo contrahere, aut eo modo, quo viri pii & artis periti solent contrahere.

2. Quantumvis usurarius admittatur acquirere dominium usurarum perceptarum, attamen teneatur eas restituere, omnesque fructus inde perceptos, omne lucrum cessans & damnum emergens, loquendo cum exceptione fructuum mere industrialium.

3. Petens ab Usurario pecunias seclusa justa causa cum obligatione solvendi usuras, peccet mortaliter peccato scandali: si tamen id faciat ex causa sive necessitatis, sive utilitatis propriæ vel alienæ excusatur a peccato, *ex D. Thoma* 2. 2. *qu.* 78. *ad* 4. *in corp.*, saltem si ab Usurario non petat expresse, ut sub usura sibi mutuet pecunias, sed solum accipiat pecunias mutuatas sub usuris.

4. Mutuatarius non teneatur promissas usuras solvere, nisi jurejurando se obligasset eas solvere, *ex cap. Debitores* 6. *ac jurejurando;* eas tamen solvendo post mutuum acceptum non peccat, si nequeat sine gravi suo incommodo declinare solutionem, solutas tamen potest repetere in judicio.

* P. D. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum* 42.

TAB. XCIX. *De Contractu Census tum Realis, tum Personalis.*

Census seu jus percipiendi aliquam pensionem ex re vel persona alterius

Est Contractus onerosus & peculiaris quædam species emptionis & venditionis: hinc merito ab aliquibus definitur quod sit *emptio vel venditio juris quoad solos redditus, singulis annis, certisque temporibus, ex re aliqua vel industria personæ solvendos.*

I. Dividitur in

1. Reservativum, qui contingit dum Censualista, seu is cui pensio, seu canon solvendus est, transfert dominium rei suæ Censuario, donando, vel vili pretio eam vendendo, reservata sibi annua pensione, sive in pecunia, sive in fructibus ex eodem fundo, seu re, super qua census positus est, præstanda.

2. Consignativum, qui contingit, dum Venditor, seu Censuarius retento pleno dominio rei, super qua census fundatur, obligat se Censualistæ, propter aliquam pecuniam datam, ad annuam solutionem pensionis ex tali re.

3. Personalem, qui fundatur super certa persona obligante se ad annuam pensionem solvendam ex omnibus operibus suis labore, industria, aut officio suo, sine ordine ad aliquam rem, ex qua pensio solvenda sit.

4. Realem qui fundatur super re aliqua sive immobili, ut domo, agro, vinea; sive etiam mobili, quæ fructum faciat, ut supra greges, animalia &c. (Hoc intellige ubi Bulla S. Pii V. quæ incipit *Cum onus*, non est acceptata.)

5. Mixtum, qui constituitur supra personam & simul supra rem immediate, v. g. supra domum & industriam Censuarii.

6. Temporaneum, qui expirat certo tempore, v. g. spatio 20. annorum, vel incerto v. g. ad vitam hominis, & dicitur *Vitalitius*.

7. Perpetuum, qui per se semper durat, adeoque etiam ad hæredes tum Censuarii, tum Censualistæ transit; qui esse potest vel *redimibilis*, vel *irredimibilis*, sive ex parte Censualistæ, sive ex parte Censuarii, sive utriusque.

II. Ut sit licitus requiritur ut

1. Constituatur super re fructifera, ut est ager, domus & hujusmodi, feratque tot fructus, quot importat jus emptum.

2. Ematur, vel vendatur justo pretio; justum autem pretium censetur quod lege, consuetudine, aut saltem, horum defectu, judicio proborum & prudentum virorum taxatum est. Carolus quippe V. in Comitiis Augustanis an. 1548. taxavit quinque pro centum; in Ditionibus vero Austriacis de facto redactum est ad quatuor pro centum.

3. Remittatur pro rata adeo ut si res subjecta censui in parte, vel toto pereat, vel reddatur perpetuo infructifera, etiam census ipse pro rata & proportionate in toto, vel parte extinguatur. Secus vero si ad breve tempus infructuosa redderetur cum refusione fructuum alio tempore percipiendorum.

4. Attenta Constitutione S. Pii V. requiruntur aliæ duodecim conditiones, inter quas præcipuæ sunt, ut census constituatur supra rem immobilem & natura sua fructiferam; ut censuarius possit redimere censum suum eodem quo vendidit pretio, quoties voluerit; ut pretium semel constitutum non augeatur, vel minuatur.

III. Licitus est & quidem

1. Resignativus, cujus liceitas colligitur ex facto Josephi, qui Prædia Ægyptiorum permutatione tritici Regi Pharaoni acquisita, postea eisdem pleno jure restituit annua super his pensione Pharaoni reservata. At hic census non est in usu.

2. Consignativus realis fructuarius, quo quis emit partem fructuum alicujus Prædii, juxta omnes, imo & pecuniarius, quo emitur jus ad annualem pensionem pecuniariam solvendam, *juxta probabiliorem*: cum per hunc non ematur ipsa pecunia, sed jus ad ipsam.

3. Consignativus realis redimibilis ex parte venditoris, seu censuarii, juxta omnes: non ita tamen omnes conveniunt, an etiam licitus sit redimibilis etiam ex parte emptoris, seu Censualistæ: negant quidem plures, quorum assertum, attento jure positivo, verissimum est, cum S. Pius V. id expresse prohibuerit: attento tamen præcise jure naturali non videtur illicitus: imo hoc ipso jure præcise spectato nec videtur illicitus census realis perpetuus & irredimibilis.

4. Personalis, attento jure naturæ, est licitus, dummodo persona sit in statu tantum industria sua lucrandi, quantum sufficit non solum ad sustentandam vitam, sed etiam ad sustentanda opera census, quidquid aliqui in contrarium sentiant: nam si alias jure naturæ esset prohibitus, tolerari non deberet, sicut, teste Tournely, in toto Galliarum Regno est in usu.

N. B. *Verum quidem est, quod S. Pius V. prohibuerit sua constitutione censum constituere super re, quæ non sit immobilis & frugifera, ast ex hoc ad summum sequitur quod census personalis sit jure positivo prohibitus, & consequenter ubi viget constitutio S. Pii V. non possit habere locum, quia vero ex usu recepta non est in Gallia, Hispania, Sicilia, Belgio, Germania ut testantur Reiffenstuel, Carrières, Tornelus, Ferraris: imo Billuart ex Ordine Prædicatorum testatur, quod nec in Italia nec Romæ sit in usu, cum ibi census personalis scientibus & non contradicentibus summis Pontificibus sit in usu: hinc gratis dicitur quod census personalis sit jure naturæ prohibitus, alias dici deberet, quod sit prohibitus præcisa dicta constitutione, & prohibitio illa extendi debuisset etiam ad contractus ante ipsam constitutionem celebratos, quod tamen ipsemet Pontifex §. 16. suæ Constitutionis negat.*

Accedit quod Benedictus XIV. dicat non decere ut Episcopus in sua Synodo censum personalem declaret ex natura sua usurarium, sed solum suggerat, ut insistant observantiæ constitutionis S. Pii V. ubi ea viget, ubi vero non viget, hortetur ut a censibus personalibus abstineant, cum aliunde in extravagantibus Martini V., & Calixti III. nulla fiat mentio census personalis, sed solum declaretur licitus realis, de quo unice erat controversia.

IV. Admittit pactum

1. *Assecurationis* sortis & pensionis, ita nimirum, ut si res in qua fundatur in toto vel in parte pereat, aut fructus non proveniant, nihilominus Censuarius sit obligatus solvere pensionem, dummodo talis obligatio, alias sat gravis, venditori compensetur vel augendo capitale, vel minuendo censum.

2. *Commissorium*, vi cujus Censuarius non solvens pensionem intra sex vel octo annos, res censui subjecta cadat in Commissum; dummodo defectus solutionis pensionis contigerit ex culpa Censuarii.

3. Tum *Rescissorium*, vi cujus Censuarius, intra duos vel tres annos non solvens, teneatur restituere Capitale: tum quod Censuarius non possit per partes, sed totum simul Capitale restituere: tum ut Censuarius eadem moneta redimat censum, si æquale sit utriusque partis periculum incrementi, vel decrementi extrinseci valoris.

TAB. C. *De Contractu Societatis.*

Societatis Contractus, cujus finis principalis est negotiatio, ut de lucro omnes socii proportionaliter percipiant,

I. Simplex & purus

1. Est conventiio duorum, vel plurium aliquid pretio æstimabile conferentium pro negotiatione aliqua ad commune lucrum & damnum cum proportione rerum contributarum inter socios dividendum.

2. Fieri potest duobus modis.
   1. Si omnes socii conferant sortem, seu capitale æqualiter, vel inæqualiter, & singulis quoque labor & industria negotiandi incumbat.
   2. Si unus vel plures conferant sortem, & alter, vel alii laborem & industriam negotiandi, cum sæpe contingat, quod labor & industria socii plus societatis conferat, quam pecunia ab altero collata.

3. Præcise & solitarie sumptus, non solum licitus, sed perutilis est Reipublicæ, sub conditionibus initus videlicet, ut
   1. Societas fundetur in negotiatione licita & honesta.
   2. Quilibet socius aliquid pretio æstimabile conferat in societatem, sive dein pecuniam aut mercem, sive operam & industriam suam.
   3. Servetur æqualitas inter socios tam quoad damna, quam quoad lucrum: si enim unus lucrum tantum, alter vero damnum sentiret, societas diceretur *leonina*.
   4. Capitale collatum in communem societatem subjaceat periculo conferentis, nisi tamen aliter conventum sit.
   5. Serventur fides & pacta inter socios, secluso dolo & culpa lata, vel levi; non tamen tenetur de culpa levissima.
   6. Finita negotiatione, qui in eam æqualiter contulerunt, æqualiter quoque dividere debent; qui inæqualiter, non nisi inæqualem in lucro prætendere debent portionem.
   7. Si unus contulit pecuniam, alter vero solum laborem & industriam, finita & dissoluta negotiatione, capitale integrum restituendum illi, qui illud contulit, & solum lucrum dividendum, *juxta probabiliorem*, nisi aliter conventum fuisset.

   N. B. *Huic contractui* juxta probabiliorem *non licet apponere pactum assecurationis sortis & lucri*, atque adeo

II. Si evadat Trinus

1. Est illicitus, id est Contractus trium contractuum inter eos qui societatem ineunt, sive simul & ad semel, sive successive & distinctis temporibus: bene vero cum personis extra societatem constitutis. *ex Bulla Sixti V.* & Universitate Parisiensi damnantibus dictum contractum tamquam usurarium. *An.* 2665. Hæc posterior renovavit damnationem 1717. item ex S. Bonav. *Tom.* 2. *Opuscul. c.* 2. *opuscul. animæ* & S. Antonino. Vid. P. Concina *Tom.* 7. *fol.* 491. Et ad hanc sententiam propendere videtur *Benedictus XIV. Synod. Diœc. lib.* 10. *c.* 7.

2. Licitus secundum Aliquos (vide **) sub conditionibus, videlicet ut
   1. Pecunia, quæ contribuitur ad societatem, vere detur ad negotiationem illi, vel illis, de quibus scitur quod cum illa pecunia sint vere negotiaturi & lucraturi; alioquin societas ficta erit & usura vere palliata.
   2. Pecuniam vere conferens exerceat societatem, dominio videlicet suæ pecuniæ apud ipsum remanente, & alio non tantum suo, sed etiam alieno nomine conferente, videlicet, pecuniam negotiante; alioquin non societas, sed verum mutuum esset.
   3. Lucrum, quod exigitur, sit parvum, e contra alterius lucrum sit tam magnum, quod prudenti judicio videatur fieri compensatio tam hujus lucri parvi quod recipitur, quam periculi laboris impensarum & molestiarum in re susceptarum: nam socius qui suo periculo pecuniam recipit, stipendium meretur; adeoque qui pecuniam dat, lucri portionem minuere debet, ut solvat socio debitam mercedem, & quidem tanto magis debet minuere, quanto majus est periculum, cui se socius objecit.

N. B. *Contractus iste dicitur Trinus, quia in eo virtualiter saltem & implicite tres contractus involvuntur.* Primus *scilicet & principalis Societatis, quo cum altero, v. g. Mercatore, conferens pecuniam convenit;* Secundus, *accessorius est contractus assecurationis sortis, ratione cujus Mercatori (qui ex mille florenis ab altero collatis quotannis potest lucrare trecentos, cujus dimidium alias titulo contractus puræ societatis pertineret ad conferentem pecuniam) ceduntur duæ partes lucri, videlicet ducenti floreni;* Tertius *contractus est venditionis lucri majoris sperati, vendendo videlicet Mercatori ex centum mediam partem adeo, ut Mercator ex lucro trecentorum florenorum teneatur solum dare contribuenti pecuniam quinquaginta.*

** Plures &, ut Benedictus XIV. inquit (*Constit. quæ incipit.* Sollicita *an.* 1753. §. 3. *& Præfat. Syn. Diœc.* §. *Porro*); *non obscuri nominis Theologi* scribentes post Constitutionem Sixti V. Trinum Contractum ab omni usuræ nota absolvunt; liciteque etiam nunc fieri posse defendunt fundati tum in Civili, tum in Canonico jure, tum in eo quod falsum sit quod adjectione duorum contractuum assecurationis sortis & venditionis lucri majoris sperati contractus societatis degeneret in mutuum usurarium; sicut falsum est, quod contractus commodati, depositi, vel locationis degeneret in contractum usurarium, si ei adjiciatur pactum, quo Commodatarius &c. teneatur de casu fortuito. Si meam debeo aperire sententiam, quin nullius auctoritatem despiciam, dico: post Bullam Sixti V. *Detestabilis*, difficilis & contractus mihi videtur minus tutus.

3. Patroni contractus trini dicunt, Sixtum V. solum pronunciasse usurarium contractum societatis, in quo periculum capitalis & lucri in alium socium virtute solius contractus societatis refunditur; non autem vi duorum, qui societati superadduntur, contractuum.

4. Posteriori huic sententiæ faventi trino contractui Sedes Apostolica nullam hactenus censuram incussit, *teste Benedicto XIV. in sua Synodo Diœcesana lib.* 10. *cap.* 7. *n.* 6. Unde mox laudatus Pontifex mandat Episcopis, ut ab eadem censura abstineant, factum vero ab Universitate Parisiensi caret infallibilitate & extra Galliarum Ditiones non urget.

TAB. CI. *De Contractu Cambii.*

Cambium, *seu permutatio pecuniæ pro pecunia cum lucro Campsoris; est*

I. Aliud

1. Fictum, quod & dicitur siccum, quia caret humore, seu vero titulo lucrandi, & hoc est omnino illicitum & usurarium, quia revera non ex cambio, sed ex mutuo exigitur, & hinc merito a S. Pio V. tanquam usurarium reprobatum.
2. Reale, in quo legitima intercedit permutatio pecuniæ pro pecunia, aurea pro argentea, præsens cum absente, quod si fiat permutatio minoris pecuniæ pro majori, v. g. aureæ cum argentea, vel argentea cum ærea, dicitur Minutum seu etiam manuale, si vero fiat permutatio pecuniæ præsentis cum absente, dicitur *Locale* & per Litteras.
3. Minutum seu manuale reale justum & licitum est, imo necessarium ac utile in Republica, alias peregrini & advenæ in exteris terris vix aliquid possent emere, cum non ubique eadem moneta sit in usu, ac propterea Campsor juste & licite potest lucrum aliquod rationabile accipere, & quidem eo majus quo melior & utilior moneta pro viliori & minus utili datur, quia ipsum non recipit ratione pecuniæ, sed ratione impensarum & laboris in conquirendis, coacervandis & custodiendis variis monetarum speciebus ac pluribus servis ad hunc effectum alendis.
4. Locale vel maxime justum & licitum est, utpote inductum a necessitate vel utilitate, ne videlicet in terras remotas abituri summo cum incommodo, quin & periculo, magnum pecuniæ pondus semper secum portare cogantur: hinc Campsor vel maxime ex cambio locali potest juste & licite exigere lucrum, & quidem eo majus, quo longius distat locus ad quem cambium instituitur, & quo periculosior via, quia præstat ut Campsarius in alio loco secure recipiat pecuniam, quod maxime pretio æstimabile est.

II. Justum, id est

1. Lucrum ex cambio locali juste exigitur etiam pro casu, quo Campsor cambiendo nullum onus, sed potius commodum reportaret; quia revera Campsori utilius accidit habere pecuniam præsentem in ordine ad negotium, quam absentem.
2. Cambium tam minutum, quam locale juste & licite instituere possunt Campsores non solum ex officio tales, sed & alii privata auctoritate, & inde percipere lucrum, *juxta probabiliorem*, hi tamen minus lucrum exigere debent, quam publici Campsores, quia minoribus expensis & laboribus sunt obnoxii.
3. Privata auctoritate cambientes contra prohibitionem Principis peccant quidem contra justitiam legalem & virtutem obedientiæ forte venialiter, minime vero contra justitiam commutativam, cum nulli damnum inferant, & ideo non peccant mortaliter, nec tenentur ad aliquam restitutionem, *juxta probabiliorem*.
4. Justum pretium cambiorum illud est, quod vel lege publica vel loci consuetudine taxatum est, aut communi hominum æstimatione, aut prudentis & experti viri, ac præsertim timoratæ conscientiæ Mercatorum, & Campsorum justum & æquum apparet.

III. Injustum

1. Ratione cambii sicci, seu facti sine vero & justo titulo, uti contingeret, si præcise ob dilationem temporis, aut dilatam solutionem, exigatur lucrum; vel fingitur solutio alio facienda, & fit in eodem loco.
2. Quando in cambio reali excessivum lucrum exigit Campsor, quod nimirum excedit consuetam publicam taxam, & communem æstimationem ac prudentis viri judicium.
3. Quando Campsor facile potens cambire immediate ad locum petitum, v. g. Romam, in gratiam tamen Correspondentium cambiat mediate per unum vel plures intermedios, v. g. per Campsorem Venetum, Mediolanensem &c., cum gravissimo damno Campsarii, utpote qui ubique debet pretium augere.

N. B. 1. *Conditiones aliæ requisitæ a S. Pio V. in sua Constitutione, quæ incipit* In eam, *edita an.* 1571, *non obligant in Germania, & aliis partibus quoad ea quæ sunt juris politici.*

2. *Famulus, vel alius Officialis missus a suo Principali ut solvat Creditores & permutans pecuniam perceptam, v. g. aureos vel taleros cum minutoribus pecuniis, potest sine labe injustitiæ sibi retinere lucrum, tanquam fructum suæ industriæ, juxta probabiliorem, adeoque ad nullam restitutionem tenetur sive Domino, sive ejus Creditori.*

Excipe
- Si Dominus ex pacto teneatur Creditoribus grandiores in specie solvere pecunias.
- Si Famulus, vel Officialis expressum vel præsumptum mandatum habeat a Domino, ut easdem monetas tradat, aut forte iis cambiendo ipsi Domino lucretur.
- Si non proprio nomine & periculo, sed nomine Domini tale cambium instituat.
- In his casibus non potest Famulus vel Officialis cambiendo pecuniam sibi lucrari.

3. *Pro casu, quo Creditor destinet Famulum, & hic illius nomine pecuniam a Debitore recipiat, non potest Famulus sive permutare pecuniam, sive lucrum ex permutatione facta retinere, quia hoc ipso quod Creditor miserit Famulum, & huic tradita sit pecunia, Creditor acquisivit jus ad illam pecuniam & ad omne lucrum.*

TAB. CII. *De Contractu Locationis et Conductionis, et Obligatione Locatoris.*

Locatio, & Conductio sunt *contractus onerosi, quibus res aliqua, vel persona ad certum tempus pro pretio traditur vel accipitur,* quorum

I. Materia esse debet res

1. Sive mobilis sive immobilis vel persona, non quidem quoad substantiam, sed solum quoad usum, seu opera ejus.
2. Mobilis locanda non debet esse consumptibilis, & ideo frumentum, vinum &c., non dicuntur proprie locari, quia non potest alteri dari usus salva re.
3. Non specialiter a jure prohibita locari, uti sunt servitutes prædiales, sive reales; ut via, jus pascendi pecora, res immobiles Ecclesiæ, prædia Ecclesiæ ultra triennium.
4. Non subjecta abusui; hinc prævidens aliquem abusurum domo conducta ad meretricandum vel lenocinandum, non potest eam eidem locare, *juxta probabiliorem*.
5. Res, vel persona seu opera personæ non debet ultra decennium locari & conduci; alias non Locatio, sed Emphyteusis diceretur.

II. Pretium justum sive in numerata pecunia, sive in aliis rebus exigi & solvi debet, quale censetur quod judicio prudentum, & in tali re expertorum virorum non excedit, sed est commensuratum proportioni usus, aut fructus talis rei, detractis expensis, aliisque necessario detrahendis; quod pretium augeri nequit tempore ubertatis & fertilitatis, v. g. agri conducti.

III. Obligatio respectu Locatoris

1. Tradere rem minime vitiatam, damnosam vel inutilem ad usum locationis, & si esset vitiosa vitio aliquo occulto, tenetur illud manifestare conductori.
2. Refundere expensas necessarias factas Conductore in re conducta, quales censentur quæ fiunt ad conservanda vel reparanda tecta, fenestras &c.
3. Refundere expensas utiles factas a Conductore in re a se conducta, præsertim si sint utiles non solum respectu Conductoris; sed & Locatoris, quod verum est, licet factæ fuissent inscio Locatore, dummodo non sint nimis excessivæ.
4. Non tenetur refundere expensas non necessarias, neque utiles & solum voluptuosas factas a Conductore, sicut nec ordinarias, quæ singulis annis fieri debent pro agricultura & collectione fructuum.
5. Conductorem non expellere ante tempus præfixum ex eo præcise, quod alius pro re locata majus pretium offerat, imo nec hæres universalis Locatoris potest Conductorem expellere: excipe, si locasset Majoratum vel Fideicommissum, cum hæc non nisi ad dies vitæ ipsius Locatoris locari possint, vel si hæres aut successor esset solum particularis, seu titulo Legati, Donationis, accepisset rem alteri a defuncto locatam.
6. Remittere pensionem, casu quo Conductor absque sua culpa, ex casu omnino insolito & extraordinario nullos vel paucos admodum fructus percepisset; exceptis casibus in sequenti Tabula referendis; nam in locatione rei frugiferæ, sine sua culpa nullos vel exiguos admodum fructus percipienti tenetur locator remittere pensionem vel totam, vel ejus partem.
7. Restituere pretium & resarcire damna inde secuta, casu quo Conductorem ante tempus re conducta privaret.

IV. Libertas privandi Conductorem re conducta, si

1. Per biennium non solvat pensionem integram, supposita locatione ad decem vel quindecim annos facta, vel non præfixo, si sit ad breve tempus.
2. Ipsemet Locator indigeret re locata propter supervenientem necessitatem, quæ tempore Locationis non urgebat, cui propterea aliter provideri nequit.
3. Urgeat necessitas reficiendi rem locatam, quod præstari nequit Conductore uti volente re locata.
4. Conductor abutatur re conducta, præsertim ad Locatoris infamiam; ut si in domum honestam introduceret meretrices, aliosque infames homines.

N. B. *Locator remittens in toto, vel in parte pensionem, ratione, v. g. sterilitatis, anno ubertatis potest exigere a Conductore compensationem damni illati,* ex claro Jur. Civil. textu.

TAB. CIII. *De Obligatione Conductoris.*

Conductor

- **I. Dicitur**
  - *Inquilinus*, si conducit prædium urbanum seu ædificium factum ad habitandum una cum horto.
  - *Colonus*, si conducit prædium rusticum causa colligendorum vel percipiendorum fructuum.
  - *Redemptor*, si conducit opera personalia.
  - *Publicanus*, si conducit vectigalia.
- **II. Tenetur**
  - 1. Uti re conducta ad eum solum usum, pro quo eam conduxit; quod si absque consensu, saltem rationabiliter præsumpto, locatoris utatur re conducta ad alium usum, & in tali usu, licet fortuito, res pereat vel deterioretur, tenetur Conductor de casu.
  - 2. Solvere pensionem Locatori tempore statuto, qui si sit in mora colpabili tenetur Locatori de *interesse*.
  - 3. Rem a se conductam diligenter custodire & conservare adeo, quod si ex culpa sua *lata* vel *levi*, aut domesticorum suorum deterior fieret, teneretur de damno; non tamen ex culpa levissima, præcisa speciali conventione facta ab initio contractus: quod si quis speciali conventione se obligasset ad casus fortuitos in genere, non obligaretur ad casus penitus insolitos, seu qui in illa regione numquam contigerunt.
  - 4. Facere aliquas expensas, seu illas, quæ ad solum usum & fructum rei locatæ capiendum requiruntur.
  - 5. Finito tempore locationis rem eamdem integram & non deterioratam restituere, nisi res conducta sit talis, quæ ex ipso usu secundum se & ex natura sua obnoxia sit alicui deteriorationi, quæ nullo modo debet compensari.
  - 6. Famulo vel ancillæ, sine prævia conventione salarii præstandi, conductæ competens operibus exhibitis dare salarium, si opera exhibita excedunt valorem alimentorum præstitorum. Quod si persona conducta pro mercede hanc non acquirat, nec via juris nec alio modo obtinere possit, poterit uti occulta compensatione, juxta dicta in Tabula LXXVIII. & non sine consilio vel Confessarii, vel alterius timoratæ personæ, cum in hisce casibus sat periculosum sit absque consilio operari.
- **III. Non tenetur**
  - 1. Solvere, saltem integram pensionem, si res fructifera absque sua culpa nullos, vel paucos admodum fructus adfert: excipe tamen si
    - 1. Specialiter ab initio aliter conventum fuisset, prout licite fieri potest dummodo ab initio item conventionis ob hujus oneris causam pretium fuerit Conductori diminutum.
    - 2. Consuetudo Regionis obtinuisset, ut hoc non obstante integra pensio solveretur, quia non minus loci & regionis consuetudo, quam pacta obligant.
    - 3. Ex fertilitate præcedentium vel subsequentium annorum fieret Conductori præsentium damnorum compensatio.
    - 4. Sterilitas sit consueta vel oriatur ex vitio rei de se manifesto, & tempore contractus, ut si conducatur ager prope flumen.
    - 5. Damnum sit exiguum, eo modo, quo ob unius vel alterius anni fertilitatem Colono majus emolumentum percipienti nec aliquid aufertur, nec onus aliquod imponitur.
  - 6. Mercedem dare personis a se conductis in ordine ad labores, ad quos hujus defectu non potuit uti persona a se conducta: bene vero si defectus proveniat ex parte ipsius Conductoris, saltem pro casu, quo persona conducta tali tempore & pro æquali mercede alteri non locaret suas operas.
- **IV. Non potest**
  - 1. Rem sibi locatam dimittere ante tempus præfixum absque justa causa, & si id facit, tenetur Locatori de damno.
  - 2. Dimittere famulum vel ancillam, si illis non posset uti ob supervenientem infirmitatem, quæ diu non durat, nec eis quidquam detrahere de salario: bene vero si diuturna evadit infirmitas.
- V. Eximitur ab obligatione solvendi pensionem pro casu, quo res conducta redditur inutilis, ex parte rei conductæ, v. g. domus ruinam minatur, ager alluvione devastatur &c.
- IV. Non eximitur a solutione integræ pensionis pro casu, quo ob suam culpam non utatur re conducta, vel ob impedimentum ab ipso Conductore originem ducens.

TAB. CIV. *De Contractu Emphyteusis.*

Emphyteusis est *contractus quo conceditur alteri res immobilis quoad dominium utile sub certa pensione annua solvenda Domino directo in recognitionem dominii directi*

- I. Differt a Locatione & Conductione, quia in his conceditur ususfructus rei mobilis, vel immobilis solum ad breve tempus infra decennium, in Emphyteusi autem ususfructus rei solum immobilis & non minus decennio.
- II. Dividitur in
  - Ecclesiasticam respectu bonorum spiritualium, quibus frui conceditur.
  - Laicalem respectu bonorum temporalium: & quoniam utraque esse potest perpetua, vel temporalis, aut vitalitia, hæc concessa sine limitatione temporis aut personarum, præsumitur perpetua, transitque ad hæredes etiam extraneos; secus illa quæ non transit nisi ad ascendentes usque ad tertiam generationem.
- III. Vi cujus
  - *Emphyteuta quicumque sive Ecclesiasticus, sive laicus, perpetuus, vel temporalis
    - 1. Tenetur
      - 1. Annuam pensionem solvere Domino directo, juxta conventionem in scripturam deductam, a qua non eximitur si ea, & quidem exigua solvenda sit in recognitionem dominii directi, etsi ob sterilitatem, vel aliam causam fortuitam exiguos, aut nullos fructus perciperet, extra casum tamen, quo vel fundus emphyteuticus periret: si vero etiam in compensationem dominii utilis solvenda esset pensio, a solvenda saltem integra pro illo anno eximetur.
      - 2. Propriis sumptibus, labore, industria fundum sibi concessum colere: nequit tamen faciem terræ mutare e. g. agrum in pascua, silvas in agrum, vel vicissim.
      - 3. Meliorare fundum, si ea conditione & pacto emphyteusim accepit: præciso vero tali pacto tenetur solum illum in primitiva bonitate conservare.
      - 4. Omnes expensas facere, quæ ad conservandam rem emphyteuticam, & fructus ex illa colligendos necessariæ sunt.
      - 5. De culpa lata, vel levi, casu quo res emphyteutica periret, vel deterior fieret.
    - 2. Potest rem emphyteuticam
      - De consensu Domini directi vendere, vel alienare &c. servatis juris solemnitatibus, uti
        - 1. Ut prius significetur Domino proprietario, seu directo, & per duos menses expectetur ejus resolutio: num ipse velit rem illam emere pro tali determinato pretio? quibus elapsis, si Dominus recusat eam emere pro pretio ab aliis sibi proposito, potest aliis vendere.
        - 2. Ut venditio fiat personis, quibus a Jure non sit interdicta, sicut interdicitur fieri Ecclesiæ, Communitati, Universitati, Confraternitati, Curialibus, Militibus &c.
      - Quoad dominium utile sine consensu Domini directi etiam extraneo donare, legare &c. sub conditionibus
        - 1. Ne transferatur in personam a jure exceptam & prohibitam rem titulo alienationis accipere.
        - 2. Ut fiat absque fraude.
        - 3. Ut novus emphyteuta sine consensu Domini rei possessionem non capiat, ut sciatur, an talis persona prohibita sit, & capax; & ab ea possit non solum exigere promissionem de solvendo canone novo, sed etiam accipiendi ab eo tamquam extraneo *Laudemium*.
    - 3. Novus
      - 1. Debet a Domino proprietario investiri, & pro investitura solvere *Laudemium* sic dictum, quod Dominus suo consensu & auctoritate approbet, & quasi laudet translationem factam.
      - 2. Non petens investituram, vel in ingressum *Laudemium* non solvens, cadit in commissum, & res caduca fit.
  - ** Dominus directus
    - 1. Nequit
      - Augere canonem, aut pensionem casu quo bonum emphyteuticum industria emphyteutæ fuisset melioratum & auctum, etsi emphyteusis esset alterata, vel modificata, seu ad annum facta juxta praxim quorundam locorum, quamvis in hoc casu posset indirecte augeri.
      - Sine justa & legitima causa emphyteutam privare emphyteusi in perpetuum, vel ad dies vitæ, aut ad certam generationem celebrata.
    - 2. Potest justa de causa privare, videlicet si
      - 1. Integrum triennium in emphyteusi laicali, & per biennium in Ecclesiastica non solvit debitam pensionem, etsi ad hanc solvendam non fuisset a Domino interpellatus, nisi id vel absque culpa emphyteutæ contigisset, vel Dominus directus esset debitor emphyteutæ.
      - 2. Absque consensu Domini, & juris solemnitatibus alienasset rem emphyteuticam, vel alteri in emphytheusim concessisset; quod si totam alienasset, tota, si vero partem, sola hac privari posset.
      - 3. Ex culpa lata, vel levi res data in emphyteusim notabiliter deterioretur, imo in hoc casu tenetur damna resarcire.
      - N. B. *In nullo casu tamen tenetur pœnam commissi subire ante judicis sententiam, ante quam per consequens fructus pertinent ad emphyteutam, etsi fuisset antea illi bonum conductum.*
  - * Laudemium
    - 1. Quod ex Jure Communi est quinquagesima pars pretii, quo bonum emphyteuticum æstimatur, adeo quod si bonum emphyteuticum tempore concessionis æstimetur centum, per modum *laudemii* solvendi sunt duo c. g. floreni.
    - 2. Non solvitur
      - 1. Quando Emphyteusis jure successionis hæreditariæ transit in hæredem necessarium, ut a Patre in Filium.
      - 2. Quando plures habentes rem emphyteuticam in communi, eam proportionaliter inter se dividunt in singulos.
      - 3. Quando eadem transfertur ex necessitate dotandi filiam, & aliunde non habeatur, quo dotari possit.
- N. B. *Finita emphyteusi potest emphyteuta repetere melioramenta facta in utilitatem rei emphyteuticæ, nisi Dominus in limine contractus ea fieri prohibuisset sine ipsius consensu; vel convenisset, ut facta, absque ullo jure repetendi expensas, Domino cederent.*

TAB. CV. *De Feudo, et Feudatorum Obligationibus.*

Feudum est *contractus, quo res immobilis alicui quoad dominium utile liberaliter & perpetuo conceditur sub onere, fidelitatis, & obsequii personalis præstandi Domino directo*

I. Differt ab Emphyteusi tum in eo, quod in Emphyteusi Emphyteuta teneatur annuam pensionem solvere; Feudatarius vero, qui & dicitur Vassallus, tenetur obsequium personale Domino seu infeudatori exhibere, v. g. fidelitatem, reverentiam, auxilium &c.: tum quod in Emphyteusi succedat etiam fœmina, secus in feudo, quamvis hodie, teste Tornello, etiam fœmina succedat: tum quod Emphyteusis sint capaces tam Clerici quam Monachi, secus vero Feudi.

II. Dividitur in

1. Ecclesiasticum, quod ab ecclesiasticis Prælatis de bonis ad Ecclesiam spectantibus datur alteri sive Clerico, sive Laico.
2. Sæculare, seu laicale, quod a Principe, vel aliis Dominis sæcularibus aut etiam a Clericis, de bonis tamen patrimonialibus & sæcularibus, datur.

* Ut dignoscatur Feudum ecclesiasticum a sæculari & vicissim, debet spectari non tam persona concedens feudum, quam res ipsa in feudum concessa, adeo quod si res concessa sit ecclesiastica, seu proprie spectans ad Ecclesiam, feudum quoque erit ecclesiasticum, etiamsi sit laico concessum: e contra si res sit laicalis, aut sæcularis, ipsum quoque feudum erit laicale, seu seculare, etiamsi personæ ecclesiasticæ, aut ipsimet Ecclesiæ, vel Monasterio concedatur. Ita Ferraris verbo *Feudum* art. 1. n. 18. qui num. seqq. alias tradit feudi divisiones *ibid.* videndas & *art.* 2. per totum exponit, qui possunt, nec ne dare & accipere feudum.

III. Requiritur ut

1. Dominium directum maneat apud dantem, utile vero totum apud accipientem.
2. Constituatur in re immobili v. g. Regno, Provincia, Civitate, Oppido, Arce, Agro, &c.
3. Investiatur a Domino Feudatarius, seu in possessionem mittatur sive corporaliter ipsum introducendo, ut acquirat jus in ipsam rem; sive fictione juris tradendo ei annulum, ensem, &c.

IV. Obligat Feudatarium

1. Præstare juramentum fidelitatis, vi cujus jurat, quod Domino suo velit esse fidelis, eique debitum præstare obsequium.
2. Præstare obsequium, v. g. fidelitatem, reverentiam, auxilium & defensionem contra fortunæ, famæ, vel vitæ incommoda, præsertim in bello jure suscepto: sed id præstare non tenetur, nisi a Domino requisitus:
3. Non alienare fundum inconsulto Domino proprietario: quidem longe strictius prohibetur Vassallus rem alienare, quam Emphyteuta; nam Vassallus quovis titulo prohibetur alienare feudum, etiam gratuito, adeo ut neque donare alteri, neque in dotem dare, nec in Emphyteusim alteri concedere ipsum feudum possit, neque oppignorare, aut quovis modo in alterum transferre sine consensu Domini, quem tamen consensum Dominus dare nunquam tenetur.
4. Non dividere inter proles Feudum, saltem datum ab Imperatore vel Rege, sine ejusdem consensu, quia divisio est quædam species alienationis.

* Quid autem Feudatarius possit circa Feudum attenta consuetudine, consulendæ sunt locorum consuetudines; vi quarum permittitur, ut Vassallus, Domino licet irrequisito, partem fundi v. g. pascua, sylvas, vel terras incultas, ad tempus, etiam longum, possit locare, vel etiam in Emphyteusim dare.

V. Amittitur ob

1. Malam alienationem ejusdem, si videlicet illud absque Domini consensu alienet in casibus, in quibus consensus requiritur.
2. Non petitam investituram: si videlicet contingente morte Domini, Vassallus culpabiliter per annum & diem, &, respectu Militum, per annum & mensem, negligeret ab hærede Domini sui petere Investituram, cum juramento & Laudemio, de quo in priori Tabula.
3. Recusatam rem, seu resignationem Feudi, sive propriam, quæ contingit quando Vassallus resignat Feudum Domino suo: sive impropriam, quando ipsum resignat agnato aut extraneo.
4. Felloniam, quæ censetur committi, dum Feudatarius violentas manus injicit in Dominum suum, aut contra eum stringit gladium, etiam vulnere non secuto, aut fœdus cum hostibus Domini sui init, aut domum, vel castrum, aut alia Domini bona aggreditur, aut se commiscet sive cum uxore, sive cum nepte, sive cum nuru, sive cum sorore Domini sui dum hæc in familia Domini est.

N. B. *Prædictis quatuor modis amittitur Feudum, & amissum devolvitur perpetuo ad Dominum directum, nisi agatur de Feudis dignitati Ecclesiasticæ annexis, quæ post mortem primi Fundatoris redit ad Ecclesiam, vel successorem in Prælatura ob specialem juris dispositionem.*

TAB. CVI. *De Contractibus Commodati, Precarii et Depositi.*

Commodatum *est contractus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis, usu tamen non consumptibilis ad certum usum pro determinato tempore gratis conceditur*

- I. Differt a
  - Locatione, quia in hac conceditur quidem usus rei, sed pro pretio, ubi in Commodato gratis conceditur.
  - Precario, quia in hoc conceditur quidem liberaliter usus rei ad preces alterius, non tamen limitatur ad certum tempus, ut in commodato, sed quamdiu concedenti placuerit, quamvis aliquod temporis intervallum fluere debeat.
  - Deposito, quia in hoc contractu non conceditur usus rei, sicut in Commodato, sed res aliqua solum custodienda traditur.
- II. Obligat
  - * Commodantem
    1. Aperire Commodatario vitium rei commodatæ, si sit periculosum.
    2. Servare tempus stabilitum in principio cum Commodatario, nec potest ante ipsum rem commodatam revocare, alias teneretur de damno: excipe casum, quo Commodanti simile damnum ex carentia rei suæ inopinato eveniret.
    3. Facere expensas extraordinarias graves pro conservanda re commodata, & si eas fecisset Commodatarius, deberet huic eas refundere; non tamen tenetur ad expensas ordinarias, utpote quæ ad ipsum Commodatarium spectant.
  - ** Commodatarium
    1. Ut re sibi commodata, nonnisi ad usum sibi concessum, sine licentia, saltem præsumpta, Commodantis; alias reus esset furti *juxta Justinianum*.
    2. Rem commodatam conservare ea cura, qua homines diligentissimi in rebus similibus adhibere solent: & hinc tenetur de culpa etiam levissima commissa in conservanda re commodata.
    3. Rem commodatam restituere elapso tempore præfixo, etiamsi non repetatur; alias si morosus culpabiliter foret, & inde damnum aliquod contingeret rei commodatæ, teneretur damnum resarcire.
    - Qui non teneretur de damno si
      1. Commodatum cederet in utilitatem tum Commodantis, tum Commodatarii, ut si commodetur equus pro exigenda solutione pecuniæ utrique communi, quia in hoc casu non teneretur de culpa levissima, sed solum lata & levi.
      2. Res commodata fuisset concessa hac conditione, ut ad nutum concedentis, seu Commodantis restituatur, quia tunc haberet rationem contractus precarii, in quo ex speciali juris dispositione obligatio restitutionis oritur solum, ex dolo & culpa lata propter annexam obligationem reddendi ad nutum concedentis.
- N. B. *Si res commodata restituatur mediante famulo misso ab ipso Commodante cum mandato, ut eidem consignetur, & famulus cum re commodata fugiat, ad nihil tenetur Commodatarius: si vero famulus missus fuisset tantum commonendi causa, ut res commodata restituatur a Commodatario sine mandato, ut per eum illam mittat, in tali casu res periret Commodatario, saltem extra casum quo Nuncius ille communiter habitus fuisset pro fideli.*

Depositum *est contractus, quo res aliqua alteri custodienda traditur, ut eadem numero reddatur cum a deponente requisita fuerit;*

- I. Ad hunc contractum requiritur, ut tam Deponens velit rem suam custodiendam apud alium deponere, tum etiam ut Depositarius velit & promittat rem in suam fidem & custodiam recipere conventione expressa signo aliquo claro & non dubio.
- II. Obligat Depositarium
  1. Custodire rem depositam fideliter, adeo quod si eam dolo, vel culpa lata sinat perire, vel deteriorari, peccet mortaliter, & tenetur in utroque foro ad restitutionem: secus vero ex culpa levi, vel levissima.
  2. Etiam ex culpa levi pro casu quo vel specialis conventionis, vel si se ipsum obtulisset ad suscipiendum depositum, vel fieret depositum in gratiam tam Deponentis, quam Depositarii, vel si requisitus esset in mora culpabili restituendi.
  3. Restituere
     - Rem depositam Domino petenti, extra tamen casum, quo vel Deponens vellet uti re deposita v. g. gladio in proprium, aut alterius damnum, vel bona deposita Fisco essent adjudicata; nam in hoc casu Fisco, non vero Deponenti restituenda essent; vel bonum depositum esset furto ablatum, in quo casu restitutio facienda juxta dicta in Tabula LXXVIII.
     - Rem depositam in eodem loco ubi tradita fuit, nisi aliter conventum fuisset.
  4. Non uti re deposita sine expresso, vel tacito, aut rationabiliter præsumpto ipsius Deponentis consensu: præsumi autem potest rationabiliter consensus quoties Deponens res usu consumptibiles, v. g. pecunias, frumentum, vinum, oleum &c. non interdicit eorum usum, nisi forte præsumatur non interdixisse ex aliquo humano respectu &c.
- N. B. *Depositarius utens re deposita ex præsumpta Deponentis voluntate debet esse certus, quod tantumdem ejusdem generis, qualitatis & bonitatis præsto habiturus sit, cum Dominus petierit, quod si tamen interim periret, vel deterioraretur, teneretur de casu & culpa.*
  2. *Si res deposita apud Religiosum, licet Prælatum, sine consensu Capituli, seu Communitatis Religiosæ, pereat, etiam ex dolo vel culpa lata Religiosi, apud quem fuit deposita, ad nihil tenetur Monasterium.*
  3. *Caupones, Nautæ, Stabularii tenentur de damno qualicumque, etiam levissima sua culpa, contingente in rebus suæ custodiæ commissis, compensando ex speciali juris dispositione, quæ tamen in foro conscientiæ non nisi post sententiam judicis obligat.*

TAB. CVII. *De Contractu Fidejussionis et Obligationibus Fidejussoris.*

Fidejussio est *alienæ obligationis in se susceptio*, quæ

- I. Potest constitui super quovis debito, obligatione quomodocumque contracta, etiam de sistenda persona, incarceranda, quæ si non sistatur, punitur Fidejussor non carcere, sed pœna pecuniaria.
- II. Est contractus onerosus supponens aliam obligationem principalis debitoris.
- III. Admittit eos solummodo, qui liberam rerum suarum administrationem habent, & a lege non prohibentur.
- IV. Excludit mulieres quæ
  - Fidejubere non possunt adeo, ut nec Mater pro Filiis, nec Filia pro Parentibus, nec Uxor pro Marito; & si fidejubeant, opponere possunt Senatus Consultum *Vellejanum*, quo minus solvere cogantur, etiam pro foro conscientiæ.
  - Possent cum exceptione si mulier
    - 1. Fidejubeat pro filiis cum certis solemnitatibus v. g. cum juramento publico, adhibitis tribus testibus, cum subscriptione, sicut & pro Marito incarcerato, imo & pro aliis de Mariti sui consensu.
    - 2. Fidejussionem juramento firmavit, intendens huic suo favori renunciare, vel saltem suo juramento coram Judice huic suo favori renunciet.
    - 3. Pretio fuit conducta ad fidejubendum: in his enim casibus præsumitur, quod non ex naturali fragilitate, vel levitate, sed maturo consilio fidejusserit.
- V. Fidejussorem
  - Non obligat
    - 1. Ad plus extensive, quam debitor principalis, licet possit plus & magis intensive, v. g. sub juramento, sub hypotheca, cum instrumento obligari.
    - 2. Pro casu, quo invalida fuisset obligatio principalis debitoris, nisi se intendisset obligare per modum Assecuratoris absoluti.
    - 3. Pro casu, quo principalis debitor liberetur a debito per condonationem factam a Creditore.
    - 4. Pro casu, quo se obligasset ad fidejussionem pro certo determinato tempore, & Creditor debitori solutionem prolungasset ultra hoc tempus.
    - 5. Solvere fidejussionem, nec cogi potest ad eam solvendam, nisi prius facta discussione bonorum debitoris.
  - Obligat pro casu quo
    - 1. Si se constitueret debitorem, quia tunc haberet rationem debitoris principalis.
    - 2. Debitor principalis sit absens, & ipse præsens, nisi promittat sistere præsentem debitorem principalem infra certus tempus a jure determinatum.
    - 3. Notorie constet, debitorem principalem non esse solvendo.
    - 4. Debitor principalis sit difficilis conventionis, quia potens, injuriosus & rixosus.
    - 5. Ipse fidejussor expresse, vel tacite renunciaret privilegio præviæ discussionis.
    - 6. Malitiose neget fidejussionem & postea convincatur.
    - Atque adeo peracta discussione debitoris principalis, extra mox exceptos casus, obligatur Fidujussor ad solvendam fidejussionem tam in foro externo, quam interno & quidem etiam ante judicis sententiam *juxta probabiliorem*, nisi consuetudo loci contrarium habeat; & hæc obligatio transit ad heredes: solutione autem peracta, habet Fidejussor regressum contra principalem debitorem.
  - N. B. 1. *Si plures fidejussores pro eodem debito fidejussissent, teneretur quivis in solidum solvere debitum in defectu principalis debitoris, nisi singuli expresse solum pro rata parte se obligassent; sed conventus in solidum potest excipere & prætendere ut creditor prius singulos fidejussores pro suis partibus conveniat.*
    2. *Fidejussor conventus, ut solvat in solidum, nolens, aut non valens uti beneficio divisionis, seu excussionis, potest uti beneficio* cedendarum actionum *concesso a jure, vi cujus potest petere, & prætendere a Creditore, ut sibi cedat omnes actiones tam personales quam reales etiam* hypothecarias & pignoratitias, *quas ipse tam contra debitorem principalem, quam contra confidejussores ac pignorum possessores habet, adeo ut ad hoc compelli possit per judicem: qua obtenta & non prius, potest pro libitu vel contra debitorem principalem, vel contra alium fidejussorem agere, ut poterat ipse Creditor.*
- Adserit Fidejussori præter beneficium divisionis & *cedendarum actionum*, ex jure beneficium liberatione,
  - Vi cujus potest petere liberationem a fidejussione, & contra debitorem libere recusantem agere, ut eumdem liberet, solvendo nempe Creditorem, vel alium idoneum fidejussorem, aut sufficientia pignora substituendo.
  - Ob causas, quæ ex jure sunt, si
    - 1. Debitor negligit solvere, seu sit in mora culpabili solvendi.
    - 2. Debitor principalis post fidejussionem bona fide inchoatam incipiat esse prodigus & dissipare bona sua.
    - 3. Inter debitorem & fidejussorem sint graves vel capitales inimicitiæ, dummodo non sint exortæ ex culpa fidejussoris.
    - 4. Inter fidejussorem & debitorem conventum sit, ut eveniente certa conditione, aut elapso certo tempore, liberetur fidejussor.
    - 5. Fidejussor ex rationabili & justa causa, v. g. negotiationis, officii, studiorum, & hujusmodi, vellet pergere in longinquas regiones diu abfuturus.

N. B. *Fidejussor potest pro suscepta in se obligatione fidejubendi accipere mercedem a debitore, in cujus gratiam fidejubet, etsi nullum periculum, nulla molestia, nullum damnum subesset fidejubenti, quia accipit pro subeunda obligatione, quæ est onus pretio æstimabile: Pretium autem servandum ex stylo Mercatorum, est uno pro centenario.*

TAB. CVIII. *De Contractu Assecurationis, Pignoris, Hypothecae, Antichriseos et Legis Commissoriae.*

Assecurationis contractus

1. Est *quo quis constituto pretio suscipit in se periculum rei alienæ, obligando se ad illius compensationem vel in totum, vel in partem.*

2. Contrahitur dum quis pecuniam trajectitiam, aut merces, aut navim, quæ per itinera periculosa vehi debet, ita assecurat, ut si forte perierit, sive pyratarum incursione, sive incendio, ipse debeat damnum compensare juxta conventionem factam pro pretio accepto.

3. Differt a Fidejussione, quia Assecurator obligatur principaliter adeo, ut etiamsi liberetur principalis ex justa causa, non tamen censetur deobligatus Assecurator, ubi in fidejussione liberato debitore liberatur & Fidejussor per dicta in præcedenti Tabula.

4. Est licitus, & valde utilis Reipublicæ si

- 1. Fiat a libere contrahentibus.
- 2. Pericula vera sint, quæ tam Assecuratori, quam Assecuratario nota esse debent, & hinc peccaret contra justitiam, qui assecuraret navim, quam cognovisset jam ad portum advenisse, aut qui sciens rem suam periisse, de ejus assecuratione cum aliquo pacisceretur.
- 3. Pretium sit justum juxta platearum consuetudines, vel leges, quæ pro majori, vel minori periculorum quantitate & qualitate pretium augent, vel minuunt.
- 4. Assecurans habeat unde solvat, alias insignis esset nebulo, qui perdere non valens agit ut lucretur & restituere deberet, si quid reciperet, etiamsi res incolumis ad metam veniret; quod si quis habens solum in re & spe quinque millia aureorum, assecuraret navim cum mercibus decem millium aureorum, talis non posset juste accipere pretium, nequidem correspondens quinque millibus, quæ habet.

N. B. *Assecurator non potest consequi integrum pretium assecurationis, si naves totum iter non fecerint, ejusque integrale periculum non subierint: imo pretium assecurationis præventive solutum restitui debet, retento aliquo si navis totum iter destinatum non fecerit, sed modicum; assecurationis enim causa unice consistit in periculo itineris, quo cessante, sine culpa partium, deficit assecuratio.*

Pignus & Hypotheca sunt *Conventio, quo res alicui traditur, vel obligatur, ut si aliter satisfactus non fuerit, inde satisfieri possit ac debeat.* **In quibus contractibus**

I. Debet Res oppignoranda vel hypothecanda esse talis quæ vendi possit: & ideo bona *fideicommissaria, feudalia &c.*, non possunt neque hypothecari, neque oppignorari.

II. Potest

- 1. Creditor pignus a debitore acceptum alteri oppignorare; in quo tamen casu Domino, volenti ipsum redimere, restituere tenetur.
- 2. Vendi pignus a creditore, si tempore præfixo debitum non solvitur, etiamsi a principio non fuisset conventum de vendendo pignore: in quo tamen casu creditor debet bis, vel interpolatis vicibus præmonere debitorem, post quam admonitionem expectato biennio, potest ipsum vendere justo pretio, cujus residuum, reservata sibi sua sorte, debet debitori restituere. *Ex jure Civili.* Ad quæ tamen non videbitur creditor astringi in foro conscientiæ, quo præcise attento, si post moram notabilem solutionis admonitus debitor non solverit, potest creditor propria auctoritate justo pretio vendere pignus.
- 3. Creditor, si pignus est res frugifera, facere fructus suos, quos tamen debet computare in sortem; & si fructus percepti suffecissent extinguendo ex integro debito, solvitur actio & debet reddi pignus. Ex jure. *
- * Excipe si
  - 1. Adsit justus titulus, v. g. lucri cessantis, vel damni emergentis, aut pensionis debitæ ex titulo census.
  - 2. Feudum detur in pignus Domino feudi, quia in hoc casu nonnisi fructus feudi possunt oppignorari, dominusque directus debet abstinere a serviriis Vassalli.
  - 3. Maritus accipiat a socero rem fructiferam, v. g. vineam pro assecuratione dotis, in quo casu potest absque ulla diminutione dotis fructus perceptos ex pignore vel hypotheca frugifera sibi retinere.

III. Non potest

- 1. Uti pignore vel hypotheca sine expressa, vel prudenter præsumpta licentia Domini oppignorantis vel hypothecantis; alias creditor utendo illa tenetur ad compensandum usus valorem.
- 2. Conveniri debitor de usu pignoris & fructu percipiendo ex pignore donec debitum restituatur, quia talis conventio habet rationem contractus *Antichriseos*, utpote definitus *contractus, quo convenitur ut creditor utatur hypotheca, v. g. agro, pago &c., & inde fructus tamdiu percipiat, donec restituatur*, qui contractus de se est usurarius, ubi non adsit aliquis titulus legitimus juxta superius dicta.
- 3. Fieri pactum legis *Commissoriæ* cum debitore, ut scilicet pignus fiat creditoris, si tempore præfixo debitum non fuerit extinctum, cum pignus plus valeat & superet debitum.
- 4. Emere sibi pignus creditor distrahens illud, ne quidem per interpositam personam absque licentia Judicis. *Ex lege Civili*, quod non videtur urgere creditorem in foro conscientiæ, præciso tamen omni dolo & fraude.
- 5. Eadem res oppignorari, vel hypothecari pluribus, nisi sit sufficiens ad satisfaciendum omnibus, vel posteriores creditores de prioribus admoneantur.

** Si quis rem pignoris, vel hypothecæ titulo alteri obligatam, tertio vendat, (prout *ex jure* absolute fieri potest) idque fiat ignorante vel invito creditore, res illa oppignorata, vel hypothecata transit cum onere ad quemcumque possessorem, ut illam in defectu debitoris creditor ab emptore vendicare possit, conveniendo tertium possessorem pro satisfactione.

TAB. CIX. *De Contractu Ludi, et Sponsionis.*

Ludus est *contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat quod uterque deposuit*, estque licitus non solum si fiat ad oblectandum animum, qui est finis proximus; sed etiam cum pacto lucri sub conditionibus requisitis

I. Ad Valorem ut

1. Ludentes habeant liberam dispositionem rei quam in ludo exponunt, & ideo ludens cum aliena pecunia non potest sive perdere, sive lucrari, nisi supponatur in bona fide: in hoc enim casu ex parte Collusoris lusus fuit validus & licitus; hinc potest prætendere, ut de suis solvat, quod perdidit.

2. Ludentes non cogantur sive incipere, sive prosequi lusum; hinc minis, vel conviciis inducens alium ad ludendum, non potest sibi lucrum retinere, sicut inductus si lucretur, potest sibi lucrum retinere.

3. Servetur inter Collusores æqualitas, seu ut æqualiter pretia pro lusu exponant, defectu cujus qui luderet ludo etiam licito, animo tamen non solvendi, si perderet, & collusor esset talis intentionis ignarus, talis lusus esset invalidus & lucrum restitui deberet. Quod & idem volunt aliqui sentiendo de eo, qui ludit lusu prohibito animo utendi privilegio Cæsareo, seu repetendi a victore per viam juris, quod perdidit, quamvis alii velint quod talis ludus sit validus, & lucrum retineri possit a victore.

4. Servetur æqualitas peritiæ, si enim unus esset adeo peritus in luso, ut quasi certus esset de lucro: alter vero ignorasset alterius excessum, ac ita deceptus luderet, ac perderet, lusus nullus foret *juxta probabiliorem*: secus vero si non esset magnus excessus, vel sciens excessum alterius voluntarie consentiret.

4. Non misceantur fraudes contra leges ludi, uti esset ex industria aspicere alterius chartas, vel eas agnoscere signis a tergo positis &c., in quo casu utens similibus fraudibus tenetur restituere lucrum & pro rata spei collusori compensare.

II. Ad Liceitatem ut

1. Ludus sit honestus, ac per ipsum non totaliter gravitas animæ resolvatur, & fiat congruo tempore & loco.

2. Non principaliter intendatur lucrum: ludens autem principaliter propter lucrum, non videtur eximendus a peccato veniali, quidquid aliqui contrarium sentiant, quia cum ludus institutus sit propter animi relaxationem, videtur quædam inordinatio principaliter intendere lucrum, & species quædam avaritiæ; condemnare autem taliter ludentem de peccato mortali, ut aliqui faciunt, rigorem sapit, quare ad evadendum etiam veniale in lusu ludens intendere debet & animi relaxationem & simul lucrum, quod proponitur, ut non langueat ludus.

3. Non exponatur nimia pecuniæ quantitas in detrimentum familiæ & creditorum.

4. Non insumatur in lusu nimium temporis, aut propter ipsum a debitis officiis notabiliter ludentes se retrahant, aut occasioni proximæ se exponant.

5. Non sit specialiter prohibitus per legem Ecclesiasticam, vel Civilem, uti prohibetur lusus alearum, Laicis quidem sub veniali, Clericis vero tum sæcularibus, tum Regularibus sub mortali, si nimis frequens sit; secus vero si ad breve tempus fiat recreationis gratia, & sine scandalo: cui opinioni videtur favere Rescriptum Sac. Cong. relatum a Benedicto XIV. in sua Synodo Diœcesana *lib.* 10. *cap.* 2. *n.* 2., licet hic *lib.* 11. *cap.* 10. *n.* 5. condemnet Ecclesiasticos talibus ludis nimium indulgentes.

6. Ludens, lusu etiam prohibito, solvat quod perdidit, nisi uti vellet privilegio Cæsareo, cum enim vi hujus posset victus instituere actionem contra victorem in ordine ad repetendum solutum, a fortiori poterit non solvere quod perdidit, juxta Regulam illam juris: *actio cui conceditur, multo fortius retentio*, supposito quod in loco vigeat lex tribuens actionem excipiendi contra victorem, quæ in pluribus locis videtur abrogata, cum nulla amplius actio ex ludo sive pro, sive contra admittatur.

N. B. 1. *Nomine Alearum veniunt ludi, qui non ab industria, sed a mera sorte dependent, ut sunt ludi vulgo Basseta, Faraon, Tricstrac, Taxillorum.*

2. *Ludentes servatis conditionibus ad valorem & liceitatem requisitis exercent virtutem Eutrapeliæ, seu Urbanitatis, quæ debet moderare ludum, ne recedat a medio rationis per excessum, vel defectum.*

Sponsio

I. Est contractus, *in quo duo vel plures de veritate, aut eventu alicujus rei certantes sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit.*

II. Negant aliqui sponsionis contractum esse licitum, quia asserunt, quod non possit assignari finis aliquis honestus, cum finis sponsionis sit lucrosa victoria, adversarii depressio, irrisio, ac despicentia, & hinc negant sponsionem posse a vitio purgari.

Affirmant communiter, validum & licitum esse, dummodo concurrant sequentes conditiones:

III. Licita si

- Absit dolus & fraus.
- Fiat cum certo moderamine, ita scilicet, ut quantitas prœmii non excedat facultatem, seu vires spondentis.
- Serventur conditiones initæ, aut consuetudine receptæ.
- Ex utraque parte adsit æqualis incertitudo eventus, seu periculum causa cedendi, & ideo si unus esset physice vel moraliter certus, quod res ita se habeat, prout ipse asserit, non posset spondere *juxta probabiliorem:* excipe casum, quo quis non obstante manifestatione scientiæ, vellet præsumptuose spondere.

IV. Illicita facta de re mala, aut ad malum inductiva, v. g. quod quis sit furaturus, victurus alterum in potu &c. est illicita & hoc ipso invalida, ad illicitum enim nulla datur obligatio, si tamen fieret, victus pretium solvere teneretur, quia contractus sub conditione turpis operis, purificata conditione, obligat.

TAB. CX. *De Testamento solemni tum Scripto, tum Nuncupativo.*

Testamentum sive scriptum, sive nuncupativum, quod est *ultima voluntas cum directa institutione hæredis*, aliud est

- I. Solemne, quod scilicet habet omnes juris solemnitates, quales sunt
  - 1. Scriptura (respectu scripti) propria manu facta vel saltem subscripta, aut nomine suo ab octavo teste subscripta.
  - 2. Hæredis institutio, quæ fieri debet de persona vel personis certis ab ipso Testatore nominatis; & hinc non valet Testamentum, saltem factum ad causas profanas, in quo Testator diceret: hæredem constituo unum ex cognatis meis, quem Cajus voluerit.
  - 3. Exclusio
    - Hæreticorum toleratorum, aut Apostatarum a fide.
    - Judæorum Communitatum.
    - Religiosorum, qui incapaces sunt bonorum temporalium in communi
    - Spuriorum saltem notoriorum, non vero filiorum naturalium.
  - 4. Testes
    - Septem extra Ditionem Romani P., qui debent esse idonei; unde excluduntur
      - 1. Mulieres impuberes, servi proprie tales.
      - 2. Infames infamia juris.
      - 3. Hæres vel alius sub potestate Testatoris existens, aut habens Testatorem in sua potestate, eo quod hi fictione juris censentur una persona cum Testatore: Legatarii tamen, & Fideicommissarii particulares, licet sub potestate Testatoris, permittuntur a jure esse testes.
      - 4. Clerici sine licentia Episcopi & Regulares sine licentia sui Prælati, quamvis si rogati adessent sine præscitu & licentia suorum respective superiorum, eorum testimonium non obstaret valori: excipe in Ditione Austriaca Religiosos, qui sub nullitate actus prohibentur agere testes, secus Clerici sæculares.
    - Tres in Ditione Pontificia, qui omnes
      - 1. Esse rogati seu invitati ad testificandum sive per se, sive per alium.
      - 2. Ita esse præsentes, ut non tantum audire, sed & videre valeant Testatorem.
      - 3. Propria manu nomen suum subscribere, propriaque sigilla apponere, vel alterius in defectu proprii.
  - 5. Testator debet coram testibus rite præsentibus dicere vel curare ut per alium in sua præsentia dicatur quod in charta illa vel scriptura, quam subscribendam exhibet, contineatur suum testamentum, quod totum absolvi debet in uno continuo morali.
  - 6. Notarius publicus de jure communi non requiritur, consulendum tamen est ut adhibeatur ad supplendum defectum alicujus testis, casu quo moreretur ante mortem Testatoris, imo in aliquibus locis jure municipali ad valorem requiritur; quo adhibito si ante mortem Testatoris, unus vel plures Testes morerentur, adhuc testamentum subsisteret; secus si non fuisset adhibitus Notarius publicus.
  - Hinc conjicies
    - 1. Deficiente aliqua solemnitate de jure requisita, testamentum jure naturæ, & pro foro interno conscientiæ subsistere, dum certo constat de voluntate Testatoris, *juxta commmuniorem, veriorem ac probabiliorem;* nec impugnari posse ab eo, qui alias succedere deberet ab intestato, pro casu quo ipsi certo constaret, talem fuisse mentem Testatoris, utpote qui solus interfuit conditioni Testamenti, & audivit voluntatem Testatoris; bene vero si ita non astitit, & secuta judicis sententia, huic in foro conscientiæ standum & consequenter restituendum, si quid vi talis testamenti, sive titulo hæreditatis, sive titulo legati acceptum esset.
    - 2. Has solemnitates requiri etiam in testamento Nuncupativo, quod scilicet fit sine scriptura oretenus tantum: & ideo ad hoc non minus debere vocari septem testes idoneos & præsentibus illis sive per se, sive per alium pronunciari ultimam suam voluntatem circa hæredem & legata; & optimum erit assumere Notarium, ut hic expositam oretenus ultimam voluntatem redigat in scripturam; ne memoria excidant dicta a Testatore.
    - 3. Nullum Testamentum Nuncupativum factum ad interrogationem alterius, v. g. Notarii vel alterius, ipso Testatore solum capite annuente: imo nec si ad interrogationes sibi factas: num vellet condere testamentum? hunc vel illum pro hærede instituere? huic vel illi aliqua legare? respondeat ita, volo, placet, nisi se jam prius ad dicta omnia resolvisset, & mentem suam alteri exposuisset, v. g. Notario; rogando ipsum, ut venientibus ad testificandum testibus prælegeret, aut voluntatem prius auditam ediceret: in tali enim casu, si Notarius vel alius a Testatore rogatus, aut deputatus testibus præsentibus, & ad testificandum rogatus prælegeret jam conscriptam, aut saltem oretenus communicatam sibi ultimam voluntatem, addita interrogatione ad Testatorem ut supra, & obtenta responsione, valeret.
- II. Privilegiatum, & dicitur illud, ad quod ex privilegio concesso a jure non requiruntur solemnitates de jure civili requisitæ, de quo in sequenti Tabula.

TAB. CXI. *De Testamentis Privilegiatis.*

Testamentum Privilegiatum, quod

I. Censetur tale factum

1. Coram Principe, aut ejus Deputatis oretenus, vel Principi offertur in scriptura redactum, rogando illum, ut auctoritate sua sustineatur, & hoc dicitur *Publicum*, quod inter omnia privilegiatissimum est; quamvis practice raro contingat.

2. Datum ad Acta, vel factum apud Acta, quod scilicet fit sive scriptura, sive oretenus, vel jam factum offertur judici, aut ejus delegato; ad quod solum requiritur, ut per duos testes constet, ipsum fuisse ad Acta datum, vel apud Acta factum.

5. Factum ad causas pias, dum videlicet pro hærede instituitur causa pia, v. g. Ecclesia, Monasterium, Hospitale &c. *ex cap. Relatum 11. de Testamentis*, ad quod requiruntur duo saltem testes, ut per eos constet de voluntate Testatoris, extra tamen casum, quo ipse solus Testator scripsisset testamentum, vel ab alio scriptum manu propria illud subscripsisset. Testes autem adhibendi in testamento ad causas pias debent esse legitimi, seu habiles, saltem jure canonico, quales censentur quicumque de jure naturæ, vel gentium a ferendo testimonio non repelluntur. Institutio hæredis, etiam in hoc testamento requiritur, alias nullum foret; quidquid aliqui contrarium sentiant: & in eo exprimi debet quod relinquatur hæreditas, vel legatum ob honorem Dei & animæ salutem, ne putetur factum ad causam profanam. Legata pia inserta in testamento ad causam profanam subsistunt, etsi testamentum corrueret ob defectum alicujus solemnitatis: imo & Legata profana inserta in testamento facto ad causas pias, quamvis id aliqui negent. Hinc pro hoc casu sequi oportet tutiora, ne legata exponantur periculo nullitatis.

4. Factum a Parentibus inter liberos, ad cujus valorem requiritur ut saltem legitima prolibus omnibus relinquatur & quidem titulo hæreditatis, ut scribatur, vel saltem subscribatur manu propria, aut præsentibus duobus testibus proferatur; censetur autem factum inter Liberos, dum fit a Patre vel Matre, aut Ascendentibus in linea recta, in eoque Liberi, vel Nepotes in linea recta instituuntur hæredes; imo factum a Matre in favorem filii naturalis & forte etiam spurii, saltem non notorii, non amittit esse privilegiatum: bene vero factum a Patre in favorem filii naturalis, vel spurii. Si præter liberos institueretur persona aliqua extranea, v. g. uxor hæres, deberent adhiberi solemnitates de jure requisitæ, alias nulla foret dispositio quoad personam extraneam, secus si personæ extraneæ relinquatur pars bonorum titulo legati aut fideicommissi.

5. Factum a Militibus in expeditione bellica, aut actuali conflictu existentibus, quod valet per integrum annum postquam miles vel a militia discesserit, vel e castris rediens in loco securo degit; ad quod non aliud requiritur, quam ut constet de mente Testatoris: imo respectu facti in castris aliqui exigunt saltem duos testes; factum vero a milite extra expeditionem bellicam, aut extra castra existente, debet habere solemnitates de jure requisitas.

7. Factum a Rusticis, non quidem absolute, sed ex suppositione quod condatur in loco, ubi septem testes haberi non possunt, in quo casu debent saltem quinque adhiberi, alias intestatus dicetur decedere, nisi alio titulo privilegiatum conderet, qui omnes debent esse vocati, rogati & moniti, juxta dicta de testamento solemni in priori Tabula, & omnes debent se subscribere; quod si nullus omnino sciret scribere, deberet Nuncupativum condere testamentum. Privilegium concessum Rusticis ob eorum simplicitatem non favet aliis sive Nobilibus, sive Civibus in Arcibus, vel Pagis habitantibus, *juxta probabiliorem*.

7. Factum tempore valde grassantis pestis, adeo quod non posset numerus requisitus testium haberi; si vero pestis non adeo sæviret, deberent omnino septem adhiberi, licet non requiratur ut simul testentur.

II. Nihilominus sicut & solemne

1. Potest ad nutum Testatoris revocari, & quidem emergente gravi causa, etiam juramento firmatum, *ex cap. Quemadmodum 25. de jure jurando*.

2. Nequit annullari per querelam inofficiosi testamenti, nisi pro casu quo quis sororem, vel fratrem in testamento a se condito præterit; & turpem personam (qualis censetur infamis infamia sive juris, sive facti) pro hærede instituit; & solum fratribus & sororibus germanis, non vero uterinis, competit jus annullandi testamentum per querelam inofficiosi testamenti.

Ob tres causas, de jure Novellarum, potest quis, licet instituens pro hærede turpem personam, exhæredare fratrem, vel sororem, quamvis germanam, his versibus expressa:

Si fratri insidias, perniciemque ferat,
Scelera si pingat ferro, fatoque pianda,
Aut si fraternas perdere tentet opes.

TAB. CXII. *De Codicillis*:

Codicillis

I. Est *ultima voluntas sine directa institutione hæredis facta, per quam donationes mortis causa, legata, fideicommissa fieri, ac ut testamentum declarari, salva institutione hæredis, immutari, minus & augeri potest.*

Inservit unice illis qui testamentum facere nolentes libenter aliqua legata vel donationes mortis causa facerent: vel etiam illis qui testamentum jam factum libenter declararent, vel in eo aliquid immutarent, minuerent vel augerent, adderent vel demerent; & in eo posset etiam Pater relinquens post se plures filios hæredes ab intestato relinquere uni majorem portionem titulo legati.

III. Fieri potest a quocumque, qui condere potest testamentum sive ante sive post testamentum, sive cum sive sine testamento, & quidem etiam plures: & in casu quo ante testamentum fieret, deberet illum in testamento sequenti confirmare, & si plures faceret, non censeretur prior per posteriorem revocatus, nisi quatenus contrarii essent.

IV. Requiritur ut

1. Sint (attento jure communi) quinque testes, quicumque illi sint, sive mares, sive fœminæ, sive rogati, sive fortuito præsentes, dummodo tamen sint simul præsentes & admoneantur testes, quod non intendat facere testamentum, sed tantum Codicillum.

2. Omnes testes debeant se subscribere, ex suppositione, quod scriptus Codicillus conficiendus sit; obsigillatio tamen eorum non necessario requiritur.

3. Si fiat pro personis privilegiatis, ut ad causas pias vel inter liberos, constet de voluntate conficientis illum vel per scripturam propria manu scriptam, vel per scripturam ab alio scriptam & propria manu subscriptam.

4. Si Nuncupative seu oretenus, fiat ad causam profanam, debeat fieri in præsentia quinque testium; si vero ad causam piam vel inter liberos, assumi debeant duo testes, quicumque illi sint; & non sufficeret unus, licet fide dignissimus, quamvis esset Confessarius.

V. Efficit

1. Ut testamentum invalidum, eo quod non fuerint adhibiti septem testes, subsistat, dummodo quinque idonei adfuissent; adeoque hæres ab intestato succedens tenetur solvere legata, & alia inserta in testamento.

2. Quod hæredes extranei ab intestato venientes teneantur hæredi in hujusmodi irrito testamento instituto per modum fideicommissi restituere totam hæreditatem, sola dempta Trebellianica, quam pro se deducere possunt, si inventarium fecerunt.

3. Quod hæres necessarius scienter præteritus vel injuste exhæredatus in testamento nullo, in quo fuit instituta hæres persona extranea, huic teneatur restituere totam hæreditatem, sola retenta pro se legitima & Trebellianica: ex quo sequitur quod in Codicillo indirecte saltem possit dari hæreditas.

4. Quod hæres in testamento clausulam codicillarem habens, possit petere totam hæreditatem in testamento sibi designatam, vel petere ut hæreditas per modum fideicommissi sibi restituatur.

N. B. *Effectus dicti præstantur a clausula Codicillari tum expressa, tum tacita: expressa censetur adesse, dum Testator in testamento dicit:* si hæc mea voluntas non valet ut testamentum, volo ut valeat ut Codicillus; *tacita vero censetur adesse, cum Testator dicit:* si hæc mea dispositio non valet, volo ut valeat meliori modo quo potest: *& optimum erit, si in quovis testamento inseratur utraque clausula, seu tam expressa quam tacita, cum inter Doctores disputetur, quænam ex duabus sit melior?*

TAB. CXIII. *De Legatis*.

Legatum est donatio quædam a defuncto alicui relicta, & ab Hærede præstanda, quod

- **I. Fieri potest**
  1. Tam in, quam extra Testamentum, ore vel scripto.
  2. De re aliena etiam; & si Testator sciens esse alienam, eam nihilominus legasset, Hæres teneretur vel illam redimere, vel si nolens Dominus illa privari teneretur æquivalens Legatario solvere: si autem ignorasset rem legatam fuisse alienam, ad nihil teneretur Hæres præciso casu quo legatum esset relictum proximæ personæ, vel uxori, *ex jure tam Civili, quam Canonico*.

- **II.** Valet factum tam extra, quam sine Testamento, scripto vel ore tantum, solis quinque Testibus præsentibus, qui esse possunt tam fœminæ quam mares, Laici vel Ecclesiastici, etiam Religiosi, etiam si Legatum constitueretur in Ditionibus Austriacis, utpote in quibus solum postremis inhibetur agere Testes præcise in Testamento. Hujusmodi autem testes, etsi non requiratur ut sint rogati, requiritur nihilominus ut uno eodemque tempore simultanee sint præsentes; & ut sese subscribant, si fiat in scriptis.

- **III. Dicitur**
  1. *Purum*, cum nulla ei adjicitur temporis, seu conditionis, seu modi restrictio.
  2. *In Diem*, cum executioni certum tempus assignatur.
  3. *Conditionatum*, cum sub certa conditione de præterito, de præsenti vel futuro præstanda decernitur, quod
     - Nullum est insertum Testamento invalido ob defectum alicujus solemnitatis. Excipe
       1. Si Testamentum esset nullum præcise ex causa præteritionis Hæredis necessarii.
       2. Si Hæres ipsemet fateatur defuncti Testatoris voluntatem.
       3. Si eidem inserta sint Legata ad pias causas.
       4. Si Testamento apposita fuisset Clausula Codicillaris; de qua praeced. Tabula.
     - Suspenditur usque ad purificationem, si inseratur Testamento sub conditione honesta præstandum.
     - Jure exigi
       - Potest
         1. Factum sub conditione impossibili, vel de jure civili turpi; quia talis conditio habetur pro non adjecta; & ideo puella Legatum habens e. g. centum florenorum, si non nupserit, jure prætendit ab Hærede Legati solutionem, & Hæres ei tenetur etiamsi nubat; quia talis conditio in jure Civili est turpis.
         2. Factum Uxori sub clausula: quamdiu in statu viduitatis manserit, si hæc Religionem intret, & Hæres tenetur solvere.
       - Non potest
         1. A Vidua si legatum fiat cum conditione de non nubendo, seu si non nupserit: ideoque exigens legatum sibi relictum conditione conditionis servandæ, tenetur præstare cautionem, quod casu quo denuo nuberet, Legatum restituere velit. *Ex jure Novell. apud Reiffenstuel lib. 5. Decretal. tit. 26. n. 645. & 647.*
         2. Factum sub conditione; si Legatarius non fuerit Religionem ingressus, vel Statum Clericalem non fuerit amplexus: nam talis exceptio valeret, ubi non constaret id vel ex odio in Statum Regularem & Ecclesiasticum, vel absque justa causa factum.
         3. Factum sub conditione matrimonii ineundi, seu si nupserit. Excipe si Religionem ingrediatur, vel Sacros Ordines suscipiat Legatarius, & Testator mentem suam adversantem non aperuisset: nam ob præsumptam Testatoris voluntatem, legatum & prætendi posset, & solvi deberet. *Ex Declar. S. Congreg. Episcoporum & Regul. in una Pisaurensi die 26. Aug. an.* 1616.

- **IV. Cadit sub Dominium Legatarii**
  1. Primo post aditam ab Hærede hæreditatem; quam si ille repellit, seu repudiat, cadit Legatarius omni prætensione. *Ita ex jure apud Reiffenstuel. loc. cit. n.* 650. Excipe si Testamento inserta sit clausula *Codicillaris*.
  2. Quoad fructus rei legatæ certæ & determinatæ in individuo, a die mortis ipsius Testatoris, Legatario.
  3. Quoad fructus rei indeterminatæ, a die mortis usque ad ingressum in hæreditatem, ipsi Hæredi; qui si fuerit in mora solvendi, competit quidem actio contra Hæredem Legatario, nequaquam tamen poterit propria authoritate sibi vindicare legatum, alias amittet quod cepit, nisi id fuerit de expressa dispositione Testatoris.

- **V. Commutari potest**
  1. A Papa justis de causis valide & licite quodcumque sit ad causas pias; secus vero absque justa & rationabili causa; quia plerumque Commutationes causarum piarum semper fiunt cum aliqua læsione juris quæsiti a tertio; quod jus nequit Papa lædere sine justa & rationabili causa.
  2. Ab Episcopo, supposita justa & rationabili causa de consensu Hæredis, vel Executoris Testamentarii, in aliud pium opus, quando Legatum ad pias causas de jure, aut de facto non potest impleri in propria specie, seu in usu a Testatore determinato.

TAB. CXIV. *De Institutione Haeredum, vi Testamenti, Haereditate, et Exhaeredatione.*

Hæres qui succedit in universum jus defuncti, alius est

- **I. Necessarius**
  - Qui non potest præteriri in testamento, & tales sunt omnes descendentes in linea recta, & in horum defectu ascendentes; secus vero Proles naturalis respectu Patris, nisi supponatur legitimata vel per subsequens matrimonium, vel per privilegium Principis, bene vero respectu Matris: & tunc si Testator in suo testamento præteriret aliquem ex hæredibus necessariis, nullum esset Testamentum quoad institutionem hæredis, & hæredi præterito competeret actio triginta annorum ad Testamentum nullum dicendum. Legata tamen & fideicommissa subsisterent.
  - **2. Cui de jure debetur saltem legitima, quæ**
    - 1. Desumi debet ex omnibus bonis relictis post mortem Testatoris, deducto ære alieno, & expensis factis in funeralibus, juxta infra dicenda: in quam computari debent etiam illa bona, quæ hæredes necessarii in vivis titulo sive doni, sive patrimonii perceperunt, nisi aliter Testator expresserit: secus vero, quæ Pater, vel Mater subministravit pro educatione prolium.
    - 2. Relinqui debet titulo hæreditatis, non vero legati, aut fideicommissi *ex jure Novellarum, apud Reiffenst. lib.* 3. *decretal. tit.* 56. *num.* 430. *&* 432., quod & procedit respectu filiæ, licet tempore nuptiarum ei extradita fuisset legitima pro dote, & futuræ hæreditati renunciasset: nam & huic relinqui debet in testamento titulo hæreditatis, quod ei jam tempore nuptiarum tradiderat, nisi in aliquo loco obstet lex municipalis excludens fœminas a successione ab intestato.
    - 3. Relinqui debet sine ullo onere, gravamine, vel conditione aliqua gravosa; extra tamen casum, quo portio relicta excederet legitimam de jure debitam: & hinc Pater potest relinquere totam suam substantiam filio cum onere, ut totus ususfructus cedat uxori ad hujus dies vitæ, alias contentus esse debeat pura legitima: in quo tamen casu debet Parens obligare uxorem ad subministranda filio alimenta competentia, ne alias filius cogatur ex necessitate petere legitimam, & residuum cedere Matri.
    - 4. In casu quo legitima integra data fuisset filio petenti eam a Patre adhuc vivente, contra eam non posset reclamare filius, etsi postea augerentur facultates paternæ, & filius eam dilapidasset; si tamen non fuisset data integra, nec renunciasset sponte ac libere omni augmento undequaque provenienti, posset filius, vel filia agere ad complementum legitimæ, non tamen testamentum *nullum* dicere.
    - 5. Defraudatis hæredibus necessariis in legitima competit actio, quæ prosequi potest usque ad triginta annos.
    - 6. Accipientes hæreditatem gravatam legatis, vel fideicommissis, possunt ultra legitimam sibi competentem detrahere a Legatis Falcidiam, & a fideicommissis Trebellianicam.

      N. B. *Portio legitima debita Hæredibus necessariis descendentibus consistit vel in media parte bonorum relictorum a Testatore, deducto ære alieno, & impensis funeribus, si hæredes sint ultra quatuor; vel in tertia parte si sint quatuor vel infra, prout indicant versus sequentes:*

      Quatuor aut infra dant natis jura trientem:
      Semissem vero dant natis quinque vel ultra:
      Arbitrium sequitur substantia cætera patris.

      2. *Portio legitima debita Hæredibus necessariis Ascendentibus in defectu descendentium est semper Triens.*

      3. *Renunciatio hæreditatis paternæ, vel maternæ facta a filio, vel filia de consensu patris, vel matris ante mortem non revocato, subsistit; secus vero facta absque illorum consensu, vel hoc ante mortem revocato.*
  - **3. Qui potest exhæredari, id est, possunt**
    - 1. Privari legitima portione hæredes necessarii, supposita legitima causa: hujusmodi autem legitimæ causæ 14. assignantur in jure comprehensæ sequentibus versibus: *Bis septem ex causis exhæres filius esto = Si Patrem feriat, vel maledicat ei = Carcere detrusum si negligat, aut furiosum = Criminis accuset, vel paret insidias = Si dederit grave damnum, si nec ab hoste redemit = Testarique vetet, se sociatque malis = Si mimos sequitur, vitietque cubile parentum = Si mutet fidem, si filia sit meretrix.*
    - 2. Ob alias graves, vel graviores causas exhæredari hæredes necessarii descendentes, *juxta probabiliorem,* inter quas tamen non venit desponsatio filiæ sine consensu parentum, præsertim si id fiat cum persona honesta.
    - 3. Etiam hæredes necessarii ascendentes exhæredari ex legitima causa; hujusmodi autem causæ in jure octo assignantur sequentibus versibus expressæ: *Si Pater accuset capitalis criminis, aut se = Adjungat nurui, vitæque est insidiatus = Testari prohibet gnatum, matrique venenum = Præparet, inclusum in carcere, vel furiosum = Negligat & veram contemnat Religionem.* (*)
    - 3. Potest exhæredari Frater, vel Soror germana, etiam ab eo qui pro hærede instituit turpem personam, ex causis expressis in versibus allatis in Tabula CXI.

      (*) Habes ex jure quod suadeas remedium parentibus nobilibus, vel prædivitibus, cum eos queri audies de Filiis, vel Filiabus, qui veram Religionem deseruerunt dato nomine præpotenti jacobinismo, vel ita vivunt, ut Deum, æternitatemque minime existere ostendant: remedium efficacissimum minari illi exhæredationem; ac tandem ad aliorum cautelam effective eos privare hæreditate; sublatis quippe mediis, licentia vitæ tepescit: sic enim & Prodigus resipuit.
- **II. Voluntarius**
  - 1. Qui ad libitum Testatoris assumitur ad hæreditatem, cujusmodi censentur omnes alii, qui respectu Testatoris nec sunt descendentes, nec ascendentes, ut Fratres, Sorores, horumque filii & filiæ, Uxor Testatoris; imo & ascendentes omnes pro casu quo extarent descendentes: si tamen quis turpem personam bonorum suorum institueret hæredem, tunc fratres & sorores germanæ venirent nomine Hæredium necessariorum, in quantum præteriri non possunt, juxta dicta in Tab. CXI.
  - **2. Cui de jure**
    - Relinqui debet saltem quarta pars substantiæ, ut possit reliqua onera hæreditatis sustinere: alias si facultas relicta adeo Legatis & Fideicommissis esset gravata, ut nec quarta pars ei remaneret, posset detrahere *Falcidiam* ab illis & *Trebellianicam* ab istis.
    - Potest relinqui quidquid relinquitur sub conditione quacumque sive protestativa, sue existente sub potestate ipsius Hæredis, sive casuali, sive mixta, dummodo honesta & licita.

TAB. CXV. *De Succesionibus ab Intestato.*

Successio ab intestato *est acquisitio hæreditatis absque Testamento, vel omnino non, vel nulliter facto*, vi cujus, attento præcise jure communi, succedunt

I. Proles legitimæ

Cum exclusione tum ascendentium, tum collateralium, quibus comparantur legitimatæ sive per subsequens matrimonium, sive per rescriptum Principis juxta infra dicenda, imo & naturales respectu matris, & ideo matre decedente ab intestato, relinquendo post se filios tum legitimos, tum pure naturales, æqualiter succedunt omnes: saltem extra casum, quo proles procreata esset ex matre pluribus exposita, alias ex illustri familia; nam in hoc casu talis proles non succedit ab intestato matri habenti filios legitimos, respectu vero patris non succedunt proles naturales non legitimatæ, ut supra; sed solum in sextam partem bonorum, seu duas uncias cum matre sua dividendas, adeo ut una proli illegitimæ, altera vero ejus matri remaneat. Spuria vero proles, jure sive civili, sive canonico, tali non succedit, ne quidem quoad unciam sive patri, sive matri, etsi postea inter patrem & matrem initum fuisset legitimum Matrimonum: *ex jure Novellarum*, uti expresse decisum habetur, per textum allatum a Reiffenstuel. *lib.* 5. *Decretal. tit.* 27. *n.* 31., sed solum ei debentur alimenta.

II. Alii Descendentes

In defectu filiorum & filiarum per lineam rectam vel in stirpem, vel in capita. Hinc si pater intestatus decedens unum filium & decem nepotes ex præmortuo altero filio relinqueret post se, isti decem nepotes succedunt in stirpem, idest in locum sui patris præmortui, & omnes simul tantum acquirunt, quantum acquireret pater eorum, si viveret, si vero tantum duos, vel tres filios, aut filias relinquat post se, succedunt hi in capita, seu æqualiter.

III. Ascendentes

In defectu descendentium per lineam rectam, servata tamen graduum prærogativa, ita ut proximiores gradus excludant remotiores: & hinc mortuo filio, vel filia ab intestato non relictis post se descendentibus, succedunt pater & mater æqualiter: & mortua matre solus pater, etiam quoad bona materna, excluso avo: quod si una cum patre & matre extarent frater & soror defuncti, hi omnes quatuor succederent in capita, & consequenter ex substantia defuncti quatuor fieri deberent partes æquales, dummodo frater & soror sint germani defuncti, secus si essent solum uterini, sive consanguinei; in hoc enim casu soli parentes defuncti succederent.

IV. Collaterales Fratres & Sorores

In defectu descendentium & ascendentium, ita tamen ut Germani excludant uterinos & consanguineos, & in horum defectu eorum Proles, vel in stirpem, si aliquis eorum præmortuus fuisset, vel in capita, si omnes fratres mortui fuissent; ex quo sequitur, quod si ex præmortuo fratre germano defuncti decedentis ab intestato extarent tres proles, & ex præmortua sorore sex, tota substantia relicta a defuncto patruo dividenda esset in novem partes æquales.

V. Fratres & Sorores

Deficientibus etiam Fratribus & Sororibus Germanis, aut horum Prolibus, æqualiter sive consanguineæ, sive uterinæ æqualiter, exclusis omnibus aliis collateralibus, & quidem nulla habita ratione, an bona relicta proveniant a patre, vel matre, *juxta probabiliorem*.

VI. Alii consanguinei

Deficientibus etiam Fratribus & Sororibus uterinis, alii consanguinei æqualiter, ita ut propinquiores excludant remotiores; pares autem gradu succedunt non in stirpes, sed in capita.

VII. Uxor

Excluso Fisco, deficientibus descendentibus, ascendentibus, ac collateralibus sanguine junctis, nisi in contrarium obstent pacta dotalia, statuta, vel consuetudines locorum, supposito tamen quod matrimonium inter ipsos fuerit legitimum, nec inter ipsos tempore mortis fuisset divortium ex legitima causa factum.

Quæ si sit indotata & paupercula, succedit in quartam partem si maritus præter uxorem etiam tres liberos, vel alios sanguine junctos relinquat. *Ex juris dispositione Novella* 117. *c.* 5. *apud Ferraris verb. Successio ab Intest. num.* 14. Si vero quatuor, vel plures filios, aut filias relinquat, succedit in parte virili, seu accipit tantam portionem, quantam quævis proles legitima; hujus tamen quartæ, vel virilis portionis uxor, solum succedit quoad usumfructum ad dies vitæ, dum succedit una cum liberis; si vero succedat cum solis collateralibus, succedit etiam quoad proprietatem; nihil tamen horum percipit uxor, si dotem attulit, & maritus relinquat post se proles, vel consanguineos.

VIII. Fiscus

Prædictis omnibus deficientibus; vel laicalis si defunctus ab intestato sit laicus, vel ecclesiasticus, si defunctus fuerit Clericus non Beneficiatus; si vero defunctus sit Clericus Beneficiatus, succedit Ecclesia cui deservit.

N. B. *Ut Legitimatio per rescriptum Principis faveat filiis naturalibus in ordine ad succedendum ab intestato; requiritur* 1. *ut nulla extent Proles legitimæ, quod si post factam legitimationem nascantur filii legitimi, non expirat quoad successionem naturalium, sicut nec si legitimatio fiat per rescriptum habens clausulam* non obstante, quod adsint legitimi, 2. *quod pater peracta generatione matrem ex justa causa ducere non potuerit; sicque per subsequens matrimonium prolem legitimare non potuerit;* 3. *quod Proles in legitimationem consentiat.*

TAB. CXVI. *De Aditione, et Recusatione Hæreditatis, nec non Executore Testamenti.*

Hæreditas

1. Potest a quovis hærede adiri, vel non adiri: censetur autem hæres adiisse hæreditatem, dum ae pro hærede declaravit, seu hæreditatem amplexus est, agnovit & admisit sive verbis, sive factis, sive actibus non nisi hæredi competentibus.

2. Post aditam hæreditatem tenetur hæres solvere omnia debita defuncti, etsi excederent hæreditatem, nisi adita fuisset cum beneficio inventarii, juxta mox dicenda; etiam vota realia defuncti; ad quæ tamen non tenetur ultra vires facultatis.

3. Gravata si sit adeo, quod deducto ære alieno & impensis funebribus, ac solutis legatis non remaneret heredi quarta pars bonorum a defuncto relictorum, potest alleviari a Legatis detrahendo Falcidiam, seu quartam bonorum omnium relictorum, deducto ære alieno & impensis funeralium & a Fideicommissis *Trebellianicam*. Hæc tamen detractio non habet locum sive in testamento Militis, sive in Legatis privilegiatis, qualia sunt quæ cum perpetua inalienabilitate relinquuntur, Legata pia & Legata vel Fideicommissa, a quibus Testator prohibuit ne fiat detractio Falcidiæ, vel Trebellianicæ.

4. Semel acceptata nequit amplius repudiari, licet postea hæres inveniret quod onera subeunda excederent facultatem relictam, nisi acceptata esset cum beneficio inventarii.

5. Necdum acceptata potest a quovis hærede, etiam necessario, repudiari; & semel repudiata nequit amplius adiri. Excipe respectu Filiorum, Filiarum, ac Nepotum, qui in jure vocantur hæredes *sui*, & respectu Minorennum, qui hæreditatem repudiatam adhuc possunt infra triennium adire, nisi sit alienata.

6. Adeunda ne decipiat Hæredem, sive necessarium, sive voluntarium, potest hic petere tempus differendi resolutionem circa hæreditatem capessendam, nec ne; ut interea possit inquirere quid hæreditas importet; quænam debita & onera existant; adeoque, an sibi utile sit hæreditatem adire & petendi concedendum est. Quod si petatur a Principe, dilatio fieri potest ad annum; si vero a Magistratu, per novem menses numerandos post decem dies a morte Testatoris.

N. B. *Inventarium, seu confectionem scripturæ, in qua res inventæ post mortem Testatoris describuntur, nemo, attento præcise jure communi, tenetur facere, nec ad id cogi potest: si tamen fiat, hæres vi confecti inventarii conservatur immunis ab omni periculo damni incurrendi, & confici debet intra sexaginta dies, si hæreditas præsens sit; si vero absens, intra annum inchoandum intra viginti dies a die aditæ hæreditatis.*

Executor testamentarius

I. Alius est & dicitur

1. Legitimus, qui ab ipso jure datur, seu cui munus exequendi testamentum vi legis competit: qualis in casu quo nullus denominatus fuisset a Testatore, ipso jure est hæres institutus.

2. Dativus, qui a Judice, vel magistratu datur, casu quo hæres institutus recusaret esse Executor, deputatus in testamento munus exequendi voluntatem Testatoris recusaret.

3. Testamentarius, qui ab ipso Testatore in testamento datur & designatur, qui potest sive unum, sive plures designare, sive masculos, sive fœminas, sive Clericos, sive Laicos, sive ex hæredibus, sive extraneos, etiamsi sint Minorennes, dummodo decimum septimum annum expleverint.

N. B. *Religiosus nequit institui, & institutus nequit exequi, saltem licite, voluntatem defuncti, sine licentia Superioris: imo nec valide, loquendo de Fratribus Minoribus.*

II. Tenetur exequi voluntatem defuncti

1. Expressam, vel præsumptam; & hinc si Testator reliquisset, ut bona sua distribuantur pauperibus, debet bona illa potius pauperibus illius civitatis & loci, ubi fuit defunctus, quam extraneis, distribuere; neque posset uni tantum, si pluribus in plurali distribuenda disposuisset; sibi tamen, si vere pauper esset & Testator ignorasset suam paupertatem, posset aliquid retinere; secus si scivisset paupertatem & multo minus si ob agnitam paupertatem ei aliquid speciale legasset.

2. Quamprimum potest, adeo quod si ex culpabili negligentia, notabiliter negligat aut sine sufficienti, ac vere ponderosa ratione nimis diu v. g. ad tres, vel plures menses, differat exequi voluntatem defuncti, peccet mortaliter, & ad id compelli potest a Judice vel sæculari, si sit factum ad causam profanam, vel Ecclesiastico, si sit ad causam piam, *ex Benedict. XIV. Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ultim. n.* 1.

N. B. *Semel monitus, negligens intra annum exequi voluntatem defuncti, perdidit omne id quod ipsi alias vi talis testamenti competeret, saltem extra legitimam respectu hæredis necessarii negligentis exequi talem voluntatem, pro casu quo ipse esset executor: & si bis admonitus negligat exequi dispositionem ad causam piam, etiam ante elapsum annum, privari potest dictis commodis, & potestas exequendi devolvitur ad Episcopum.*

TAB. CXVII. *De Sepulturis, in quantum concernit locum, in quo sepeliri possunt et debent defuncti Fideles.*

Sepultura fidelium, cujus

I. Locus

1. Debet esse auctoritate Episcopi benedictus. Nullus olim sepeliri poterat in Ecclesia, sed in atrio, vel porticu, aut alio terræ spatio prope Ecclesiam, quod & de facto practicandum suadet Rituale Romanum, quamvis possit & in ipsa Ecclesia, dummodo id fiat infra terram, nam supra terram solis Summis Pontif. competit.

2. Sacer in quo omnes, & soli Fideles etiam damnati ad mortem (nisi a Potestate Seculari ad terrorem aliorum suspensi manere jubeantur) sepeliri possunt; a qua excluduntur

1. Infideles, quibus annumerantur infantes catholicorum sine baptismo decedentes, nisi in utero matris una cum matre mortui essent, in quo casu juxta aliquos una cum matre sepeliri possent in loco sacro, quamvis Glossa *in Can. Ecclesiam 27. de Consecrat. Dist.* & *ad verb. celebrare*, referens insinuatam opinionem subjungat: *consuevit tamen aperiri* (intellige Mater) *& fœtus extra cæmeterium sepeliri.*
2. Cathecumeni, utpote carentes baptismo, quamvis aliqui velint, hos posse sepeliri in loco sacro, quia jam pro fidelibus habentur.
3. Hæretici, eorumque receptores, defensores, fautores, *ex cap. Sicut 8. & cap. Excommunicamus 13. de Hæreticis.*
4. Qui per annum confiteri, & tempore Paschali sine justa causa communicare negligunt. *Ex cap. Omnis utriusque sexus 12. de Pœnitentiis et Remissionibus.*
5. In duello occumbentes juxta dicta in Tabula LXVI.
6. Usurarii notorii.
7. Religiosi proprietarii, si in fine non pœniteant, nec proprium resignent, *ex cap. 2. et 4. de Statu Monachorum.*
8. Notorie excommunicati, *ex cap. Sacris 12. de Sepulturis.* & quidem, juxta probabiliorem, etsi non sint vitandi, & publice denunciati; si tamen in articulo mortis signa pœnitentiæ dedissent, ac per eos non stetisset, quo minus absolverentur, in tali casu etiam post mortem ritu ab Ecclesia præscripto absolvi, sicque absoluti in loco sacro sepeliri possunt & debent, *ex Declarationibus Sac. Congregationis apud Ferraris Verb. Sepultura n. 174.*
9. Qui in notorio, vel certo peccato mortali absque pœnitentia decedunt; & hinc qui in actuali furto, fornicatione, adulterio occiduntur, non debent sepeliri in loco sacro.
10. Qui ex impatientia, ira, odio, desperatione, vel alia simili causa se ipsos occidunt. *Ex can. Placuit 11. Causa 23. quæst. 5.* dummodo constet, id ab ipsis factum voluntarie, si enim ex circumstantiis dubitetur, an id ex amentia, seu mentis alienatione factum fuerit, non videntur privandi sepultura ecclesiastica. *Ferraris ibid.*

N. B. *Infidelis, Excommunicatus denunciatus, vel publicus Clerici percussor sepultus in loco sacro debet iterum exhumari, si ossa discerni possint: & Ecclesia exinde manet polluta donec reconcilietur. Exhumari quoque debet hæreticus quicumque notorius* ex cap. Quicumque 2. de Hæreticis in 6., *imo juxta probabiliorem, exhumari quoque debent alii, quibus prohibetur sepultura ecclesiastica, de quibus supra.*

II. Provisiones Canonicæ

Ex Jure communi præcise Ecclesiis Parochialibus, eorumque Cœmeteriis, adeo quod omnes Parochiani ibidem debeant sepeliri; nisi probetur defunctum habere alibi Sepulturam Majorum; vel aliam sibi extra Parochialem elegisse.

Ex privilegio vero competit etiam Religiosis, præsertim Fratribus Minoribus & Prædicatoribus, *ex Clementina Dudum 2. de Sepulturis.* Cui juri absque licentia Sedis Apostolicæ renunciare nequeunt, si sermo sit de jure acquisito eorum Ecclesiis jam fundatis, seu erectis: bene vero si sermo sit de Ecclesiis & Monasteriis primo erigendis: nam in limine fundationis & erectionis earumdem posset pactum iniri cum Parocho de non danda sepultura suis Parochianis.

1. Nequeunt sive Clerici sæculares, sive regulares ullum inducere, sive ad vovendum vel jurandum, sive fide interposita, aut alias ad promittendum, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel etiam electam ulterius non immutent, utpote ipsis expresse prohibitum, *ex cap. Animarum periculis 1. de Sepultur. in 6.* in virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ, & aliter facienlo electio nulla est, & cadaver sepultum, ad requisitionem Ecclesiæ defraudatæ, debet restitui cum omnibus emolumentis.

2. Clericus Secularis, vel Religiosus inducens aliquem medio voto, vel juramento aut pacto seu promissione irrevocabili scienter, seu cum scientia prohibitionis, ad sepeliendum in propria Ecclesia, incurrit præterea excommunicationem majorem Papæ reservatam, *ex Clementina Cupientes 3. §. sane de Pœnis*, quod verum est, etiam non secuto effectu, dummodo effectus immediatus inductionis medio voto &c. contigerit: secus si id factum fuisset vel ex ignorantia prohibitionis, vel non in favorem propriæ, sed aliæ Ecclesiæ, vel si solum datum fuisset consilium aut adhortatio facta, ut in propria Ecclesia electio sepulturæ fieret, hanc tamen excommunicationem non incurrunt sæculares quomodocumque inducentes aliquem ad eligendam sepulturam in aliqua determinata Ecclesia.

3. Ecclesia, in qua sepelitur subditus alterius Parochiæ, tenetur Parocho proprio defuncti exhibere portionem canonicam, sive dein in propria, sive in aliena Parochia decedat. *Ex jure, cap. Instituta 1. cap. Relatum 2. cap. de His 4., & cap. Cum super 8. de Sepulturis, & Clement. Dudum de Sepult.* & pro casu quo is in duabus distinctis Parochiis æqualiter, vel quasi æqualiter domicilium haberet, & eligeret in tertio loco sepeliri, portio illa deberet dividi inter duos Parochos, quæ portio, juxta Tridentinum & prout in fundatam in constitutione Benedicti XIII. *quæ incipit,* Romanus Pontifex *an. 1725. inser. ad calcem Concil. Rom. eod. an. celebr. fol. 68., & Tom. 6. Bull. Capuc. fol. 478.* consistit in quarta parte intortitiorum & candelarum, quæ in eadem Ecclesia circa cadaver, vel etiam in altaribus in die funeris accenduntur.

4. Ecclesiæ Regularium, quorum Conventus erecti fuerunt quadraginta annis ante Tridentinum, quod inchoatum fuit anno 1563, si ante illud consueverant solvere quartam funerum, etiam postea tenentur; si vero citra quadraginta annos erecti fuerunt, aut totidem annis non solvebant, nec de facto, nec in posterum solvere tenentur ob claram Tridentini *Sess. 25. de Reformatione cap. 13.*, & S. Pii V. dispositionem, *per Constit. quæ incipit:* etsi Mendicantium, *insert. Tom 6. Bull. Capuc. fol. 231.* Verum tenentur solvere dictam quartam funerum Conventus Regularium exemptorum post Tridentinum erecti. Hinc nullus Conventus Capuccinorum, præsertim Provinciæ Styriæ, ad quartam funerum tenetur, & vel ideo vel alia ejusmodi causa S. Congr. Capuccinos exemptos declaravit, prout refertur in Jure Capuccinorum *fol. 269. n. 27. & fol. 273. n. 47.*

Excipe Conventus & Monasteria erecta intra Italiam & Insulas adjacentes ob contrariam dispositionem factam a Benedicto XIII. in Constitutione superius allata.

TAB. CXVIII. *De Sepulturis quoad electionem.*

Sepulturam Ecclesiasticam

I. Eligere

1. Quivis potest, nisi a jure prohibeatur, *ex cap.* Nos instituta 1. *de Sepulturis;* & merito: si enim quivis habet libertatem disponendi mortis causa de bonis suis, cur non deberet etiam habere libertatem disponendi de proprio Cadavere?

2. Interdicuntur

1. Impuberes, *ex cap.* De Uxore 2. *de Sepulturis & cap.* Licet 4. *eodem titulo* 126., sed, seclusa consuetudine loci legitime præscripta, debent impuberes sepeliri vel in sepulcro Majorum, vel in Parochiali, & ita etiam decisum a Sacra Congregatione refert Ferraris, *verb. Sepultura num.* 101. & 109. *quamvis num.* 102. *advertat* non deesse Doctores magni nominis defendentes quod hodie generaliter & nulla attenta consuetudine permittatur Parentibus eligere sepulturam filio impuberi in quacumque Ecclesia, dummodo hæc facultas exerceatur a Patre pendente vita filii; & ita etiam decisum a Sacra Congregat. refert idem. Puberes vero, licet filiifamilias, possunt sibi eligere sepulturam, *ex cap.* Licet 4. *de Sepult. in* 6. *Ferrar. ib. n.* 94.

2. Regulares professi in Claustris morientes, *ex cap.* Religiosi, 5. *de Sepulturis* 126. Si vero extra Monasterium in loco remoto decedant, possunt sibi eligere sepulturam, & in electa sepeliri, *ex dicto capite, & Glossa*, seclusa electione, si in eo loco existat aliud Monasterium sui Ordinis, in eo sepeliri debent, juxta aliquos, licet Glossa velit, sepeliendos in Ecclesia Parochiali, expensis tamen Monasterii, si hoc bona in communi possideat. Locus autem remotus censetur, si distet a Monasterio per iter unius diei: Novitii autem possunt sibi eligere sepulturam, & non electa, possunt sepeliri in Monasterio, ubi decedunt.

3. Omnes utriusque sexus Sæculares sepeliri in Ecclesiis Monialium, ubi nec construi, nec eligi potest sepultura sine speciali Licentia Sacr. Congregationis, & copulativa Monialium; quæ si non posset obtineri, deberet sepeliri cadaver in Ecclesia Parochiali.

II. Cum cautela; idest

1. Eligens alienam nequit in illa sepeliri nisi consentientibus Patronis ejusdem; sine cujus licentia Rectores Ecclesiarum nequeunt aliquem in tali sepultura sepelire; extinctis tamen omnibus Patronis, Rectores Ecclesiæ possunt non solum alios mortuos ibi recondere, sed etiam sepulturam alteri concedere.

2. Nequeunt superstites mutare, seu Cadaver alia sepeliendum transferre, alias restitui deberet cum omnibus emolumentis Ecclesiæ electæ, *ex jure Innocent. III. ad Decan. & Magistrum Raven. in Rescrip. Alexand. VII. Const.* Alias ex parte, *apud Ferraris Verb.* Cadaver *n.* 11. Quod procedit etiam pro casu, quo quis habens sepulturam Majorum alia non electa, ad eamdem transferri debet.

3. Quatenus electam probare debent Testamentum, vel Codicillus vel Scriptura manu propria exarata, aut saltem subscripta, vel testes, vel demum etiam Confessarii, *Ex Declar. Sac. Congreg. Concilii* 13. *Febr.* 1666. est enim quod facti.

4. Decedens sine electione sepulturæ, sepeliri debet vel in sepultura Majorum, si habet (quo nomine veniunt Avus, Proavus, cæterique ascendentes in linea recta), adeo quod si Pater in una, Avus vero & Proavus in altera sepulti essent, in hac filius sepeliri deberet, & non ubi Pater sepultus est, vel in Parochiali sua Ecclesia, sive dein decedens sit Laicus, sive Clericus non eligens sepulturam: si tamen Clericus non eligens sepulturam sit Beneficiatus, sepeliri debet in Ecclesia seu Cœmeterio, ubi Beneficium habuit.

5. Uxor defuncto jam Marito decedens sine electione sepulturæ (certum enim est, quod possit sibi eam eligere tam ante quam post mortem Mariti, *ex cap.* De Uxore, 7. *de Sepulturis*) sepeliri debet in sepulcro Mariti prætérito sepulcro Majorum: & pro casu quo plures successive Maritos habuisset, sepeliri debet in sepultura ultimi Mariti, *ex cap.* Si qui, 3. *de sepulturis*. 126., & id verum est, etsi Uxor post mortem Mariti locum habitationis mutaret.

6. Maritus decedens sine electione sepulturæ post mortem uxoris, sepeliri debet in sepulcro uxoris, *juxta probabiliorem* fundatam in tacita voluntate Mariti, quidquid aliqui contrarium sentiant.

7. Decedens in assumpto itinere sine electione sepulturæ deferri debet ad locum, ubi jacent ipsius Majores si commode illuc transferri potest, & si in translatione contingat fieri transitus per alienam Parochiam, nequit ratione talis transitus aliquid prætendi a Parocho, cujus Parochiam pertransit, *ex Declaratione Sacræ Congreg. Episcop. & Regul. in una Placentina die* 24. *Nov.* 1713. *apud Ferrar. Verb.* Quart. Funer. *n.* 15. *tum, Verb.* Sepultura *n.* 215., *imo & ex declaratione Imperatorum Valentiniani, Theodosii & Arcadii;* si autem non habeat sepulturam Majorum, aut commode illuc transferri nequeat, debet sepeliri in Parochia, in qua decedit, *ex cap.* 15. *qui* 3. *de sepulturis* 126. Idipsum dicendum de Advenis & Hospitibus decedentibus in Regularium Conventibus, *ex cap.* In nostra 10. *de sepulturis & decisionibus Sacræ Congregationis in una Ravennatensi* 20. *Januar.* 1679. *& Gerundensi die* 3. *Febru.* 1694. *apud Ferraris Ver. Sepult. n.* 26. Quod & idem dicendum de Religiosis itinerantibus, qui pro casu decederent in Conventu alterius Ordinis a suo remoto, non electa sepultura.

8. Oblati, Tertiarii, Famuli degentes intra septa Monasterii, qui Regularibus actu inserviunt, possunt sepeliri in propria Regularium Ecclesia, *ex Decreto Sacræ Congregationis de anno* 1738; secus vero illi, qui quidem actu inserviunt, sed degunt extra septa Monasterii.

9. Puella decedens in Monasterio, in quo educationis gratia detinetur, juxta aliquos sepeliri debet in Monialium Ecclesia. Ast alii contendunt esse sepeliendam vel in sepulchro majorum, si habet, vel in Ecclesia suæ Parochiæ, in qua ipsa habet domicilium, cui etiam debetur quarta funerum pro casu quo sepelienda esset extra propriam Parochiam in sepulcro Majorum, & huic posteriori opinioni favet Rescriptum Sacræ Congregationis de anno 1742. Quod si elegerit sepeliri in Ecclesia Monasterii, debet solvi quarta funerum Parocho loci.

TAB. CXIX. *De Necessitate, Obligatione et Quantitate Restitutionis.*

Restitutio est *actus quo damnum illatum compensatur*, **cujus**

1. Necessitas non est Medii, sed præcepti tam naturalis, quam divini, quod principaliter, & per se *juxta D. Thomam 2. 2. quæst. 62. art. 8. ad* 1. est negativum, prohibens ne retineatur alienum invito rationabiliter domino; & secundario affirmativum, quatenus ex consequenti jubet ut restituatur alienum, quamvis alii velint, principaliter esse affirmativum & secundario negativum: quidquid sit, certum est quod actualis restitutio & in re non sit necessaria necessitate medii ad salutem, sed solum restitutio in voto, seu propositum restituendi, utpote sine quo nulla foret contritio, quæ lapsis est necessaria necessitate medii, juxta alibi dicenda. *Idem in supplem. 3. p. quæst. 6. art. 5. ad 3.*

II. Obligatio oritur ex

1. Sola violatione justitiæ commutativæ, non vero aliarum virtutum, imo nec justitiæ sive legalis, sive distributivæ nisi per accidens, quatenus videlicet simul violatur justitia commutativa, ut si indignis & ineptis (prætermissis dignis) conferantur Beneficia Ecclesiastica, vel officia publica, & inde damnum Reipublicæ sequatur; ex quo sequitur quod restitutio solum fieri debeat quando violatur alterius jus in re, vel ad rem.
2. Sola culpa theologica gravi, si sermo sit de obligatione gravi, seu sub peccato mortali resarciendi damnum illatum, ac pro foro conscientiæ ante judicis sententiam.
3. Culpa Theologica veniali sive ob parvitatem materiæ seu damni illati, sive ex imperfectione actus, seu indeliberatione, in quo tamen casu obligatio resarciendi damnum, licet grave, illatum, attento præcise foro conscientiæ, esset solum sub veniali; quidquid aliqui negent adesse ullam obligationem in foro conscientiæ ex culpa solum levi, & alii velint adesse obligationem sub mortali resarciendi grave damnum, si oriatur ex culpa theologica levi orta ex imperfectione actus, v. g. ob inadvertentiam.
4. Culpa juridica vel lata, vel levi, vel levissima post sententiam judicis, ex quo sequitur, quod post sententiam judicis teneantur resarcire damna illata Caupo, Nauta, Stabularius &c., in cujus domo, navi, vel stabula &c. commissum est furtum, sicut & si quis non extinxisset ignem, ex quo ortum est incendium & combusta domus, licet id contigisset absque culpa ulla theologica, seu absque vel levi peccato.
5. Negligentia admissa in impediendo damno gravi illato ex causa inadvertenter posita, utpote quam tenetur impedire, si potest, sine suo notabili incommodo, & quidem ex justitia; licet aliqui velint solum ex charitate.

III. Quantitas restitutionis

1. Totum id quod ablatum, vel damnificatum est, restitui debet, & quidem ita; quod si res ablata adhuc existat, eadem numero restituenda est, nisi Dominus sit, aut rationaliter præsumatur quod sit, vel esse debeat contentus restitutione alterius rei æquivalentis, uti esse debet respectu occulti furis, aut non habentis amplius rem ablatam.
2. Fructus rei pure naturales, quos scilicet sola natura ex se progignit, nullo, vel vix ullo humano labore, vel industria cooperante, ut sunt animalium fœtus, herbæ, gramina, restitui debent, quia omnis res fructificans suo domino fructificat.
3. Fructus mixti, seu partim naturales, partim industriales, quales censentur illi, ad quos producendos natura simul & industria humana cooperatur, ut segetes, omnesque fructus serendo & colendo producti, ut vinum, oleum, caseus, ad quos reducuntur fructus civiles, nimirum pretia domorum, jumentorum, aliarumque rerum elocatarum pro pretio, a quibus tamen detrahi debent expensæ, ac æstimatio laboris & industriæ, nec non melioramenta necessaria & utilia tam a bonæ, quam malæ fidei possessore.
4. Fructus vero puræ industriæ, seu quos sola humana industria profert, & nullo modo natura ex se producit, ut est lucrum ex rebus de se sterilibus, præsertim usu consumptibilibus, ut pecunia, vino, frumento &c. perceptis ex re aliena a possessore sive bonæ, sive malæ fidei, non sunt restituendi.

N. B. *Nomine culpæ theologicæ venit peccatum mortale, vel veniale, quæ unice consideratur a Theologis præsertim Moralistis.*

2. *Nomine culpæ juridicæ, seu politicæ & civilis venit omissio diligentiæ vel quam solent adhibere in tali negotio prudentes & diligentes, & dicitur* culpa lata; *vel quam solent adhibere prudentiores & diligentiores, & dicitur* culpa levis; *vel quam solent adhibere diligentissimi & solertissimi, & dicitur* culpa levissima, *& hæc culpa juridica consideratur a juristis.*

TAB. CXX. *De Radicibus Restitutionis, et quidem primo de duabus primis ex re accepta et iniqua acceptione,*

Restitutionis radices sunt quinque, scilicet

I. Res accepta, seu res aliena in se vel æquivalenti existens apud alterum sine culpa illius, *quo possessor* dicitur *possessor bonæ fidei*, qui tenetur

1. Inquirere & examinare pro casu quo ob graves & probabiles rationes supervenientes incipiat dubitare, an res illa ab ipso possessa sit sua, vel aliena? perseverante tamen dubio potest eam retinere, imo & alienare.

2. Restituere rem ab ipso possessam quam primum certo scit esse alienam, alias ulterius eam detinendo, fit possessor malæ fidei.

3. Restituere id, in quo factus est ditior parcendo rebus suis, pro casu quo rem alienam bona fide alienasset; nam id, in quo factus est ditior, æquivalet rei alienatæ alienæ.

4. Restituere fructus rei extantes naturales ac mixtos, detractis tamen expensis necessariis & utilibus, secus voluptuosis factis in re aliena bona fide possessa; nec non æstimatione laboris & industriæ: quod si bona fide durante fructus illi absumpti fuissent, teneretur ad id, in quo factus est ditior, & quidem etiam Domino non repetenti, excipe casum quo fructus illi sive naturales, sive mixti fuissent triennio præscripti, juxta dicta in Tab. LXXXVIII.

5. Fructus vero mere industriales non tenetur restituere, & quidem, juxta probabiliorem, etiam pro casu, quo ex eis consumptis factus esset ditior.

6. Ad nullam restitutionem tenetur, si rem alienam bona fide consumpsit, aut eam distraxit, vel eam vendidit eodem, aut minori pretio, & consequenter in nullo factus esset ditior ex re aliena bona fide consumpta.

II. Injusta acceptio, quo nomine venit usurpatio rei alienæ invito rationabiliter Domino; & talis usurpator dicitur *possessor malæ fidei*, qualis est omnis qui possidet rem, quam scit, vel rationabiliter dubitat esse alienam, qui tenetur

1. Ipsam rem alienam adhuc extantem restituere, nec potest pro libitu, ea adhuc in se extante, rem aliam, aut ejus valorem restituere, ex axiomate illo: *solvi non potest aliud pro alio invito Creditore.*

2. Valorem rei secundum se, pro casu quo res ipsa absumpta, alienata, aut deperdita fuisset: saltem extra casum, quo res eadem casu periisset eodem modo apud Dominum peritura, uti contingere posset pro casu universalis incendii.

3. Incrementum rei intrinsecum secundum optimum statum rei non solum quem habuisset apud Dominum, si possessor iniquus eam non sumpsisset, aut detinuisset, sed etiam, quem in manu possessoris iniqui habuit, etsi forte augmentum illud apud Dominum habitura non esset; & hinc qui furatur vitulum, vel bovem macrum, ipsumque factum bovem adultum vel pinguem absumit, aut vendit &c. tenetur restituere pretium, vel æstimationem bovis adulti, vel pinguis secundum optimum statum, quo eum fur habuit, etsi Dominus illum ad talem statum non deduxisset, sed antea consumpsisset, vendidisset, detractis tamen expensis non solum necessariis, sed & utilibus, licet in foro externo iisdem privetur; & si id fiat per judicis sententiam, huic standum etiam pro foro conscientiæ.

4. Lucrum cessans pro casu, quo res illa a Domino reservata, esset distrahenda tempore, quo auctum fuisset pretium, & in dubio: an reservata fuisset? aliquid detrahendum ratione illius incertitudinis, nec quoad hoc adest obligatio standi dictis Domini affirmantis.

5. Damnum emergens, quod censeretur adesse, pro casu quo ratione v. g. equi furto ablati, Dominus debuisset de alio sibi provideri cariori pretio.

6. Omnes fructus rei naturales & mixtos (secus mere industriales) non solum extantes, sed etiam consumptos, licet exinde ditior factus non esset (detractis tamen expensis, & æstimatione laboris & industriæ) & quidem non tantum quos percepit, sed & quos percipere potuisset, pro casu quo eos Dominus percepisset, si rem suam habuisset, secus vero pro casu quo eos nec Dominus percepisset.

N. B. *Qui aliquid accipit contra legem prohibentem aliquid accipere, tenetur illud restituere, & quidem ante judicis sententiam, si acceptio illa secundum se & ex natura sua sit injusta, & hinc accipiens aliquid pro collato, vel conferendo beneficio, tenetur restituere; si vero perceptio illa secundum se non sit mala & injusta, sed dumtaxat quia prohibita jure positivo humano, non tenetur restituere ante judicis sententiam.*

2. *Accipiens aliquid ob turpem causam, vel opus, non est restituendum opere impleto, attento foro interno conscientiæ* ex D. Thoma *in* 4. distinct. 15. art. 4. solut. 5. item 2. 2. quæst. 32. art. 7. in corp., *& hinc non tenetur mulier restituere quod accepit pro usu corporis sui; contra judex quod accepit pro ferenda iniqua sententia, restituere debet ante & post alias impletum opus ex quasi contractu, uti patebit ex Tabula sequenti.*

III. Injusta damnificatio, quo nomine venit damnum culpabiliter proximo illatum, domum v. g. alterius incendendo, de qua in seq. Tab.

IV. Contractus, quo nomine veniunt omnes defectus & negligentiæ commissæ a contrahentibus, de qua radice in sequenti Tab.

V. Quasi contractus, quo nomine veniunt damna, quæ inferuntur ab illis qui aliquod officium exercent, v. g. a Tutoribus, Advocatis, de qua radice in sequenti Tab.

TAB. CXXI. *De Aliis radicibus restitutionis, scilicet ex injusta damnificatione, ex contractu, et ex quasi contractu.*

Restitutionis radices reliquæ sunt

- III. Damnificatio injusta, quæ fit vel
  - 1. Positive, destruendo videlicet, vel deteriorando rem alterius sive directe, sive indirecte, ponendo videlicet causam, aut eam non amovendo, ex quo prævidetur secuturum damnum proximi; & vi hujus adest obligatio restituendi Domino valorem rei vel correspondentem tempori illi quo res destructa, aut deteriorata est, si statim post damnificationem fiat restitutio, vel correspondentem tempori futuro, quem habuisset apud Dominum, si res illa non fuisset destructa, pro casu quo restitutio fieret primo tempore futuro, quo res destructa plus valeret si apud Dominum existeret.
  - 2. Negative, impediendo videlicet proximum a consecutione alicujus boni, quod si
    - 1. Impediatur a consecutione boni debiti ex justitia commutativa, seu ad quod quis habuit jam jus perfectum, seu in re, v. g. a consequendo beneficio sibi jam collato & confirmato: a consequenda donatione mortis causa facta &c., totum fere damnum compensandum est, reddendo videlicet vel ipsum beneficium, hæreditatem &c., aut ejus valorem, detracta tamen æstimatione possessionis nondum habitæ; & id procedit, etsi solis precibus, suasionibus, sine vi, vel dolo impediatur.
    - 2. Impediatur a consecutione boni, ad quod quis habuit jus imperfectum & ad rem tantum, v. g. per legitimam electionem, vel præsentationem; tenetur solum ad æstimationem illius juris, & spei consequendi illud bonum majoris vel minoris, prudentis, ac probi viri arbitrio.
    - 3. Impediatur a consecutione boni, ad quod nullum quidem jus habuit, sed ex libera & determinata jam voluntate alterius conferendi, vi, dolo vel fraude; tenetur ad restitutionem secundum proportionem certitudinis, probabilitatis, vel spei habitæ illius boni consequendi; secus vero si absque ulla vi, dolo, vel fraude.

      N. B. *Titulo damnificationis injustæ adest obligatio restituendi pro foro conscientiæ ante omnem judicis sententiam, solum supposita culpa theologica in damnificante.*
- IV. Contractus, qui si cedat in gratiam & utilitatem
  - 1. Solius recipientis, uti est commodatum & precarium, adest obligatio pro foro conscientiæ ante judicis sententiam solum ex culpa theologica gravi, post vero sententiam etiam ex culpa juridica, quantumvis levissima; loquendo cum exceptione precarii, utpote quod ex speciali juris dispositione obligat solum ex culpa lata juridica, quæ æquiparatur dolo.
  - 2. Solius dantis, uti est depositum; adest obligatio pro foro conscientiæ ante sententiam judicis solum ex culpa theologica gravi: post sententiam vero ex culpa juridica solum lata, non vero levi, aut levissima.
  - 3. Utriusque, scilicet tam dantis, quam accipientis, ut emptio, venditio, locatio &c., adest obligatio pro foro conscientiæ ante sententiam judicis solum ex culpa theologica gravi, post vero sententiam ex culpa etiam juridica lata, & levi; secus vero levissima.

    N. B. *Mox dicta procedunt, secluso speciali assecurationis pacto inito, etiam casum & omnem etiam levissimam culpam præstandi.*
- V. Quasi contractus, qui scilicet, ex una parte, vel communi Reipublicæ, vel implicito tantum consenso perficiuntur, cujusmodi sunt officia Tutoris, Procuratoris, Judicis, Advocati, Medici, Chirurgi, Professorum artium; nam hi attento præcise foro conscientiæ, non nisi ex culpa theologica gravi commissa in administratione suorum respective officiorum, licet intervenisset ex parte Tutoris &c., culpa juridica, etiam lata, ante sententiam judicis, post sententiam vero tenetur etiam ex culpa juridica lata; non vero levi, aut levissima, nisi pro casu quo quis se ultro obtulisset ad exhibendam diligentiam exquisitissimam.

  Circumstantiæ Restitutionis his versibus comprehenduntur:
  Quis, quid restituat, quantum, cui, quomodo, quando,
  Quo ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.

TAB. CXXII. *De Restitutione facienda a Cooperantibus ad alterius damnificationem.*

Restitutio fieri debet a quovis, qui est causa efficax damni alterius physica, vel moralis, sive concurrat

I. Positive, quo modo concurrere censetur

1. Jubens, seu mandans proximi damnificationem, qui tamen si mandatum suum ante executionem verbo, scripto, vel nuncio retractet, aut revocet revocatione quæ perveniat ad notitiam Mandatarii, liber est ab obligatione restituendi & aliis pœnis, licet Mandatarius nihilominus damnum inferat, imo etsi Mandans ratum postea habeat factum ab altero.

Quod si quis non valeret amplius mandatum revocare, teneretur admonere alterum ut sibi caveat, saltem extra casum, quo id faciendo majus damnum sibi esset timendum, quam sit illud quod incurrendum esset ex mandato dato.

Si Mandatarius exequendo sponte, ac libere mandatum patiatur damnum, v. g. privetur bonis, suis, ad exilium mittatur, occidatur, Mandans ad nihil tenetur; bene vero si Mandans sit Superior & mandatum det subdito.

2. Consulens, vel suadens injustam proximi damnificationem, quando in consilio dando intercessit culpa Theologica, tenetur solus damnum suo consilio secutum resarcire, pro casu quo executor bona fide processisset: si vero exequens sciens injustum esse consilium hoc exequatur, ipse primo loco tenetur.

Si consulens sincero animo & efficaci eloquio conetur retrahere alterum, cui dedit consilium, in tali casu non teneretur ad refusionem damni illati *juxta probabiliorem*, quidquid aliqui contrarium sentiant.

Si vero in consilio dando non intercessisset culpa, sed bona fide datum fuisset & ex consilio dato damnum secutum fuisset, non adesset obligatio restituendi, juxta Regulam illam 62. juris in 6. *nullus ex consilio, dummodo non fraudulentum fuerit, obligatur*.

* Excipe illos qui ex officio & professione tenentur dare consilium, inter quos etiam veniunt Confessarii, qui interrogati a pœnitentibus circa obligationem restitutionis negant, vel dissimulant, supposito quod id faciant culpabiliter.

3. Consentiens, quo nomine venit, qui suo suffragio, favore & approbatione externa movet & efficaciter determinat ad inferendum alteri damnum; qui si ex officio teneatur non consentire, & impedire possit, tenetur ad restitutionem damni suo consensu illati, saltem extra casum, quo præciso suo suffragio damnum secutum fuisset, uti contingeret si major pars consentientium, seu suffragantium staret, vel stetisset pro parte damnificantium.

4. Palpans, seu Palpator, quo nomine venit, qui alterum excitat efficaciter ad damnum inferendum tertio, sive adulando, laudando, exprobrando alterius ignaviam, vecordiam, pusillanimitatem &c., etsi hoc faciens directe non intenderet alterius damnificationem, dummodo præviderit, aut prævidere potuerit, eam sequi posse ex iniqua hac agendi ratione.

5. Recursum præbens; quo nomine venit, qui custodit, defendit damnificantes in ordine ad damnum inferendum, aut illatum non compensandum, cujusmodi sunt, 1. Advocatus, & quivis alius causæ manifestæ patrocinium aperte, vel occulte ferens: secus vero defendens in judicio furem in iis, in quibus potest seipsum defendere, ut si crimen esset occultum, vel non semiplene probatum, &c. 2. Caupones vel alii, qui Filiosfamilias, contra parentum voluntatem, domo excipiunt ad prodigendas pecunias profectitias compotationibus, lusibus &c. 3. Receptor furis, quatenus formaliter fur est, vel detentor rei alienæ, videlicet expressa, vel tacita intentione, ac in ordine ad commodius & securius furandum, aut res furtivas deponendas, vel detinendas; secus vero si receptio fiat post damnum illatum titulo charitatis, vel amicitiæ, ne fur capiatur, dummodo restitutionem non impediat, sed promoveat. 4. Accipiens rem furtivam celandi causa.

6. Participans

In ipsa re injuste ablata, vel detenta sine relatione ad alios ad idem damnum inferendum concurrentes, tenetur pro rata sua, non vero in solidum.

In actione injusta damnificante alterum, qualis censetur ille, qui quocumque auxilio, vel consilio præstito alteri ad damnum inferendum formaliter cooperatur, tenetur in solidum, nisi ex metu mortis, vel alterius gravis mali id faciat per actionem de se indifferentem.

II. Negative, quales censentur concurrere

7. Mutus, seu ille, qui cum posset & deberet verbo vel signo, non impedit, scilicet non loquitur, non prohibet, non clamat, non scribit, vel monet ante damnum factum ad illud impediendum.

8. Non obstans, seu ille, qui cum possit & debeat ipso facto, non impedit, scilicet non defendit, non repellit, non custodit, aut alia ratione non avertit damnum, cum de facto infertur.

9. Non manifestans, seu ille, qui post damnum jam illatum non revelat damnificantem, vel non admonet damnificatum in ordine ad damni illati compensationem, vel rei ablatæ recuperationem.

* Præfati sequentibus versibus comprehenduntur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

N. B. 1. *Prædicti, sive positive, sive negative cooperantes, ut censeantur obligati ad restitutionem, debet constare, quod efficaciter influxerint in secutum damnum, quod censetur, quando ex tali causa v. g. jussione, consilio &c. alter vere movetur ad inferendum damnum & sine iis non fuisset causatum; quod si dubitetur, num concurrens ad damnum illatum fuerit causa efficax, seu vere influxerit, judicandum vere influxisse, si certus est de mandato, consilio dato & damno secuto; licet quidam velint, solum pro rata dubii restitutionem faciendam.*

2. *Si præcisa cooperatione, v. g. præciso mandato, consilio &c. dato ad damnificandum proximum, damnum illud illatum fuisset ab altero, cui datum fuit mandatum, consilium &c., in hoc casu aliqui volunt obligari, id non obstante, ad restitutionem, quamvis negent alii antiquiores & primæ classis Theologi, uti refert Billuart.* fol. 288. n. 7. *quibus videtur sat clare favere D. Thomas, tum* in 4. distinct. 13. qu. 1. art. 5. in solut. ad quæstiunc. 3. *tum* 2. 2. qu. 62. art. 7.

TAB. CXXIII. *De Ordine, quo tenentur restituere cooperantes ad damnificationem.*

Ordo Restitutionis a cooperantibus, vel concurrentibus ad damnificationem proximi servandus, id est

I. Inter cooperantes, vel concurrentes positive

1. Sine relatione ad alios eidem damnificantes, tenentur pro rata seu pro sua parte, cum non sint causa totius damni; si vero cooperentur cum relatione ad alios, videlicet cum communi consensu, conspiratione & opera, quivis tenetur ad restitutionem in solidum, seu totum damnum illatum compensare.

2. Ad rem aliquam auferendam, tenetur primo loco restituere ille qui rem alienam apud se habet, sive in re, sive in æquivalenti, seu valorem illius, pro casu quo res ablata fuisset consumpta, & eo restituente alii cooperantes ad nihil tenentur, nisi aliquis eorum de re ablata partic passet.

3. Cum relatione ad alios ad solam damnificationem proximi, prius tenentur illi, qui *positive* cooperati sunt ad damnum, deinde qui *negative*.

4. Æqualiter ad damni illationem; uti contingeret, si plures adfuissent mandantes vel consulentes damnum proximi, tunc æqualiter restituere debent; uno autem deficiente, cæteri tenentur in solidum, quia moraliter totum damnum a singulis infertur. Hinc si plures auferant trabem vel cistam, quam quilibet per se auferre non potest, singuli tenentur ad restitutionem totius trabis & contentorum in cista, etiam pro casu quo ignoraretur vel dubitaretur num reliqui satisfecerint vel satisfacturi sint, *juxta probabiliorem & veriorem*, & uno totum refundente; cæteri partem suam refundere debent.

5. Inæqualiter, uno videlicet mandante, altero consulente, tertio exequente, primo loco tenetur Mandans *ex D. Thoma* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. 2., præsertim vero si Mandans sit præditus auctoritate, cui nimirum exequens aliquo modo subjiciatur, ut Dominus respectu servi; & hoc restituente ad nihil tenetur Executor; & si Exequens restituat, tenetur ei restituere Mandans, qui si non refundat, ad nihil tenentur reliqui, sive positive, sive negative concurrentes.

6. Inæqualiter ad damnum proximi inferendum, tenetur secundo loco ad restitutionem damni illati Executor, qui auctoritate & nomine Mandantis agit, & consequenter ante Consulentem, Consentientem &c., & quidem in solidum, & eo refundente cæteri cooperantes ad nihil tenentur, si tamen quis bona fide secutus consilium datum a Consiliario Principum, Advocato, Jurisperito, Confessario damnum intulisset, v. g. contractum iniquum celebrasset, Executor immunis esset a restitutione, & solus Consulens esset obligatus, supposito tamen quod culpabiliter errasset in dando consilio.

7. Ut reliquæ cuasæ, id est consulens, consentiens, palpo &c., ad damnificationem nullus est ordo; sed omnes tenentur æque primario, ita tamen ut alii ad plus, alii ad minus teneantur pro ratione influxus, adeoque Executore non restituente, reliqui positive concurrentes, videlicet Consulens, Consentiens &c. tenentur ad restitutionem; & restituente Consulente vel Consentiente, aut Palpone, tenetur eis refundere exequens.

II. Inter negative solum concurrentes

1. Ad damnificationem (qui solum tenentur ad restitutionem in defectu causarum positive concurrentium), nullus ordo admittitur, juxta communem, licet quidam velint, quod Mutus & Non obstans teneatur ad totum ante Nonmanifestantem.

2. Illi omnes & soli non impedientes damnum alterius, tenentur ad damni secuti recompensationem in defectu positive concurrentium, qui ex justitia, scilicet ex officio vel contractu aut quasi contractu erant obligati impedire, ut sunt Magistratus, Senatores, Consiliarii, Advocati, Medici, Custodes, Administratores, Curatores, Testes falsum deponentes cum damno tertii, Famuli, omnesque mercede conducti ad res alienas custodiendas vel procurandam alterius indemnitatem, & neglexerunt culpa gravi theologica interveniente; non autem illos, qui solum ex charitate tenebantur, etsi ex pura malitia, odio vel vindicta non impedirent *ex D. Thoma*: & hinc plures Doctores eximunt ab obligatione restituendi Confessarium non monentem pœnitentem de obligatione restitutionis ex quacumque causa, negligentia, oblivione, ignorantia, verecundia, metu, vel etiam malitia, sive ex justitia, uti Parochi, sive ex charitate, uti alii Confessarii. Alii tamen utrosque volunt obligari ad restitutionem, supposita culpa gravi Theologica in confessario non monente.

N. B. *Damnum passo remittente obligationem principali vel obligato primo loco, cæteri omnes liberari; si vero remittat illi, qui secundo loco obligatur, liberantur omnes, excepto primo; si remittat uni æqualiter obligato, cæteri omnes ejusdem ordinis; & etiam inferiores liberantur a restitutione partis, quam ille deberet restituere, non vero suæ partis; & hinc si tres æqualiter tenerentur restituere* 30. *florenos, & Dominus remittat uni, cæteri duo adhuc tenerentur restituere* 20.

TAB. CXXIV. *De Ordine servando in restitutione facienda propter debita contracta*.

In Restitutione facienda ab eo qui pluribus debitis est gravatus

I. In genere, si est omnibus solvendo, præferri debent debita

1. Certa incertis *juxta communem*, quamvis aliqui probabilius judicent quod nullam præferentiam habeant debita certa præ incertis, quod extra dubium esset, si res debita Creditori incerto extaret in propria specie, apud iniquum possessorem, quæ si vero Domino restitui non posset, utpote ignoto, pauperibus, vel Ecclesiæ restituenda est, & non Creditoribus aliis certis.

2. Certa, quocumque titulo contracta, solvenda sunt nullo servato ordine, si debitor sit solvendo; dummodo omnibus Creditoribus solvatur quod eorum est; supposito autem, quod debitor non sit omnibus solvendo: Ante omnia debita realia, ut si res aliena apud debitorem existat, cujus dominium non acquisivit debitor, quocumque modo existat sive juste, ut titulo commodati, depositi &c., sive injuste, ut furto, debet restitui domino, postpositis omnibus aliis Creditoribus; & hinc res empta & tradita non soluto pretio, nec assecurato per pignus, fidejussionem, vel saltem promissionem emptoris, debet integra restitui venditori præ aliis Creditoribus; si tamen pretium nondum solutum fuisset, attamen assecuratum sive per pignus, sive per fidejussorem, imo juxta probabiliorem, etiam per nudam promissionem factam venditori ab emptore, tunc venditor nullum jus præferentiæ habet, & ideo talis res existens apud emptorem cum aliis ejusdem Debitoris bonis confundi & omnibus Creditoribus pro rata satisfieri debet.

3. Contracta sive ex delicto, sive ex contractu oneroso prius solvi debent, quam contracta ex contractu gratuito, v. g. promissione, donatione. Unde si quis alteri aliquid deberet titulo donationis, promissionis, legati, alteri vero titulo oneroso emptionis, commodati, &c., huic prius integre satisfacere deberet.

4. Contracta ex delicto & ex contractu oneroso nullam admittunt præferentiam, *juxta probabiliorem*; sed ea æquo ordine prima restituenda sunt pro rata, quidquid in contrarium velint aliqui præferenda quæ ex delicto; aliqui quæ contracta sunt ex contractu oneroso. Ex quo sequitur quod si quis uni ratione furti, alteri teneatur ratione empti, utrique pro rata æque primo satisfacere debeat.

II. In specie, si non est omnibus solvendo, præferri debent

1. Primo loco debita privilegiata, qualia sunt expensæ necessariæ ac moderatæ funerum pro Marito, Uxore, Prole, vel alio, quem sepelire tenetur debitor; item expensæ factæ pro conficiendo & aperiendo testamento, pro conficiendo inventario, pro Medicis, Chirurgis, Pharmacopolis; item plerisque in locis, mercedes servitiorum & operariorum ad necessarium usum conductorum: hæc enim debita reliquis omnibus secundum æquitatis rationem præferuntur.

2. Secundo loco debita hypothecata sive expresse, sive tacite, sive generaliter, sive specialiter, & inter plures Creditores hypothecarios habens hypothecam expressam præfertur habenti solum tacitam: habens generalem præfertur habenti tantum particularem: & inter plures habentes omnino similem hypothecam præfertur prior posteriori; imo aliqui volunt, inter Creditores hypothecarios, qualiscumque sit hypotheca, solum habendam esse rationem prioritatis temporis, loquendo cum exceptione quorumdam casuum in Jure Civili expressorum, inter quos venit Uxor, & ejus descendentes quoad dotem perceptam a Marito, quæ vi hypothecæ generalis præferri debet omnibus aliis Creditoribus hypothecariis, non autem Creditoribus habentibus anteriorem hypothecam specialem & expressam ad matrimonium contractum & stipulationem factam a marito.

3. Tertio loco Creditores simplices, seu Chirographarii, qui neque sunt privilegiati, neque hypothecarii, inter quos servandus est ordo prioris & posterioris, adeo quod prius sint solvenda debita tempore priora, quam debita tempore posteriora, juxa Regulam illam 54. juris in 6. *qui prior est tempore, potior est jure*, quamvis aliqui velint nullum ordinem servandum esse ratione prioritatis debiti, sed omnibus indiscriminatim solvendum esse pro rata secundum proportionem debitorum & facultatem debitoris.

4. Creditores simplices pauperes, qui gaudent prælatione solutionis ad Creditores divites, in solo casu quo illi premerentur extrema vel gravi necessitate, quidquid aliqui contrarium sentiant.

5. Inter Creditores simplices sunt qui prius petunt, quod si unus prius petat in judicio, & obtineat in sui favorem sententiam, omnes concedunt, talem præferendum esse; si vero solum privatim petat, seu extra judicium, communior & probabilior tenet, talem etiam præferri posse, quamvis aliqui negent; quod si Debitor alicui Creditori, licet non petenti, totum debitum solveret, & per hoc redderetur impotens aliis æqualibus Creditoribus solvendi, peccaret contra justitiam, cujus etiam reus esset, pro casu quo debitor admoneret Creditorem ut petat sive in, sive extra judicium debitum, quidquid aliqui in hoc quoque casu extendant privilegium a jure concessum vigilantibus ac petentibus.

N. B. 1. *Plures Creditores, si unus percipiat a Debitore totum, seclusa dicta prævia petitione, cum præjudicio cæterorum creditorum privilegiatorum, & creditor percipiens totum, sciat, aliis privilegiatis per hoc fieri injuriam, tenetur creditor ille ad restitutionem ante Judicis sententiam; imo ad id tenetur, etsi alii creditores essent omnino pares, seu non haberent jus prælationis* juxta probabiliorem, *quidquid aliqui pro hoc posteriori casu contrarium sentiant.*

2. *Leges Civiles & Canonicæ præscribentes ordinem mox dictum servandum in debitorum solutione, quidam volunt obligare solum pro foro externo, alii tamen volunt obligare etiam in conscientia ante omnem Judicis sententiam.*

TAB. CXXV. *De Tempore et Modo, quo facienda est restitutio Debitorum.*

Restitutio facienda

I. Tempore

1. Statim, loquendo de restitutione debitorum ex delicto contractorum; quod si statim commode fieri non possit, debet peti dilatio ab eo qui potest usum rei concedere *ex D. Thoma* 2. 2. *qu.* 62. *art.* 8. *in corp.*; tamen *statim* quoad externam solutionem accipi debet moraliter, idest quam primum moraliter & commode quis restituere potest.

2. Non restituens alienum, data opportunitate, continuo & singulis momentis peccat, qui tamen non plura numero distincta peccata committit, sed unum dumtaxat continuatum, quod æquivalet multis; nisi propositum primum non restituendi fuisset moraliter interruptum, propter dicta in Tab. X., si tamen differatur ad unam vel alteram diem, non videtur excedere culpam venialem.

3. Præfixo in contractu (si sermo sit de restitutione debitorum ex contractu, v. g. mutuo, locato &c.), tempore impleto adest obligatio, seclusa etiam prævia monitione, ad inducendam tamen obligationem gravem & culpam mortalem ratione dilationis attendi vel maxime, debet, an talis mora vel dilatio sit damnosa notabiliter Creditori.

4. Si nullum in contractu præfixum sit tempus, obligatur debitor quamprimum creditor congruo tempore, juxta suam necessitatem vel utilitatem, aut communem consuetudinem, debitum suum exegerit.

5. Vi cujus

1. Differens culpabiliter solutionem debiti ex contractu, culpa videlicet theologica gravi intercedente, tenetur compensare omne interesse, seu lucrum cessans & damnum emergens. Hinc culpabiliter non solventes mercatoribus, v. g. merces emptas, Opificibus operas factas, tenentur ad lucrum & damnum, quod inde eis cessat vel emergit; secus vero si nulla intercessit culpa theologica gravis vel non nisi levis, sed id factum fuisset ex impotentia vel difficultate solvendi vel ex ignorantia, aut oblivione inculpabili; aut etiam, quia debitor bona fide putavit Creditorem non esse graviter invitum ad modicam talem dilationem.

2. Potens commode solvere simul totum debitum, sive ex re accepta, sive ex contractu, non satisfacit suæ obligationi restituendo successive per partes; & persistens in hac prava voluntate nequit a Confessario absolvi.

II. Loco

1. Restitutio rei alienæ bona fide acceptæ restitui debet in loco ubi eam possidet, nec debet transmitti ad Dominum absentem, sed hic sciscitandus, quid velit fieri de re sua: alias si præcisa hac sciscitatione Debitor transmitteret rem illam ad Dominum, se exponeret periculo amittendi rem & expensas.

2. Si restitutio facienda sit a possessore malæ fidei titulo injustæ acceptionis, detentionis aut damnificationis, fieri debet expensis Debitoris in loco in quo eam possedisset Dominus si ablata non fuisset; quod verum est, etsi expensæ pro transmittendis rebus injuste acceptis ad Dominum multum crescerent. Excipe casum, quo expensæ faciendæ longe superarent rei ablatæ vel damnificatæ valorem, nam in hoc casu posset differri saltem ad tempus quo minori dispendio fieri posset, ita exigente æquitate naturali, & interim res tuto loco deponi, & Domino significari, *ex D. Thoma* 2. 2. *qu.* 62. *art.* 5. *ad* 3.

3. Debitor ex contractu debet restituere rem in loco de quo expresse vel tacite inter partes conventum est; & si translatione opus est, fieri debet expensis Debitoris, etsi res eadem specie, v. g. hic equus commodatus restituendus esset.

4. Si restitutio rei alienæ determinatæ in individuo, quocumque titulo existentis apud Debitorem, restituitur, sive per nuncium missum a Domino rei, sive per nuncium alias judicatum fidelem, assumptum a Debitore cum facultate facta a Domino ipsum obligandi ad placitum, & res illa sive casu, sive culpa nuncii pereat, perit Domino: secus Debitori, si hic fuit in culpa.

5. Si restitutio rei determinatæ in aliquo genere, v. g. centum floreni, tot modii frumenti ex mutuo vel emptione restituendi sunt, & res illa sive malitia electæ personæ, licet alias fidelis, sive quocumque casu, non perveniat ad Creditorem, Debitori perit, isque denuo restituere tenetur, & in omni jure & foro obligatus manet.

6. Si restitutio facienda sit rei debitæ titulo injustæ acceptionis, detentionis vel damnificationis, & fiat per manus etiam fidelissimæ personæ, v. g. Confessarii (dummodo non fuerit persona electa ab ipso Creditore vel relicta in libertate Debitoris eligenda): in tali casu, si non perveniat ad manus Creditoris quacumque de causa, etiam casu, perit ipsi Debitori, saltem extra casum, quo ad evitandam infamiam restitutio fieri non posset, nisi per Confessarium, uti non raro contingit, & fiat per Confessarium minime suspectum.

TAB. CXXVI. *De Causis excusantibus a restitutione bonorum fortunae.*

Causæ excusantes a restitutione bonorum fortunæ sunt sequentes

I. Impotentia non solum physica, quando scilicet aliquis pro tunc non habet unde solvat, vel restituat, sed etiam moralis, quando non posset fieri restitutio, nisi cum suo notabili & majori detrimento, quam patitur creditor ex dilatione restitutionis: quod si negata solutione creditor deberet incurrere simile damnum, vel detrimentum, debitor teneretur restituere; impotens restituere in proprio genere bonorum non tenetur restituere in alio genere, præsertim superiore; & hinc nemo tenetur restituere bona fortunæ proximo debita cum proprio damno animæ, famæ, vel libertatis.

II. Necessitas propria quoties restitutio fieri non potest absque damno vel periculo

- Salutis, seu animæ, ut si debitor ablatis omnibus per restitutionem lapsurus esset in desperationem, aut mediis illicitis sustentationem quæsiturus.
- Corporis, seu vitæ, ut si debitor facta restitutione, fame perire deberet, aut defectu medicinæ comparandæ morbo absumendus, vitam misere toleraturus esset.
- Famæ, vel libertatis amittendæ, ut si debitor restituere nequeat, nisi se ipsum vendendo pretium comparet, aut veniat in suspicionem occulti criminis, indeque diffamandus, aut forte capiendus.
- Status sui honesti & juste acquisiti mutationis totalis, ut si homo nobilis dimisso omni famulitio, divendita omni supellectili, domo, equis &c., deberet aliis servire, artem mechanicam, aliudve officium statui suo indecorum exercere; secus vero si solum deberet diminuere statum suum, aut etiam totaliter mutare statum injuste acquisitum.
- Incurrendi gravius damnum, quam sit damnum creditoris; quæ omnia reducuntur ad impotentiam physicam, vel moralem.

III. Cessio bonorum facta creditoribus a debitore impotente omnia debita solvere, vi cujus pro foro

- Conscientiæ non deobligatur quis simpliciter, sed tantum secundum quid & quatenus sua impotentia inculpabiliter se extendit; & ideo redeunte meliori fortuna, reliquum restituere obligatus manet, & consequenter ad laborandum & acquirendum unde solvat integre; & licet pro eodem foro posset sibi occultare necessaria ad suam honestam sustentationem spectata conditione sui status, iniquissima tamen est praxis eorum, qui cessuri bonis, prius pretiosiora seponunt & occultant.
- Externo deobligatur ex dispositione legis gravatus debitis, non quidem ex delicto contractis (quidquid Aliqui admittant) sed ex contractu, seu respectu illius debitoris, quem licet honeste viventem, aut licite negotiantem sine sua culpa, adversa fortuna depressit; talis cedens bonis suis, nec potest propter debita coram Judice conveniri, nec carceri tradi, & si traditus fuisset debet dimitti, & si post cessionem aliquid modicum ad decentiam status necessarium acquisiverit, non posset iterum a prioribus creditoribus conveniri, ut hæc ejus pauca bona vendantur; bene vero si multa acquireret v. g. hæreditate.

  N. B. *Imo attento rigore Juris & consequenter spectato foro externo ex bonis acquisitis ante cessionem non relinquitur debitori congrua sustentatio, sed cogitur in foro externo omnibus omnino bonis cedere nihil penitus sibi retento.*

  2. *Cessio bonorum introducta a lege juxta probabiliorem non habet locum sive respectu debitoris ex delicto, uti insinuatum, sed neque ex contractu, qui sua culpa v. g. ex crapula, prodigalitate, studiosa dissipatione, vita luxuriosa & hujusmodi factus est impotens: respectu enim talis debitoris locum habet illud:* qui non habet in ære, luat in pelle.

IV. Remissio creditoris, ad quam requiritur

- Ut remissio seu condonatio fiat a potente condonare, qui scilicet habet rerum suarum actuale dominium & liberam administrationem, & ideo nulla est, si fiat a filiofamilias, pupillo, Religioso.
- Ut lex non obstet, uti obstat respectu Episcopi in visitatione recipientis aliquid ultra sumptus necessarios ad victum, Judicis delegati aliquid accipientis a partibus præter exculenta & poculenta, Canonici non interessentis horis canonicis in ordine ad recipiendas distributiones.
- Ut remissio debiti sit legitima, seu facta libere, sine vi, vel fraude: & ideo nulla est metu, vel fraude extorta, sicut nec si facta esset, quia debitor se finxit impotentem & longe pauperiorem, quam sit: & hinc componentes cum creditoribus prætextu indigentiæ, ut partem remittant, qui alias plus solvere possent, non sunt securi in conscientia.
- Subsistit facta sive expresse, sive tacite, ut si instrumentum creditor laceret, aut reddat debitori.

V. Compensatio sive facta sibi ipsi pro casu, quo creditor ipse vicissim debitori aliquid deberet juxta dicta in Tab. LXXVI., sive facta a debitore ipsi creditori per æquivalens aliunde collatum vel tantumdem donando, legando, officium aliquod tanti valoris procurando, aliudve beneficium exhibendo, supposita in debitore intentione pro ejusmodi satisfaciendi debito suo.

VI. Interitus rei in specie debitæ sine culpa & mora debitoris, imo licet etiam intercessisset mora culpabilis pro casu, quo eadem res eodem modo apud dominum periisset, uti contingere solet in universali incendio.

VII. Compositio cum summo Pontifice, quæ solum locum habet in debitis incertis, seu dum creditores sunt incerti, etsi dicatur, quod restitutio debitorum incertorum de jure naturæ fieri debeat ad causas pias, & hinc Paulus III. *Constit.* Cupientes, *edita an.* 1542. *die* 21. *Martii in Bull. Cherub. fol.* 666. concessit Judæis, aliisque infidelibus conversis, retentionem bonorum, filiisque familias legitimam, imo & bona illicito quæstu quæsita v. g. usura, quando personæ, quibus restitui deberent, sunt ignotæ, posse ipsis applicari, quod & confirmatum legitur a Clemente XI. *Constit.* Propagandæ, *an.* 1704. *apud Ferraris Verb.* Hebræus *fol.* 280. Si vero certi essent creditores, non habeat locum dicta compositio, prout expresse declararunt dicti Pontifices.

VIII. Ingressus in Religionem, si ingrediens nec in re, nec in spe habeat, unde solvere possit, hoc est, si nihil habet, nec acquirere possit manendo in sæculo: si vero manens in sæculo & longo tempore posset satisfacere, non posset licite ingredi, quamvis plures cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 189. *art.* 6. *ad* 3. & D. Antonino, velint, statim posse ingredi, supposita cessione bonorum, licet manendo in sæculo posset lucrari & creditoribus satisfacere; si tamen intra breve tempus, v. g. intra unum, vel alterum annum, vel mensem posset satisfacere, neutiquam posset ingredi Religionem; ingressus autem semel Religionem gravatus debitis licite, vel illicite, professio in ea emissa est valida ex decreto Clementis VIII., nec tenetur sive ipse in Religione dare operam satisfaciendi, sive Monasterium ejus debita solvere extra casum, quo in susceptione candidati, aut ante professionem Monasterium sese obligasset satisfacere pro debitis a candidato contractis.

TAB. CXXVII. *De Numero, Valore, Liceitate, et Effectibus Sacramentorum novae Legis.*

Sacramentum novæ legis est *signum sensibile gratiæ invisibilis ad nostram justificationem divinitus institutum*, cujus

- I. Numerus est septenarius, scilicet.
  - 1. Baptismus, cujus finis est tollere originale.
  - 2. Confirmatio, cujus finis est reddere homines constantes in professione fidei.
  - 3. Eucharistia, cujus finis est nutrire ac confortare animam per modum cibi et potus spiritualis.
  - 4. Pœnitentia, cujus finis est delere peccata personalia.
  - 5. Extrema Unctio, cujus finis est tollere reliquias peccatorum.
  - 6. Ordo, cujus finis est confectio Eucharistiæ.
  - 7. Matrimonium, cujus finis est propagatio generis humani, & sedatio concupiscentiæ.

  Baptismus & Pœnitentia dicuntur sacramenta mortuorum, reliqua quinque vivorum.

- II. Valor dependet a
  - 1. Materia tum remota, quæ sunt res, ut aqua, panis &c. tum proxima, quæ sunt actiones v. g. ablutio, unctio &c., & forma, quæ sunt verba formaliter talia, tanquam partes intrinsecæ constitutive, loquendo de sacramentis in usu consistentibus, & consequenter (cum exceptione Eucharistiæ, saltem in facto esse consideratæ): & licet solum mutatio substantialis, non vero accidentalis materiæ & formæ irritet Sacramentum; attamen si mutatio accidentalis fieret sive ex contemptu, sive ad inducendum usum contrarium ritui Ecclesiæ, vel cum scandalo, aut periculo errandi circa substantialia, proculdubio esset peccatum mortale, quibus seclusis mutatio solum accidentalis ob levitatem materiæ est solum culpa venialis. Nequit tamen extra necessitatem administrare sacramentum cum materia, vel forma dubia; imo nec in necessitate, loquendo cum exceptione Sacramentorum Baptismi, & Pœnitentiæ.
  - 2. Ministri intentione non solum materiali faciendi actionem, & cæremoniam externam, sed & formali conficiendi Sacramentum, seu rem sacram, saltem generali & confusa, quam censetur habere, qui ponendo actionem externam volunt facere quod facit Ecclesia, vel quod faciunt Ministri Christiani, aut quod Christus instituit; quæ tamen non debet necessario esse actualis, sed sufficit ut sit virtualis, minime tamen habitualis, saltem respectu sex priorum, & multo minus solum interpretativa, vel conditionata de futuro.
  - 3. Subjecti suscipientis sacramenta intentione, si sermo sit de adultis usum rationis habentibus suscipientibus alia præter Eucharistiam, quæ per se loquendo sufficit ut sit virtualis, minime tamen interpretativa.

    N. B. *Non vitiatur sacramentum, si cum errore solum interno forma consueta proferatur, ut expresse inquit D. Augustinus* lib. 4. de Baptis. c. 15. *Hinc ab Ecclesia Baptismus Arianorum admissus est, quamvis hi credant, quod Filius & Spiritus Sanctus sint creaturæ, dummodo habeant intentionem faciendi quod Christus instituit, & merito: nam formæ mutatio non contingit ex privato cujusque arbitrio, seu ex communi usu, hominumque dispositione.*

- III. Liceitas exigit statum gratiæ tum in Ministro ex officio, seu solemnitatis, idest speciali consecratione ad conficienda sacramenta deputato; secus vero necessitatis, qualis etiam reputatur Sacerdos in necessitate administrans sacramenta *ex D. Thoma 3. part. quæst.* 64. *art.* 6. *in corp.*, tum in subjecto ex suscipiente juxta dicenda in sequenti Tabula.

- IV. Effectus respectu
  - 1. Omnium, est causare in suscipiente non ponente obicem gratiam sanctificantem *ex opere operato*, seu ex vi & efficacia ipsius operis externi sacramentalis a Christo Domino instituti, ita tamen, ut specie diversa inæqualem conferant gratiam, licet æqualiter dispositis; imo idem omnino sacramentum inæqualiter dispositis inæqualem confert gratiam, & quidem *ex opere operato*, quia major illa dispositio se tenens ex parte suscipientis non habet rationem causæ, sed solum conditionis.
  - 2. Mortuorum, est causare primo & per se primam gratiam, secundario & per accidens secundam, seu augmentum gratiæ.
  - 3. Vivorum quorum est *per se* causare secundam gratiam, seu augmentum; *per accidens* vero etiam primam in casibus; videlicet cum quis
    - 1. Putans bona fide se esse in gratia, eo quod facto diligenti examine nullius peccati mortalis recordetur, accedit ad Eucharistiam.
    - 2. Conscius sibi peccati mortalis non habens copiam Confessarii accedit ad Sacramentum aliquod vivorum cum actu doloris, quem putat esse veram & perfectam contritionem, qui tamen revera talis non est.
    - 3. Cum sola attritione supernaturali de peccatis confessus, sed ex malitia Sacerdotis non absolutus, prudenter tamen existimans se esse absolutum, & consequenter contritum, suscipit aliquod sacramentum vivorum.
  - 4. Omnium, est causare præterea gratiam sacramentalem consistentem in jure quodam ad specialia auxilia suo tempore & loco percipienda pro exequendis actionibus sacramentalibus necessaria, v. g. in Eucharistia ad actus charitatis, & devotionis, quibus anima spiritualiter nutritur, quod jus amittitur ab eo, qui per peccatum mortale excidit a gratia sanctificante.
  - 5. Trium, scilicet Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, est insuper imprimere characterem spiritualem, & indelebilem, saltem in hac vita (quidquid sit, an remaneat in altera vita) in anima eorum aliquod suscipientium, & hinc iterari non possunt.

- Necessitas: Baptismus est omnibus omnino necessarius necessitate medii in re, vel saltem in voto: Pœnitentia est necessaria necessitate medii in re, vel saltem in voto lapsis in peccatum mortale post baptismum. Reliqua quinque sunt necessaria necessitate præcepti affirmativi tempore, circumstantiis determinatis obligantis.

- VI. Obex respectu gratiæ positivus est peccatum mortale cognitum, volitum, & positive non retractatum. negativus obex est idem invincibiliter ignoratum, quorum primus ablatus per contritionem, vel attritionem cum sacramento, secundus vero per attritionem, relinquit Baptismo vim reviviscendi, secus vero aliis sacramentis, saltem in ordine ad producendam gratiam habitualem, quamvis aliqui velint, attribuendam etiam talem vim Sacramentis Ordinis, & Extremæ Unctionis, imo & Matrimonio, non vero Eucharistiæ, & Pœnitentiæ.

  N. B. *Sacramenta licite peti nequeunt a malo Ministro sive ex officio, sive exposito, sive parato, cum ab alio meliori peti possunt, nisi urgeat aliqua necessitas: imo juxta aliquos (etiam aliqua utilitas spiritualis, v. g. lucrandi indulgentias) urgente tamen mortis periculo possunt peti etiam a non parato, licet esset excommunicatus non toleratus.*

  2. *Nequeunt Sacramenta administrari sub conditione, exceptis quæ iterari non possunt. Hinc aliqui condemnant praxim absolventium sub conditione, extra casum, quo homo subita vi morbi opprimitur, quamvis plures alii affirment.*

TAB. CXXVIII. *De Institutore, Ministro et Subjecto Sacramentorum novae legis in Genere.*

Sacramentorum novæ legis

I. Institutor

1. Potestate auctoritatis est solus Deus, cum solus potuerit eligere signum sensibile, eique tribuere vim significandi & causandi gratiam.

2. Potestate commissa & delegata est Christus ut homo, utpote qui habuit potestatem, & quidem excellentiæ propter unionem hypostaticam a Deo acceptam, eligendi signa sensibilia, eisque annectendi gratiam, quam promeruit.

3. Hac igitur potestate omnia sacramenta novæ legis sunt instituta a Christo Domino, prout fides docet, & quidem immediate & per se, *juxta communiorem*.

II. Minister

1. Primarius est Christus, ut homo, utpote cujus nomine administrantur sacramenta, juxta illud Joannis 1. v. 33. *Hic est qui baptizat*.

2. Secundarius ordinarius, seu secundum legem a Christo præscriptam, est solus homo Viator ratione utens, utpote, qui nomine Christi conficit sacramenta.

3. Ex officio, seu *solemnitatis* dicitur, qui confert sacramenta speciali consecratione ad ea conficienda deputatus, qualis est Sacerdos celebrans Missam, absolvens a peccatis.

4. *Necessitatis* dicitur, qui sine tali consecratione & deputatione administrat sacramentum, ut quivis Viator in necessitate baptizans vel matrimonium contrahens.

5. Non quivis homo Viator potest esse Sacramentorum novæ legis (loquendo cum exceptione Baptismi & Matrimonii), sed solus ille, qui in Ecclesia ad hoc ordinatur.

6. Administrare tenentur Sacramenta curam animarum habentes, ut Parochi suis Parochianis non solum in mortis periculo, etiam morbo contagioso laborantibus, sed quoties rationabiliter postulant Parochiani, & deficientibus Parochis, alii privati sacerdotes, præsertim Religiosi ex Ordine Mendicantium.

7. Conficiens sacramentum debet habere intentionem juxta dicta in priori Tabula, alias nullum conficit Sacramentum.

8. Non requiritur ad valorem sacramenti ut sit Fidelis: hinc infideles & hæretici possunt valide administrare sacramenta, modo ritum a Christo Domino præscriptum observent, *ita Catholici omnes;* infideles quidem nondum baptizati, solum Baptismum, Hæretici tamen baptizati, Episcopi, vel Sacerdotes, licet notorii, degradati, suspensi, interdicti, publice denuntiati ac nominatim excommunicati, possunt valide cætera sacramenta conficere, loquendo saltem cum exceptione sacramenti Pœnitentiæ respectu excommunicati vitandi, ex dicendis suo loco.

9. Non debet ad valorem sacramenti esse in statu gratiæ: hinc Peccatores sive publici, sive privati, valide conficiunt sacramenta: requiritur tamen in Ministro ex officio ut licite administret sacramentum, secus vero in Ministro necessitatis *juxta probabiliorem*, unde sive sacerdos, sive laicus in peccato mortali baptizans in necessitate non peccat mortaliter, quidquid aliqui contrarium sentiant respectu sacerdotis.

10. Ad conficiendum licite Sacramentum Eucharistiæ debet esse in statu gratiæ per sacramentalem confessionem procurato: imo juxta aliquos, etiam ad conficienda alia sacramenta, quamvis plures velint, quod alia licite confici possint præmissa perfecta contritione, etiam extra casum, quo deesset copia Confessarii.

11. Nequit administrare sacramenta peccatori publico, seu notorio notorietate sive juris, sive facti, alias gravissime peccat administrans, sive dein talis peccator publice, sive privatim petat: attamen occulto peccatori publice petenti administrari debent, si repelli nequeat absque ejus infamia; secus si occulte petat, & notitiam peccati extra confessionem habeat.

12. Nequit ulla ex causa, etiam ad evadendam comminatam sibi mortem, simulate administrare sacramenta sine peccato gravi, & quidem graviori, quam si in statu disgratiæ illa administraret, ob injuriam irrogandam Sacramento, *ex cap. De homine. 7. de Celebratione Missarum, & ex damnata propositione ab Innocentio XI.* (*), *nec non ex rescripto Sacræ Congregationis S. Officii an.* 1625. *ad Epist. Arotibarensem, & Bened. XIV. Const. quæ inc.* Postremo mense. *Tom.* 2. *Bull. ejusd.* 85. §. 20.

13. Nequit sine gravi peccato mutare ritus & cæremonias præscriptas ab Ecclesia in administratione Sacramentorum, *ex Tridentino, sess.* 7. *can.* 13. *& Bened. XIV. Constit.* Inter omnigenas, *Tom. I. Bull. ejusd. fol.* 134. §. 18. & 19.

III. Subjectum

1. Capax est solus homo Viator, non tamen omnis respectu omnium Sacramentorum, nam fœminæ non sunt capaces sacramenti Ordinis, = Infantes Matrimonii = sani Extremæ Unctionis = infideles non baptizati ullius sacramenti ante susceptionem Baptismi.

2. Debet habere, si adultus, ad valorem intentionem positivam suscipiendi sacramentum.

3. Sufficit ad valorem sacramenti suscipiendi si habet intentionem sive actualem, sive virtualem, sive habitualem, sive etiam interpretativam faciendi id quod facit Ecclesia. Ad matrimonium tamen contrahendum requiritur intentio saltem virtualis, cum juxta probabiliorem ipsi contrahentes sint Ministri.

4. Ad suscipienda cum fructu sacramenta mortuorum adultus gravatus peccatis personalibus debet detestare peccata. Ad suscipienda vero cum fructu sacramenta vivorum requiritur in suscipiente status gratiæ procuratus vel per confessionem sacramentalem, si sermo sit de susceptione Eucharistiæ, vel per contritionem perfectam, si sermo sit de aliis Sacramentis vivorum; quamvis aliqui velint, etiam ad alia suscipienda præmittendam esse confessionem sacramentalem, dum adest copia Confessarii, quod ad id hortatur sponsos Rituale Romanum antequam contrahant Matrimonium.

5. Non potest petere sacramenta ab improbo Ministro, dum certo constat de improbitate ipsius, seu quod sit v. g. excommunicatus, suspensus, aut existat in peccato mortali, absque legitima causa, urgente tamen causa potest petere ea ab improbo ab Ecclesia tolerato, in defectu tamen alterius sacerdotis. Ab improbo tamen non tolerato ab Ecclesia, nequit petere extra extremam necessitatem, qua supposita potest petere non solum baptismum, prout communiter admittitur, sed etiam Pœnitentiam *juxta probabiliorem*.

(*) P. D. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

TAB. CXXIX. *De Institutione, Necessitate, Obligatione, Materia et Forma sacramenti Baptismi.*

Baptismus quatenus sacramentum est *ablutio corporalis exterior facta aqua sub præscripta verborum forma*

I. Institutus est immediate, & per se a Christo Domino, & quidem, juxta probabiliorem, ante Passionem & mortem suam, & probabilius eo die, quo Christus Dominus in Jordane a Joanne baptizatus est.

II. Necessarius est necessitate medii ad salutem in re vel in voto, omnibus omnino hominibus, saltem extra casum martyrii.

III. Obligatio suscipiendi baptismum nonnisi post resurrectionem Christi & Legis Evangelicæ promulgationem (quæ facta est in die Pentecostes) cœpit; sufficienter autem per totum Orbem censetur facta promulgatio Evangelii quadragesimo post Christi mortem anno, *ex Cardinali Gotti*.

IV. Materia Baptismi

- **Remota**
  1. Certa extra necessitatem adhibenda sub mortali, est aqua naturalis elementaris tum frigida, tum calefacta, sive fluminis, sive putei, sive maris, sive fontis, sive paludis, sive pluvialis, vel resoluta ex nive, glacies cadens ex lapidibus, & parietibus desudantibus, aut arborum foliis &c.
  2. Dubia in necessitate adhibenda sub conditione, est aqua rosacea, liquores omnes per Alchimiam educti ex floribus, aqua ex sale resoluta, cerevisia, mulsum, sed obtenta materia certa repeti debet baptismus sub conditione præscripta, *cap.* De quibus 2. *de Baptismo, si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.*
  3. In solemni Baptismo sub mortali adhibenda est aqua desumpta ex sacro Fonte, *ex Benedicto XIV. Constit.* Inter omnigenas. *Tom.* 1. *Bull. Rom. ejusd. fol.* 134. §. 2. *& Conc. Gener. Viennensi celeb. sub Clem. V. relat. cap. Præsenti de Baptis. inter Clement.*
- **Proxima est ipsa ablutio facta sive**
  1. Aspersione, fluentis tamen aquæ, per sufficientem partem corporis, ut tempore Apostolorum consueverat fieri.
  2. Immersione ipsius baptizandi in aquam, prout in primitiva Ecclesia fiebat, & duravit usque ad sæculum XIII., & de facto etiam practicatur in Ecclesia Græca, & ab iisdem practicari posset dum commorantur inter Latinos, inquit *Benedict. XIV. Constit.* Etsi Pastoralis. *Tom.* 1. *Bull. ejusd. fol.* 165. *edit. Rom.* §. 2. *n.* 2.
  3. Infusione aquæ super corpus baptizandi, uti de facto fit & fieri debet in Ecclesia Latina.

* Quocumque ex tribus relatis modis ablutio fiat, valet Baptismus, *ex Rituali Romano*, licet in Ecclesia Latina observetur tertius, introductus, inter alias causas ad parcendum erubescentiæ mulierum, quæ in ætate adulta baptizantur, & amovendum periculum a Ministris baptizantibus.

** Quamvis de necessitate sacramenti sufficiat unica ablutio, attamen ex præscripto Ritualis Romani ter ablui debet baptizandus; cavendum tamen ne forma totaliter absolvatur antequam perfecta sit totalis ablutio.

*** Si quis in aliqua parte minus principali, v. g. manu, pede, umbilico vel capillis tantum ablueretur, baptismus velut dubius esset repetendus sub conditione, imo id practicandum quoties quis non fuisset ablutus in principali parte seu capite, aliqui volunt ex D. Thoma, qui 3. *parte q.* 68. *art.* 11. *ad* 4. inquit: *quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub conditione.*

V. Forma Baptismi

- **Valida**
  1. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quæ usurpari debet in Ecclesia Latina, quocumque tandem idiomate, & si Obstetrix vel Laicus ignarus linguæ latinæ baptizet, præstat ut lingua vernacula proferatur ad evitandum periculum alicujus erroris substantialis.
  2. Ego Dominationem vestram abluo vel mundo in Nomine Patris &c.
  3. Ego te baptizo in nomine Patris &c., ac Beatæ Virginis, si addatur solum ad implorandum Virginis Mariæ auxilium.
  4. Baptizetur servus vel serva Dei N. in nomine Patris &c., qua forma Græci baptizant.
- 2. **Dubia**: Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti, quia videtur, quod repetitio illa denotet multiplicationem naturæ, quod tamen alii negant, & ideo manet dubia.
- 3. **Invalida**
  1. Ego te baptizo *in Nomine Trinitatis*, vel *in Nomine Unius & Trini*, aut *in Nomine Trium Personarum*.
  2. Ego baptizo *in Nomine Genitoris, Geniti ac Procedentis ab utroque*.
  3. Ego te baptizo *in Nomine Christi*: quidquid sit, an ex dispensatione Christi in primitiva Ecclesia valide collatus sit baptismus in Nomine Christi, hoc tamen communior Theologorum negat.

* Baptizans omittens sive illa verba: *baptizo*, aut æquivalentia, sive pronomen *Te*, vel loco illius non exprimens nomen personæ baptizatæ, invalide baptizat; valide tamen si solum omittat pronomen *ego*, licet venialiter peccaret; omittens vero sive particulam *in*, sive *Et*, peccat mortaliter.

N. B. *Baptismus quatenus sacramentum suppleri potest vel per votum, seu desiderium recipiendi baptismum, quod votum dicitur:* Baptismus flaminis: *vel martyrium; seu ipsam mortem pro Christo toleratam, quæ dicitur* Baptismus sanguinis, *qui ad modum sacramenti baptismi tam in infantibus, quam adultis dimittit omnem culpam & pœnam, & quidem* ex opere operato, *vel melius:* quasi ex opere operato, *cum non possit id præstare prout est opus Ministri necem inferentis, neque ex vi institutionis suæ, sicut sacramenta, sed ex speciali quodam privilegio & promissione Christi insinuata ab ipso Christo illis verbis:* qui me confessus fuerit &c., qui perdiderit animam suam propter me, inveniet illam, *supposito tamen in adultis peccatoribus actu [illegible] supernaturali, saltem imperfecto.*

TAB. CXXX. *De Ministro, Patrinis, Caeremoniis et Loco quo ministrari debet Baptismus.*

Sacramenti Baptismi

I. Minister

1. Ordinarius, qui scilicet Baptismum administrat ex officio, seu jure ordinationis suæ & acceptæ auctoritatis docendi & baptizandi, est sacerdos: cum Christus Apostolis, quibus succedunt Episcopi, dixerit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos;* Discipulis vero quibus succedunt Presbyteri, dixerit: *ite, ecce ego mitto vos*, subaudi *evangelizare & baptizare*, non tamen quivis sacerdos, sed solum ille, cui juirisdictio & regimen Ecclesiæ est demandatum, uti Episcopo, vel Paroco, aut Curato.

2. Extraordinarius, qui ex delegatione Ministri Ordinarii baptismum administrat, & hinc non solum Episcopus, sed & Parochus potest committere non solum Presbyteris, sed & Diaconis (secus vero aliis Clericis inferioribus) facultatem etiam solemniter baptizandi, quibus tamen, videlicet Diaconis, committi non debet, nisi occurrente aliqua rationabili causa, & deficientibus sacerdotibus, qui vellint & possint ministrare baptismum; & si Diaconus, vel alius inferior Clericus, aut Laicus absque commissione Episcopi, vel Parochi præsumeret solemniter baptizare, præter peccatum mortale incurreret irregularitatem, secus vero si privatim administraret.

3. Necessitatis, qualis censetur, qui urgente mortis periculo aliis Ministris idoneis deficientibus baptismum administrat, & talis Minister potest esse quivis homo, etiam Mulier, Paganus, Hæreticus *ex Concilio Florentino, relat. in Const. Eugenii IV. incip.* Exultate, *reper. Tom.* 1. *Bull. Cherub. fol.* 286. §. 10., semper tamen præferendus dignior minus digno, Diaconus Subdiacono, Subdiaconus alii Clerico, Clericus Laico, Vir Fæminæ, Fidelis infideli, nisi circumstantia aliqua, ut propter: indecentiam, præferatur Mulier Viro *ex Rituali Romano:* quod si præsente Sacerdote, vel Diacono præsumeret Clericus vel Laicus administrare baptismum, peccaret mortaliter.

N. B. *Unus potest plures simul baptizare, uti legitur factum ab Apostolis una die plura millia hominum baptizantibus, in quo casu debet forma baptismi proferri in plurali dicendo:* ego vos Baptizo &c. ex D. Thoma 3. par. qu. 66. art. 5. ad 4.

II. Patrinus

1. Ut habeat rationem veri Patrini debet sive per se, sive per Procuratorem tenere baptizandum dum baptizatur, & dum per Procuratorem fit, non Procurator, sed constituens Procuratorem contrahit cognationem spiritualem, de qua infra.

2. Adhibendus in solemni baptismo, seu qui fit cum cæremoniis præscriptis, & olim fiebat certis dumtaxat temporibus, videlicet in Paschate & Pentecoste, nisi necessitas aliter exegisset, quamvis de facto infantibus statim post nativitatem conferri possit, adultis vero nonnisi postquam in fide fuerint sufficienter instructi.

3. Non adhibendus in privato baptismo, seu qui confertur in necessitate; & si adhiberetur non haberet rationem veri Patrini, nec contraheret cognationem spiritualem.

4. Attento jure antiquo unus tantum adhibendus erat, attenta tamen dispositione Tridentini *sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 2. duo assignari possunt, sed in hoc casu unus & una, non tamen duo viri, vel duæ fæminæ adhiberi possunt, neque id permitti potest sive ab Episcopo, sive Parocho.

5. Designari debet, vel debent a Parentibus, & in horum defectu ab eo, qui sacramentum administrat, videlicet a Parocho *ex Tridentino ibid.:* alias non contrahunt cognationem spiritualem.

6. Designari nequeunt sive amentes, sive non baptizati, sive hæretici, sive publice excommunicati aut infames, sive Pater & Mater prolis baptizandæ (Maritus tamen & Uxor possunt simul levare alienam prolem attento præcise jure communi, quamvis consulendum non sit, imo in aliquibus Diæcesibus inhibitum), sive Religiosi & Moniales, *ex Rituali Romano & multis textib. Juris Canon.*, & multo minus Fratres Minores *ex Regula c.* 11.

7. Contrahit cognationem spiritualem cum baptizato, ac Patre & Matre personæ baptizatæ, *ex Tridntino ib.*, quam cognationem contrahunt etiam pro casu quo plures, designati tamen a parentibus vel Parocho, infantem ex sacro fonte levarent, *ex cap. Quamvis* 3. *de cognatione spirituali* 126., secus vero si non ita designati id facerent.

8. Cujus Officium est

1. Baptizandum Parocho præsentare.
2. Respondere pro baptizando, si ipse nequeat.
3. Baptizandum tenere, sive per se, sive per Procuratorem dum baptizatur, & quidem cum intentione gerendi munus Patrini juxta consuetudinem Ecclesiæ.
4. Baptizatum de manu Baptizantis suscipere.
5. Baptizatum instruere in rebus Fidei & Doctrinæ Christianæ, si parentes id præstare nequeant, vel ab aliis præstandum non speretur.

III. Cæremoniæ tum antecedentes, tum concomitantes, tum consequentes præscriptæ in Rituali Romano adhibendæ sunt ad ornatum & splendorem hujus Sacramenti.

IV. Locus in necessitate quivis: solemnis olim conferebatur in locis separatis ab Ecclesia, quæ vocabantur Baptisteria: de facto in Ecclesia, in qua est Fons Baptismalis, extra quam sive in domo, sive in Oratorio privato nequit conferri sine licentia Episcopi, *ex Clementina Unica de Baptismo & ex Benedicto XIV. Constit. incip.* Magno. *Tom.* 3. *Bull. ejusd. fol.* 577. §. 19. Excipe si baptizandi sint proles Regum, vel Principum terræ.

V. Nomen: Possunt baptizatis imponi nomina Sanctorum, vel Sanctarum, licet in Martyrologio Romano non essent descripta, dummodo excludantur nomina idolorum & falsæ religionis, *ex Benedicto XIV. Consist. quæ incipit:* Omnium sollicitudinem. *Tom.* 1. *Bull. ejusd. fol.* 197. & 407.

TAB. CXXXI. *De Subjecto Baptismi, et Dispositionibus ad eum valide et licite suscipiendum.*

Baptismi

I. Subjectum capax sunt

1. Omnis homo ratione utens, etsi esset sanctificatus in utero Matris, eo quod talis deberet Ecclesiam visibilem per Baptismum ingredi & fieri capax cæterorum Sacramentorum, respectu cujus non falsificatur forma baptismi, quia hujus sensus est: *confero tibi gratiam de te remissivam peccati originalis & actualis, si in te invenitur:* hinc communiter docetur, quod Beata Virgo fuerit ab ipsomet Christo baptizata.

2. Infidelis adultus non statim ac petit, debet baptizari, sed prius debet bene explorari ejus voluntas, & instrui in rebus fidei, *ex Catechismo Romano:* quod & practicandum cum infideli moribundo, saltem ei exponendo mysteria fidei necessaria necessitate medii, nisi instans periculum mortis dilationem non admitteret, *ex Benedicto XIV. Constit.* Postremo mense, *Tom. 2. Bull. ejusd. fol. 85. §. 41.*

3. Hæreticus volens abjurare suam sectam non est rebaptizandus, nec quidem sub conditione, quia de fide est quod baptismus collatus ab Hæreticis sit validus, etsi collatus fuisset cum errore privato Ministri, nisi inveniatur defectus commissus circa materiam, formam & intentionem Ministri, juxta dicta in Tab. CXXIX.

4. Infantes possunt valide & licite baptizari, ut fides docet: hinc Tridentinum anathematizat dicentes neminem esse baptizandum, nisi in ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: imo expedit ut in infantia quivis baptizetur magis quam in adulta ætate. Hinc Eugenius IV. præcepit, non esse expectandum per quadraginta, vel octoginta dies, nec ad aliud tempus, juxta quorundam observantiam, differendum, sed quam primum fieri potest, debeat conferri, & plures auctores volunt, quod parentes vel Tutores graviter peccent, ultra octiduum differentes sine rationabili causa.

5. Infantes nondum perfecte nati non sunt baptizandi, nisi mortis periculum immineat, & tunc si pars edita sit caput, absolute sunt baptizandi; si vero alia pars, sub conditione, *ex D. Thoma 3. par. quæst. 68. art. 11. ad object. 4. Rituali Romano, & Bened. XIV., Synod. Diœc. lib. 7. c. 5. n. 10.*, & dein si perfecte nascatur vivus, baptizatus in alia parte extra caput, rebaptizandus sub conditione.

6. Infans nulla sui parte egressus, sed totaliter inclusus in utero materno, juxta plures, nullo modo est baptizandus, quamvis alii velint baptizandum sub conditione, si arte ad ipsum in utero existentem pertingi, & aqua perfundi possit, quibus adhæret Benedictus XIV. *ibid. n. 2.*, & omnino practicandum, quod si dein foras prodeat, rebaptizandus sub conditione.

7. Infantes expositi, licet habeant collo appensam schedulam attestantem esse baptizatos, sunt sub conditione rebaptizandi, extra tamen casum, quo posset baptizans venire in cognitionem personæ scribentis illam schedulam, & persona illa scribens esset fide digna, *ex Bened. XIV. cum Syn. Diœc. lib. 7. c. 6. n. 2. & 5. cum in c. 1. Constit.* Postremo mense *ibid.*, quod a fortiori dicendum de infantibus expositis non habentibus dictam schedulam, & universim de omnibus infantibus, qui an baptizati sint nemo certo scit.

8. Infantes baptizati ab Obstetricibus bene instructis non sunt rebaptizandi, nec quidem sub conditione; quod si dubitetur de aliquo errore ab ipsis commisso, examinentur a Parocho, ut veritas appareat & dubium tollatur.

9. Monstrum quocumque modo originem habens, si præditum sit anima rationali, uti judicandum, si caput hominis præseferat, est baptizandum, licet alia membra essent ferina, secus si caput, & pectus sit ferinum, si habeat duo capita, & duo pectora invicem conjuncta quolibet proprio, ac distincto baptismo, debet baptizari, & quidem absolute; si vero dubitetur, an sit homo vel non, baptizari debet sub conditione.

II. Dispositio

1. In infantibus baptizandis nulla omnino requiritur ex parte baptizandorum, utpote qui in fide Parentum, vel Ecclesiæ baptizantur.

2. In adulto baptizando requiritur ad valorem intentio, seu voluntas, & quidem positiva, suscipiendi baptismum, saltem habituali; & ideo nullus cogendus ad suscipiendum baptismum *ex cap. Sicut Judæi 9. de Judæis, Saracenis etc.*, quod si quis coacte revera baptizaretur, invalidus esset baptismus collatus; secus si solum ex metu aliquo, licet gravi, inductus, *ex cap.* Majores *4. de Baptismo.*

N. B. *Rebaptizantes sive infantem, sive adultum sub conditione ob solam apprehensam prioris baptismi dubium nulla præmissa veritatis indagine, peccant mortaliter* juxta omnes, *et incurrunt irregularitatem* juxta Benedictum XIV. Inst. 84., & Synod. Diœces. lib. 7. c. 6. n. 5., *quidquid aliqui velint, solum absolute culpabiliter rebaptizantes incurrere irregularitatem.*

TAB. XXXII. *De Prolibus infidelium baptizandis, vel non baptizandis, et effectibus Baptismi.*

Infantes infidelium

I. Valide

1. Baptizantur, etiam invitis parentibus, licet sint infantes infidelium proprie talium, seu non baptizatorum, sive dein parentes fideles sint subjecti Principibus Christianis vel civiliter & politice, ut Judæi; vel dispotice & serviliter, ut capti in justo bello; sive non sint subjecti ut Turcæ, *ex Benedicto XIV. Constit.* Postremo mense. *Tom.* 2. *Bull. ejusd. fol.* 186. §. 27., imo loquendo de infantibus infidelium baptizatorum seu Hæreticorum, possunt etiam licite baptizari, invitis licet eorum parentibus: in quo casu separandi sunt a consortio parentum, si periculum perversionis adest.
2. Et licite baptizantur infantes infidelium proprie talium dispotice ac serviliter subjectorum Principibus Christianis, invitis licet eorum parentibus *ex Benedicto XIV. ibid.* §. 6. Hinc filii Turcarum & Maurorum, qui in justo bello fiunt servi Christianorum, contra voluntatem parentum baptizantur, quod & approbatur a laudato Pontifice.
3. Nequeunt baptizari infantes infidelium proprie talium civiliter solum & politice subjectorum sive Principibus infidelibus, in quo omnes conveniunt, sive Principibus Christianis, invitis eorum Parentibus vel Tutoribus, *juxta probabiliorem & expressam Benedicti XIV. ibid.* §. 5., & qui aliter faceret, peccaret mortaliter contra justitiam naturalem, *ex D. Thoma* 3. *part. quæst.* 68. *art.* 10.

II. Licite

Possunt baptizari, idest dum

1. Ex parentibus infidelibus vir convertitur ad fidem, & uxor in infidelitate permanet, in quo casu potest filius, licet contradicente Matre, baptizari; quod & procedit pro casu quo Mulier convertatur ad fidem, & vir in infidelitate permaneat, *ex Benedicto XIV. ibid.* §. 15. *&* 16. *Consit. quæ incipit*, Probe, *Tom.* 3. *Bull. ejusd. fol.* 417. §. 12.
2. Avus offert prolem baptizandam, in quo casu potest licite, invitis etiamnum utrisque parentibus, baptizari, *ex Benedicto XIV. ibid.*
3. Proles aliqua sive per fas, sive per nefas a parentum infidelium custodia in tantum sunt abstracti, ut nulla spes reditus illorum ad ipsos moraliter supersit, *ex praxi Ecclesiæ*.
4. Infans prævidetur statim absque ulla spe vitæ moriturus, *ex decisione Sacræ Congregat. an.* 1678., *& apud Bened. XIV. in allata Const.* §. 8., quod tamen fieri debet majori qua potest cautela ad avertendum tumultum & scandalum, seu ut inquit *Benedictus XIV.* fieri debet *moderate, religiose, ac pie ibid.*
5. Infans infidelium crudeliter a parentibus projectus & derelictus invenitur, quia pro tali casu parentes de jure amittunt patriam potestatem, *juxta Rescript. Gregorii IX. rel. cap. Si a Patre* 5. *de infantibus, & languidis expos. Vid. etiam Bened. XIV. in præd. Constit.* §. 10.

N. B. *Extra hos casus baptizans infantem infidelium insciis vel invitis eorum parentibus, infans ille educandus est penes Christianos*, ex Decisione Sacræ Congregationis 5. Maii 1633. & ex Benedicto XIV. ibid. §. 37. & 29., *quod si taliter baptizatus, factus adultus, desereret fidem catholicam, & infidelibus adhæreret, contra talem procedi deberet, sicut contra Hæreticos*, ex cap. contra 13. de Hæreticis 126.
2. *Proles adultæ infidelium, si petant baptizari, etiam insciis, & invitis eorum parentibus, baptizari possunt*, ex Benedicto XIV. ibid. §. 36., *& quidem etiam non completo septennio si supponantur sufficienter præditæ ratione; quod si dubitetur de præfato usu rationis, baptismus differendus & interim detinendæ a Christi fidelibus procul a Genitoribus, & instruendæ*, ex Bened. XIV. ibid. §. 34.

III. Effectus principales Baptismi sunt

1. Remissio peccati originalis & omnium actualium ante baptismum commissorum, *ex Tridentino* anathematizante contrarium asserentes, *sess.* 5. *can.* 5.
2. Remissio omnis pœnæ peccato debitæ absque ulla satisfactione, & hinc adultis baptizatis nulla imponi debet pœnitentia saltem laboriosa & satisfactoria, *ex Concilio Florentino relat. in Constit. Eugenii IV.* Exultate Deo *Tom.* 1. *Bull. Cherub. fol.* 286., si tamen adultus ante baptismum commisisset delicta infesta societati, posset a Magistratu puniri, *ex D. Thoma loc. cit. quæst.* 69. *art.* 1. *ad* 3.
3. Ablatio omnium irregularitatum ex delictis, etiam homicidio, commissis ante baptismum, secus vero aliarum, quæ ex defectibus, præsertim Bigamiæ, Infamiæ natalium, proveniunt.
4. Infusio gratiæ sanctificantis, quæ gratia infantibus æqualiter confertur, adultis vero inæqualiter pro ratione dispositionis, nisi ponatur obex: in quo casu non recipitur gratia sanctificans, neque alii habitus infusi, exceptis charactere, fide & spe, sublato tamen obice, reviv isset saltem in ordine ad producendum gratiam habitualem, & alias gratias eidem annexas, juxta dicta in Tab. CXXVII.
5. Infusio gratiæ sacramentalis, quæ confert jus ad auxilia baptismo proportionata, nempe ad sancte & christiane vivendum, ut decet filios Dei adoptivos.
6. Impressio characteris, vi cujus baptizatus nequit denuo baptizari, *ex conciliis Florentino & Tridentino sess.* 7. *de Baptis. can.* 11., & rebaptizans aliquem, saltem absolute, imo & ministrans rebaptizanti, præter gravissimum peccatum sacrilegii, incurrit irregularitatem; imo & rebaptizatus, *ex can. Qui in qualibet* 10. *Causa* 1. *quæst.* 7. *& can. Eos quos* 118. *de Consecratione Dist.* 4.

TAB. CXXXIII. *De Institutione, Materia, et Forma Sacramenti Confirmationis.*

Confirmatio, quæ est *Sacramentum quo baptizatus per unctionem Chrismatis in fronte per modum Crucis sub præscripta verborum forma corroboratur ad fidem firmiter tenendam & profitendam*

I. Est verum, ac proprie dictum sacramentum novæ legis *ex Concilio Florentino relat. in Constit. Eugenii IV. quæ incip.* Exultate. *Tom.* 1. *Bull. Cherub. fol.* 256. §. 11., *&* *Tridentinum sess.* 7. *de Confirm.* anathematizat contrarium asserentes, institutum immediate a Christo Domino; & quamvis diversæ sint opiniones Doctorum circa tempus quo institutum est, probabilius tamen videtur fuisse institutum in ultima cœna, quando Christus docuit Apostolos conficere Chrisma, licet ante resurrectionem non dederit potestatem ipsum conferendi, cum nondum fuerint creati Episcopi.

II. Ejus materia
- 1. Remota est Chrisma confectum ex oleo olivarum, & balsamo ab Episcopo benedicto, adeo quod balsami mixtio, & benedictio chrismatis, & quidem facta ab Episcopo, sit de necessitate sacramenti. Hinc qui cum solo oleo non mixto balsamo, aut non consecrato ab Episcopo, confirmaretur, esset denuo confirmandus, non quidem absolute propter probabilitatem contrariæ opinionis, sed sub conditione.
- 2. Proxima est unctio frontis facta cum Chrismate per modum Crucis, quare impositio manus Episcopi, quæ præcedit Chrismationem, seu ipsam unctionem cum Chrismate, non est materia adæquata hujus sacramenti, ut quidam volunt, sed mera cæremonia ecclesiastica, qua Episcopus per invocationem Spiritus Sancti præparat confirmandos.

III. Unctio debet fieri
- 1. In fronte confirmandi, & hinc qui sive per errorem, sive ob aliam causam loco frontis inungeret maxillam pueri confirmandi, non conficeret sacramentum.
- 2. In modum Crucis, prout exprimitur in forma infra referenda: unde Concilium Florentinum dans rationem utriusque, ait: *in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue Crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, Gentilibus autem stultitia* juxta Apostolum *ibid.*
- 3. Manu ipsius Episcopi, adeo quod perficiens unctionem aliquo instrumento v. g. penicillo, nullum conficeret sacramentum, & quia Episcopus signando frontem confirmandi extendit superiorem partem manus supra caput illius, *ex cap.* Cum venisset *Unico de Sacra Unctione, & Benedicto XIV. Synod. Diœc. lib.* 13. *c.* 19. *n.* 15., hinc de hac manus impositione intelligi debet scriptura *Act.* 8. dicens: Apostolos confirmasse, manus impositione.
- 4. Pollice dextero manus Episcopi, non quidem de necessitate sacramenti, sed solum præcepti expressa in Rubrica Pontificalis libri, cui parendum sub gravi culpa.
- 5. Chrismate illo anno benedicto, non quidem de necessitate sacramenti, sed præcepti adeo, quod sine gravi peccato nequeat adhiberi antiquum, utpote vetitum per sacros canones; *ex Concilio Lugdunensi relato can.* Si quis 112. *De Consecratione Dist.* 4.

IV. Forma essentialis & adæquata
- 1. In Ecclesia Latina sunt Verba, quæ comitantur unctionem cum Chrismate, videlicet sequentia: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Ex Concilio Florentino, *ibid. loc. cit.*, quidquid sit, an singula verba sint de necessitate sacramenti exprimenda, quæ forma licet exprimatur verbis indicativis, tacite tamen sunt deprecatoria, cum includant orationem, qua Minister divinam opem invocat, ut effectum sacramenti producat.
- 2. In Ecclesia Græca est sequens: *Signaculum doni Spiritus Sancti, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ex qua diversitate formæ sequitur Christum non determinasse formam Sacramenti Confirmationis in specie & quoad verba, sed tantum in genere, statuendo scilicet ut adhiberentur verba quæ hujus Sacramenti effectum sufficienter exprimerent, eaque ab Ecclesia determinarentur *ex Charmes.*

TAB. CXXXIV. *De Ministro Sacramenti Confirmationis, et Caeremoniis in ejus administratione adhibendis.*

Confirmationis

I. Minister

1. Ordinarius est solus Episcopus *ex Concilio Florentino*, quidquid Heretici quidam attribuerint eamdem potestatem Presbyteris, qui merito damnati fuerunt a Concilio Tridentino, *Sess. 7. c. 3.* Hinc Nicolaus I. jussit, confirmatos a Photianis Presbyteris iterum confirmari. Tenetur autem Episcopus illud administrare, saltem non infectis peste, & diu differens, v. g. ultra duos, tres, vel quatuor annos, peccat mortaliter.

2. Extraordinarius, & ex delegatione Summi Pontificis (quæ tamen non nisi occurrente justa & rationabili causa fieri debet) potest esse etiam simplex Sacerdos, prout legitur concessum quibusdam Missionariis a diversis Summis Pontificibus, qui tamen in administrando hoc Sacramento debent uti Chrismate ab Episcopo confecto & consecrato: ex quo sequitur, vel quod potestas confirmandi non sit de jure divino annexa Ordini Episcopali, sed solum ex dispositione & lege Ecclesiastica, ut vult Reiffenstuel *Lib. 3. Decretal. tit. 40. n. 24.*, vel, & forte melius, quod potestas plena & completa confirmandi sit quidem annexa Ordini Episcopali, ita tamen ut eodem jure divino eadem potestas radicalis inchoata & completa sit annexa Ordini Sacerdotali, vi cujus simplex Sacerdos fit capax, ut ei delegari possit facultas confirmandi, qua delegatione facta perficitur & completur potestas illa radicalis.

N. B. 1. *Nequit sive valide, sive licite administrari a simplici Sacerdote ex delegatione solius Episcopi, quia sedes Apostolica id juris unice sibi reservavit*, ex Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib. 7. c. 7. n. 2.

2. *In Ecclesia Græca valide ac licite administratur Confirmatio a Sacerdotibus in illis locis, in quibus id a Sede Apostolica non est prohibitum; secus vero in illis locis, in quibus certo constat talem facultatem Græcis demptam esse a Sede Apostolica, uti certum est, demptam esse Sacerdotibus in Bulgaria, & Regno Cypri Italo-Græcis* ex Benedicto XIV. ibid. c. 9. n. 2. & seqq.

II. Tempus: Olim non nisi duobus temporibus conferebatur, videlicet in Sabbato Sancto, & pervigilio Pentecostes: de facto conferri potest arbitrio Episcopi non solum ante prandium, uti consulendum, sed & post prandium, etiam extra Ecclesiam, in loco tamen honesto, e. g. Palatio Episcopali.

III. Locus: Nequit Episcopus in aliena Diœcesi etiam subditos suos confirmare, & id faciens sine consensu proprii Episcopi peccat mortaliter, & incurrit suspentionem ab exercitio Pontificalium: secus vero si in propria Diœcesi confirmaret subditum alterius Diœcesis ob præsumptam proprii Episcopi licentiam, quam censetur dedisse, dum Episcopus proprius remittit subditum ordinandum ad alium Episcopum, vi cujus potest etiam illum confirmare.

IV. Cæremoniæ adhibendæ sunt

1. Patrinus adhibendus in Confirmatione, qui debet esse

1. Baptizatus, & Confirmatus *ex can. in Baptismate 102. de Consecrat. Dist. 4.*, quod si quis non confirmatus ageret Patrinum in confirmatione, non haberet rationem veri Patrini, neque cognationem spiritualem contraheret, *juxta plures*.

2. Unus tantum *ex. can. Quamvis 3. de Cognatione spirituali in 6.*, adeoque nequit unus & una, uti concessum a Tridentino in Baptismo; si tamen plures adhiberentur, omnes contraherent cognationem spiritualem, *ex alluto textu*.

3. Masculus non potest esse Patrinus fæminæ, nec Fæmina Matrina Masculi *ex Pontificali Romano*, licet attento textu *Quamvis*, stet in libertate eligendi Patrinum masculum vel fæminam.

4. Distinctus ab eo qui fuit in baptismo, saltem extra casum necessitatis *ex can.* In Catechismo 10. *de Consecratione Dist. 4.*

5. Debet attingere saltem decimum quartum ætatis annum, cum antea non videatur aptus ad imbuendum alios in Christiana militia.

6. Debet recens baptizatum præsentare Episcopo, ipsum in actu Confirmationis tenere humeris, vel, juxta receptissimam consuetudinem approbatam a Sac. Congregatione die 20. Septemb. 1749. manum dexteram super confirmandorum dexterum humerum imponendo.

7. Nequit esse ullus ex Parentibus ipsius confirmandi propter cognationem spiritualem, quam ex dispositione Tridentini essent alias contracturi: si tamen fieret, non privarentur jure sive reddendi, sive exigendi debitum, *juxta probabiliorem fundatam in Glossa in cap. Si Vir. 2. de Cognatione spirituali ad verbum Debitum.*

N. B. *Patrini munus in hoc Sacramento est roborare confirmatum in fide, & charitate, ad quod non ita astringitur, sicut in Baptismo ad baptizatum edocendum, quia firmitas in fide & charitate suscepta non tam ex Magistri consiliis, quam ex ipso Sacramento, & divinis auxiliis inde provenientibus, oritur.*

2. Mutatio nominis, si sit turpe & ridiculum.

3. Manus impositio, qua Episcopus super confirmandos divinam protectionem implorat.

4. Levis afflictio alapæ maxillæ confirmati, tum ut infantes recordentur se fuisse confirmatos; tum ut meminerint se oportere esse paratos ad perferenda omnia adversa pro Christi nomine.

5. Pax, quam dat Episcopus dum alapam infligit confirmatis, dicens: *Pax tecum*.

6. Circumligatio frontis confirmati fasciola linea, significans acceptam gratiam diligenter esse conservandam, quæ fasciola, fronte abstersa panno & bombyce, debet comburi.

TAB. CXXXV. *De Subjecto, Necessitate et Effectibus Sacramenti Confirmationis.*

Sacramenti Confirmationis

I. Subjectum

1. Est omnis & solus homo baptizatus, etiam infans, quod suadet praxis primitivæ Ecclesiæ, in qua tam adultis, quam parvulis statim post baptismum conferebatur Confirmatio, a qua antiqua praxi non recessit Ecclesia Græca.

2. In Ecclesia Latina debet esse rationis capax: unde non conferenda infantibus ante septennium *ex Catechismo Romano*, tum ut hoc Sacramentum majori cum reverentia recipiatur, tum ut evitetur iteratæ susceptionis periculum.

3. Infantes in mortis periculo constituti etiam ante septennium, *ex D. Thoma* 3. *part. quæst.* 72. *art.* 8. *in Corp. ad object.* 2. *& Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib.* 7. *c.* 10. *n.* 2., imo etiam extra periculum mortis conferri potest infantibus ante septennium, si vel prævideatur futura diuturna absentia Episcopi, vel alia urgeat necessitas, vel causa.

4. Amentibus perpetuo negant aliqui administrandum esse, quia comparantur infantibus, quibus ex usu Ecclesiæ Latinæ non confertur Confirmatio ante adeptum usum rationis. Affirmant alii, cum sint capaces primarii effectus hujus Sacramenti, qui est augmentum gratiæ, & a fortiori, qui post adeptum usum rationis inciderunt in amentiam, dummodo aperte non constet, ipsos esse in peccato mortali.

Debet esse dispositum, nimirum debet

1. Suscipiens in adulta ætate, habere intentionem, seu voluntatem saltem habitualem suscipiendi hoc Sacramentum; secus in infantia, utpote quorum intentionis defectum supplet Ecclesia.

2. Esse in statu gratiæ, ut cum fructu recipiat, & quidem juxta aliquos, quibus favere videtur Benedictus XIV. *Lib. Institut. Eccles. Instit.* 6. §. *Eamdem*, adscitus & comparatus per Confessionem Sacramentalem; quamvis alii (*quam forte fabricant ea facilitate, qua vestigium in limo*) velint sufficere per solam contritionem perfectam.

3. Scire Symbolum Apostolorum & Orationem Dominicam, si non ex necessitate, saltem ex congruentia. *Ex Synod. Rhemensi.*

4. Esse jejunus ex convenientia saltem: *Ex eodem*. Nam prioribus duodecim sæculis, tam Minister, quam Suscipiens Confirmationem debebat esse jejunus: et a sæculo duodecimo desiit hæc consuetudo. *Ex D. Thom. loc. cit. quæst.* 73. *art.* 12. *ad* 1.

II. Necessitas

1. Non est absolute, seu de necessitate medii necessaria ejus susceptio, quia potest homo absolute sine gratia, quæ confertur per Confirmationem, superare tentationes contra fidem.

2. Nec est necessaria necessitate præcepti, saltem graviter obligantis, *juxta plures*, quibus favere videtur D. Thomas, in quorum opinione sequitur, quod qui, præciso contemptu, ex negligentia & socordia non reciperet Sacramentum Confirmationis, habita etiam occasione, non peccaret graviter.

3. Nihilominus alii volunt, quod omnes omnino adulti obligentur sub gravi culpa suscipere hoc Sacramentum, & ita præter alios sentit Benedictus XIV. *lib. Instit. Eccl.* 6. §. *Cum igitur*, in quorum opinione sequitur, quod a fortiori teneatur suscipere hoc sacramentum initiandi prima tonsura ob dispositionem Tridentini.

III. Effectus sunt

1. Gratia sanctificans, non quidem prima, saltem per se loquendo, sed secunda, quæ ad differentiam gratiæ regenerative collatæ per baptismum, appellatur *perficiens, roborans, & confortans* ad fidem intrepide confitendam, & superandas omnes, quæ contra illum insurgunt, dæmonis ac mundi tentationes.

2. Gratia Sacramentalis, quo definitur, quod sit gratia habitualis roborativa annexum jus habens ad gratias actuales necessarias, ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur, *ex Concilio Florentino relat. in Constit. Eugenii IV.* Exultate *loc. cit.*

3. Character indelebilis, quo baptizatus adscribitur in militiam Christi, unde in eadem persona iterari non potest, *ex Tridentino Sess.* 7. *de Sacram. in genere, can.* 9. Hinc si quis sciens iterato susciperet hoc Sacramentum, grave committeret sacrilegium, nullam tamen incurreret irregularitatem.

TAB. CXXXVI. *De Institutione, Materia, Forma et Effectibus Sacramenti Eucharistiae.*

Eucharistia quatenus Sacramentum

I. Est Sacramentum a Christo Domino institutum in ultima cœna ad spiritualem animæ refectionem, in quo Corpus & Sanguis ejus vere, realiter ac substantialiter sub speciebus panis & vini continentur; & quidem non solum in ipso usu, ut Hæretici blaterant, id est transeunter, sed permanenter, ut fides docet.

II. Essentialiter consistit adæquate in speciebus simul, Corpore ac Ssnguine Christi, & non tantum sive in ipsa consecratione, utpote transeunte, sive in solis speciebus, cum hæ non possint producere gratiam, sive in solo Corpore & Sanguine Christi, utpote insensibilibus.

III. Materia

Apta est:

Solus Panis triticeus confectus ex pura & naturali aqua, & concoctus ad ignem, quia solum talis dicitur panis simpliciter & usualis, quem accepisse Christum & consecrasse legitur, in quacumque quantitate & figura, sive dein panis ille sit azymus, sive fermentatus, *ex Concilio Florentino n.* 1439.

Vinum de vite usuale, respectu Calicis, sive dein illud sit album sive nigrum, sive asperum, sive calidum, sive frigidum, sive vetus, sive novum, etiam de novo expressum ex uvis seu mustum, quo non nisi in necessitate utendum, *ex Thoma* 3. *part. quæst.* 14. *art.* 5.

Inepta est:

Panis ex spelta, hordeo, millio, & juxta aliquos, ex siligine, vulgo segala, licet alii velint quod panis ex siligine sit materia apta, quibus favere videtur *D. Thomas*, alii dubiam, & ideo eo uti non licet in confectione Eucharistiæ. *Vide P. Concina.*

Panis confectus ex oleo, butyro vel aqua rosacea, cum talis non esset verus & communis panis, sed placenta.

Vinum ex uvis acerbis, & nondum maturis expressum, seu agrestum, aut acetum factum; secus si solum acescat.

Vinum congelatum, cum non sit vinum potui idoneum seu usuale.

N. B. 1. *Primis sæculis consecrabatur panis communis, ab undecimo sæculo redacta est materia consecrationis ad formam orbicularem.*

2. *In Ecclesia Latina panis consecrandus debet azymus; quidquid sit, an primis octo sæculis promiscue, & indiscriminatim usa fuerit azymo & fermentato, ut aliqui volunt, quibus tamen contrarium asserit* Benedictus XIV. Constit. quæ incip. *Inter multa*. Tom. 2. Bull. ejusd. fol. 166. edit. Ven. §. Ex quibus; *quia probabilior, & certa sententia fert, quod Christus in azymo consecraverit.*

3. *Græci commorantes inter Latinos & Latini inter Græcos ritum propriæ Ecclesiæ observare debent, & hinc illi in fermentato, isti in azymo celebrare debent.* Ex Benedicto XIV. Constit. edita an. 1742. de Rit. Græc. quæ incip. *Pastoralis*, Tom. 1. fol. 101. edit. Ven. §. 9.

4. *Aqua misceri debet vino consecrando, non tamen sive de necessitate Sacramenti, sive de necessitate præcepti divini, sed ex præcepto dumtaxat Ecclesiastico*, ex Tridentino & Rubricis Missalis, *quod obligat sub gravi peccato ob gravitatem mysterii, quia mixtio illa repræsentat tum id quod ab ipso Christo factum, tum quod ex Latere ejus lanceato fluxerit Sanguis & Aqua: in modicissima tamen quantitate miscenda est, quæ una cum vino convertitur vi consecrationis in Sanguinem Christi, sive dein immediate, sive mediate, juxta Theologorum placita.*

IV. Forma essentialis sunt verba: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, quibus verbis Christum usum fuisse in consecratione panis & vini, communis fert sententia, *ex Catechismo Romano & Tridentino* sess. 13. *c.* 1. licet certitudinem fidei non attingat, *ex Benedicto XIV. in Tract. de die Jovis Sancto* §. 13. *ubi Alphonsi Salmeron Theol. S. J. qui interfuit Concil. Trid. verba referuntur.*

* Verba præcedentia: *Qui pridie, quam pateretur &c.*, & sequentia: *novi & æterni testamenti &c.*, juxta probabiliorem non sunt essentialia formæ, quæ tamen a Sacerdotibus pronunciari debent ex præcepto Ecclesiæ graviter obligante.

V. Effectus sunt:

1. Conferre gratiam habitualem seu sanctificantem, per se quidem secundam, per accidens quandoque primam: & ideo Sacramentum Eucharistiæ institutum est non modo ad instar cibi nutrientis, sed etiam quandoque vivificantis.

2. Nutrire spiritualiter animam, quæ nutritio consistit tum in augmento gratiæ sanctificantis, tum in jure ad gratias actuales necessarias ad conservandam charitatem.

3. Recreare animum speciali suavitate & dulcedine, quæ consistit in quadam animi promptitudine ad quaslibet res divini obsequii peragendas hilari animo, & celeri voluntate.

4. Liberare suscipientem a peccatis venialibus, *ex Tridentino, ibid. c.* 2., & quidem immediate, & per se, dummodo non habeatur eorumdem complacentia.

5. Præservare a mortalibus, *ex Tridentino, ibid.*, quatenus mediis auxiliis a Deo ob hujus Sacramenti debitam susceptionem concessis excitamur, & movemur ad opera virtutis, & roboramur ad tentationes vincendas, & diaboli insidias superandas.

6. Remittere pœnam temporalem peccatis debitam, non quidem directe & immediate, sed indirecte & mediate ratione fervoris charitatis.

7. Imminuere fomitem peccati, quod præstat vel augendo charitatem actualem, vel alterando corporis temperamentum, v. g. calorem nimium & fervorem sanguinis, quo libido excitatur.

N. B. *Eucharistia producit dictos effectus, dum species manducantur, seu recipiuntur in stomachum ad modum, quo cibus materialis nutrit corpus; sumpta vero sub utraque specie, panis videlicet & vini, non producit majorem effectum, quam sumpta sub una specie*, juxta probabiliorem & expressam D. Thomæ, 3. part. quæst. 79. art. 7. ad 3. *Alias Laicis, quibus in Conc. Constantiense lege communi & generali prohibitus fuit usus Calicis, facta fuisset injuria.*

TAB. CXXXVII. *De Ministro Sacramenti Eucharistiae tum conficiendae, tum distribuendae.*

Minister Sacramenti Eucharistiæ

I. Conficiendæ, est solus Sacerdos rite ordinatus, cum Christus solis Sacerdotibus concesserit facultatem conficiendi Eucharistiam illis verbis: *hoc facite in meam commemorationem*.

II. Distribuendæ

- I. Ordinarius
  - 1. Est solus Sacerdos *ex Tridentino*, & quidem principales sunt Pastores animarum, qui tenentur Eucharistiam administrare subditis non solo quando urget communionis præceptum, sed etiam quoties subditi rationabiliter postulant. *Ex Benedict. XIV. Synod. Diœc. l.* 13. *c.* 19. *n.* 8.
  - 2. Parochus, qui tenetur ministrare Viaticum per se, vel per alios suis peste infectis * cum periculo etiam contagii. Excipe dum
    - 1. Parochus non valeret simul confessionem omnium peste infectorum excipere, & Viaticum administrare, sed necesse foret aliquos sine confessione sincere mori.
    - 2. Parochus nimio periculo expositus timendum esset, ne & ipse deficeret sine spe aliorum Sacerdotum subrogandi.
    - 3. In his duobus casibus posset Parochus eximi ab obligatione administrandi Viaticum peste infectis, si non posset alium idoneum Sacerdotem subrogare.
    - * Administrans Eucharistiam peste infectis non tenetur eam suis manibus ad os infirmi ponere; sed potest eam in mundo, & decenti loco deponere, ex quo eam peste infectus suis ipse manibus posset sacram particulam apprehendere, atque in os suum inferre, *ex Benedicto XIV. lib.* 13. *Syn. Diœc. c.* 19. *n.* 8. *&* 24.
  - 3. Solus Pastor ordinarius, videlicet Papa, Episcopus, Parochus, vel alius curam animarum habens, potest jure proprio dispensare Eucharistiam, cum pascere oves pertineat ad proprium Pastorem. Alii vero Sacerdotes non nisi ex delegatione facienda ex prædictorum aliquo; non tamen requiritur delegatio expressa, sed sufficit tacita, & rationabiliter præsumpta: quod si quis sine licentia, saltem præsumpta (uti contingere posset solum pro casu quo Parochum &c. expresse contradixisset) præsumeret administrare Eucharistiam, peccaret quidem mortaliter; nullam tamen pœnam incurreret.
- II. Extraordinarius
  - 1. Postest esse Diaconus, cui non solum a Papa, vel Episcopo, sed etiam Parocho potest delegari facultas administrandi Eucharistiam, & quidem non solum urgente extrema necessitate, sed etiam extra casum urgentis necessitatis, dummodo tamen adsit gravis aliqua causa, v. g. dum nullus adest Sacerdos, qui commode eam administrare possit, quamvis raro admodum præsentibus temporibus adsit talis causa ob copiam Sacerdotum.
    - * Clericis Diacono inferioribus nequit delegari facultas administrandi Eucharistiam: quod si Diaconus sine delegatione, vel alius Clericus Diacono inferior præsumeret administrare Eucharistiam, præter peccatum mortale, incurreret irregularitatem ex abusu Ordinis sacri, utpote exercens actum proprium sacri Ordinis, quem non habet.
  - 2. In extrema necessitate possunt non solum Clerici Diacono inferiores, sed & Laici administrare Eucharistiam, *ex Benedicto XIV. Tract. de Sacrific. Missæ sect.* 2. §. 168. *& Syn. Diœc. lib.* 13. *c.* 19. *n.* 27.
    - * Sacerdos non solum in extrema necessitate constitutus, sed & ob aliam justam causam, deficiente alio Sacerdote, posset se ipsum propriis manibus communicare; secluso tamen scandalo: sive autem se ipsum communicet, sive ab alio communicetur, debet habere stolam e collo pendentem.
  - 3. Sunt Regulares omnes, qui possunt in suis Ecclesiis, & omnibus Christifidelibus administrare Eucharistiam ex Privilegio diversorum Sum. Pontificum, teste Benedict. XIV. *Const.* Magno *Tom.* 3. *Bull. fol.* 179. *edit. Rom.* §. 21. intellige Ord. Mend. quod S. Pius V. extendit ad omnes. *Excipe*
    - Diem Paschatis, in quo die sine licentia, saltem tacita, vel rationabiliter præsumpta Parochi, nequeunt Regulares, nec quidem in suis Ecclesiis administrare Eucharistiam sæcularibus sive Clericis, sive Laicis (bene vero Religiosis alterius Ordinis, imo & Laicis sive suis commensalibus, sive peregrinis, Viatoribus, & Vagis), etiam illis, qui jam satisfecissent, vel postea satisfacere intenderent præcepto Paschalis communionis; nec quidem toto tempore Paschali possunt administrare Eucharistiam dicti Clericis, & Laicis, *juxta probabiliorem fundatam tum in declaratione Sacræ Congregationis* 11. *Julii* 1651., *tum in Constitutione Benedicti XIV. Syn. Diœces. l.* 9. *c.* 16. *num.* 3., *& Const.* Magno *Tom.* 3. *Bull. ejusd. fol.* 377. *edit. Rom.* §. 22.; & aliter facientes præter peccatum mortale incurrunt excommunicationem latam in Clementina, intellige secluса licentia Parochi: possunt tamen intra tempus Paschale administrare Eucharistiam devotionis gratia sumendam, *ex diversis declarationibus Sacræ Congregationis*.
    - Mortis articulum, vel periculum, utpote exceptum in privilegiis concessis Regularibus, loquendo cum exceptione tum casus quo urgeret necessitas v. g. periculum decedendi sine Viatico, tum casus quo sæcularis aliquis hospitalitatis gratia receptus ægrotaret in Conventu, tum casus quo infirmus jam de manu Parochi accepisset Viaticum, & peteret iterum & tertio communicare, dummodo id non fiat sive deferendo Eucharistiam per vicos & plateas, utpote proprium Parochorum, sive communicando in Oratorio privato, utpote prohibitum a Benedicto XIV. *in relat. Const.* §. 24., tum casus quo mortis periculum alia de causa, quam ex morbo proveniret, v. g. ex ingressu ad conflictum, & assumenda navigatione periculosa, ex primo partu, imo & aliis respectu patientium cum periculo.

N. B. 1. *Nequit administrari sive in nocte Nativitatis Domini* ex Decreto Sacræ Congregationis 7. Dec. 1641. apud Bened. XIV. Tract. de Sacrif. Missæ part. 4. sect. 2. n. 164., *sive die Veneris Sancto, solis infirmis exceptis*, ex Rubricis Missalis, *sive in Sabbato Sancto* juxta consuetudinem ex Bened. XIV. loc. cit.

2. *In Missis de Requie, potest administrari Eucharistia, tum cum particulis in ipsa Missa a Sacerdote consecratis, tum cum particulis ab alio Sacerdote præconsecratis repositis in ciborio*, ex Merati, & Benedicto XIV. loco mox cit. num. 161., *sed non nisi intra Missam administrari debet, non vero sive ante, sive post: in aliis vero Missis potest administrari Eucharistia etiam post Missam*, ex Rituali Romano.

TAB. CXXXVIII. *De Subjecto Sacramenti Eucharistiae, et Obligatione eam suscipiendi.*

Eucharistiæ susceptionis

I. Subjectum

Capax, sunt

1. Omnis & solus homo baptizatus Viator, sive ille sit sanus, sive infirmus, & moribundus, quam & susceptam fuisse a Christo Domino antequam ipsam sumendam Apostolis tradidisset *ex communi omnium Patrum doctrina tradit Benedictus XIV. lib. Instit. Eccles. Instit.* 43. §. *Si quis &* §. *in Evangelico*.

2. Infantes etiam ante adeptum usum rationis juxta communem Doctorum fundatam in usu primitivæ Ecclesiæ tum Orientalis, tum Occidentalis, quæ infantibus statim post baptismum conferebat Eucharistiam sub specie vini ponendo baptizans ad os infantis baptizati digitum intinctum in sanguine Christi, quod adhuc hodie practicatur in aliquibus Regionibus Orientalibus, *ex Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib.* 7. *c.* 12. *n.* 1. *& in Constit.* Allatæ. *Tom.* 4. *Bull. fol.* 175. *edit. Ven.* §. 2. *n.* 7., quod & de facto observatur in Ecclesia Græca ex mandato laudati Pontificis.

Incapax, respective vel absolute sunt

1. De facto nonnisi attingentes perfectum usum rationis, qui rationabiliter præsumi potest adesse quando sciunt distinguere inter Eucharistiam, & alium cibum, & forte etiam quando habent usum rationis ad peccatum, quamvis Benedictus XIV. neget, quod omnis discretio, quæ sufficiens habetur pro sacramento Pœnitentiæ, satis sit ad rite percipiendam Eucharistiam, cujus excellentia majorem exigit in suscipiente judicii maturitatem, ut debita religione & reverentia ad eam fiat accessus, *Syn. Diœc. lib.* 7. *c.* 12. *n.* 2.

* Pueri ante decimum, vel decimum quartum ætatis annum non obligantur ullo præcepto ad Eucharistiam suscipiendam *juxta aliquos:* quidquid sit circa horum opinionem, certum videtur quod tanta non desideretur ætas, ut quis in mortis periculo possit & debeat Sanctissimo Viatico muniri, *ex Benedicto XIV. ib.*

2. Amentes ab infantia, quibus non est administranda Eucharistia, imo nec illis qui post adeptum semel usum rationis inciderunt in amentiam, præter quam in mortis articulo, in quo omnino administranda, dum fieri potest absque periculo irreverentiæ, *ex diversis Conciliis Carthagin. IV. vel Can.* 15. *Qui pœnitentiam* 8. *causa* 26. *qu.* 6.

Semifatui seu habentes debilem, & imperfectum usum rationis; qui tamen admitti possunt ad Eucharistiam, sed raro juxta prudentis Confessarii judicium, ad minimum tamen in Paschate, & mortis articulo, supposito tamen, quod sciant distinguere cælestem hunc cibum a profano; alias inter absolute amentes computandi essent.

Muti & Surdi a nativitate; qui tamen si judicio prudentis Confessarii advertantur habere maturam & perfectam discretionem, possunt etiam in solemnioribus festivitatibus admitti ad communionem.

Energumeni, seu a malo dæmone obsessi & vexati, habentes quædam lucida intervalla, possunt admitti *ex Concilio Arausicano, & D. Thoma,* & quidem non solum in Paschate & mortis periculo, sed & aliis temporibus.

Peccatores occulti, quibus tamen si privatim petant, deneganda est communio, dummodo notitia peccati illius non habeatur ex sola notitia sacramentalis confessionis; si autem publice petant, non est deneganda.

Peccatores publici, quibus deneganda est communio, sive privatim, sive publice petant, *ex Benedicto XIV.;* publici autem peccatores in ordine ad ipsos arcendos a Sacra Communione, juxta mox laudatum Pontificem, censentur, quorum peccata noscuntur vel per Judicis sententiam, vel per propriam confessionem in judicio factam, vel per evidentiam facti, quod nulla tergiversatione potest celari. *Syn. Diœc. lib.* 7. *c.* 11. *n.* 7.

II. Obligatio

1. Non est de necessitate medii, & hinc parvuli ante annos discretionis sine ejus sumptione possunt, virtute Baptismi suscepti, salvari, *ex Tridentino Sess.* 21. *c.* 4. *contra Novat. Calvinis.*

2. Bene vero de necessitate præcepti tum Divini, tum Ecclesiastici; Divini quidem juxta illam comminationem Christi Domini: *nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis,* quæ comminatio respicit omnes & solos adultos, & quidem, juxta probabiliorem, solum baptizatos, non vero Infideles non baptizatos, quidquid aliqui velint & hos respicere.

3. Ex præcepto Divino urget ut quis sæpius in vita & in mortis articulo *ex communi, & certa sententia, & Benedicto XIV.,* sive dein mortis periculum oriatur ex infirmitate, sive ex alia causa v. g. ingressu in conflictum &c.

4. Ex præcepto Ecclesiastico in primitiva Ecclesia obligabat ad quotidianam sumptionem, *ex can. Peracta* 10. *de Consecratione Dist.* 2., quod observabatur adhuc tempore S. Cypriani, postea ad tria anni tempora, scilicet ad Pascha, Pentecostes, & Natale Domini, *ex can. Etsi non de Consecratione Dist.* 2., quod observatum fuit usque ad initium sæculi XIII. *ex Benedicto XIV.*, ac tandem ab anno 1214., obligat saltem in Paschate, *ex Concilio Lateranensi relato cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Pœnitentiis & Remissionibus,* cui dispositioni hodie adhæret Ecclesia.

5. Quam non adimplentes tempore Paschali (quod ex Eugenio IV. durat a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, imo juxta consuetudinem in aliquibus locis adhuc magis extenditur) viventes arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & mortui privantur ecclesiastica sepultura, *ex citato textu Omnis,* nisi id faciant de consilio proprii Sacerdotis, quo nomine venit non solum Parochus, sed & proprius Confessarius, *ex Benedicto XIV.*

6. Quam prævidens se impeditum iri tempore Paschali non tenetur prævenire, nisi prævideret toto residuo anni tempore se impediendum: qui autem prævenit, timens se impediendum tempore Paschali, cessante pro tali tempore impedimento, tenetur denuo communicare tempore Paschali, quia pro tali casu urget præceptum quoad partem temporis Paschalis.

7. Ex quocumque sive ex legitimo impedimento, sive ex malitia tempore Paschali non adimplens tenetur, non quidem quam primum, sed intra residuum temporis anni communicare, quia duo in præcepto annuæ communionis includuntur præcepta, unum principale & substantiale obligans semel in anno, & alterum accessorium obligans tempore Paschali; & hinc qui tempore Paschali neglexit, si antecedenter communicavit, liber manet.

8. Cui minime satisfacit communicans sive tempore Paschali, sive intra annum per communionem sacrilegam, quidquid olim quidam contrarium senserint, quorum opinio proscripta fuit *ab Innocentio XII. propositione* 55. *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

TAB. CXXXIX. *De usu, seu sumptione tum spirituali, tum Sacramentali Eucharistiae.*

Eucharistiae sumptio alia est

I. Spiritualis

1. De qua ex Tridentino censetur participare qui voto seu desiderio propositum illum panem coelestem edentes fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt, seu, ut explicat *D. Thomas 3. part. quaest. 80. art. 1.* qui credunt in Christum cum desiderio sumendi hoc Sacramentum, quo modo potest quivis saepius etiam in die communicare.

2. Quam sumere volens debet se prius disponere per actus contritionis, verae fidei circa realem praesentiam Christi in Eucharistia, humiliationis circa propriam indignitatem, desiderii respectu infinitae amabilitatis Christi Domini; & cum prohibeatur ipsi realiter uniri mediante communione sacramentali, sollicitus esse debet uniri affectu vinculo sancti amoris, ac tandem prorumpere in actus gratiarum actionis & laudum.

II. Sacramentalis simul, & spiritualis consistens in reali sacramenti sumptione cum fructu

1. Si spectetur Eucharistia absolute, ejus usus deberet esset frequens, cum instituta sit per modum cibi spiritualis nutrientis in vitam aeternam. Unde Tridentinum optaret ut singulis Missis fideles non solum spiritualiter, sed & sacramentaliter eam perciperent. *Sess. 22. de Sacrif. Missae cap. 6.*

2. Si spectetur Eucharastia relate ad dispositiones suscipientis, ejus usus debet esse rarior vel frequentior, juxta majorem vel minorem dispositionem suscipientis, *ex D. Thoma loc. cit.*

3. Quotidianus usus Eucharistiae in primitiva Ecclesia vigebat, sive dein ex praecepto, sive ex mera devotione, *juxta diversa Doctorum placita.*

4. Quotidianus usus an consulendus, posterioribus temporibus coeptum est dubitare; & interrogatus D. Augustinus, respondit: *quotidie Eucharistiae communionem percipere nec laudo, nec vitupero.*

5. Aliqui suadendum omnibus docuerunt, alii e contra frequentiorem usum, & multo magis quotidianum universim damnarunt, *teste Bened. XIV. Syn. Dioec. lib. 7. cap. 12. n. 8.*

6. Innocentius XI. in suo decreto de communione quotidiana decrevit, quoad particulares personas relinquendum esse judicio, prudentiae & discretioni prudentum Parochorum & Confessariorum.

7. Neganda est frequens communio illis qui in gravia peccata saepe labuntur, neque de Poenitentia peragenda, suaque vita emendanda solliciti sunt, *ex Benedicto XIV. loc. cit. n. 9.*

8. Neganda quoque illis qui etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhaerentem, *ex Benedicto XIV. ibid.* Quare rejicienda venit illorum opinio, qui ad frequentem, imo quotidianam communionem permittendam non aliam dispositionem requirunt, quam immunitatem a peccato mortali; etsi enim status gratiae sit necessarius ad evitandum sacrilegium, minime tamen sufficiens est ad frequentem & multo minus quotidianam communionem.

9. Ex quibus omnibus videtur concludendum, paucissimos esse, quibus quotidiana communio a prudenti Confessario possit admitti; paucissimos esse, quibus hebdomadaria possit prohiberi, nullum, cui menstrua non posset concedi, *ita concludit Rhodius ex doctrina D. Bonaventurae apud nostrum Gervas. Brisac. Tom. 5. fol. 229. n. 262.*

III. Sub utraque specie, quae respectu Laicorum viguit in Ecclesia usque ad saeculum XII. imo & de facto apud aliquos Graecos viget consuetudo porrigendi panem fermentatum consecratum intinctum sanguine Christi in diebus solemnioribus Paschatis, Pentecostes & Nativitatis Domini, *ex Benedicto XIV. Constit. quae incip.* Allatae sunt, *Tom. IV. Bull. ejusd. fol.* 165. *edit. Ven.* §. 25. non est de jure divino praecepta fidelibus non sacrificantibus, *ex Tridentino* damnante contrarium asserentes; & hinc possit ab Ecclesia prohiberi Laicis usus Calicis, uti factum primo saeculo XII. a quibusdam privatis Episcopis; saeculo vero XV. generali lege a Concilio Constantiensi, quod factum justis de causis, quarum praecipue fuerunt sequentes:

Videlicet ob

1. Periculum proximum effusionis, quae vix evitari potest, ubi est magna populi multitudo, saepissime enim sanguinis guttae decidebant, & aut barbam, aut vestes tingebant.

2. Difficultatem diu servandi speciem vini pro infirmorum communione, cum species vini asservatae brevi possent acescere.

3. Repugnantiam & horrorem, qui in multis reperitur, ad bibendum vinum, & quidem ex eodem Calice.

4. Penuriam vini in multis regionibus.

5. Pertinaciam haereticorum obstinate contendentium, utramque speciem esse jure divino necessariam ad salutem & substantiam sacramenti. Propter has & similes rationes Ecclesia abstulit a Laicis usum Calicis, facta sibi potestate a Tridentino disponendi de sacramentis prout melius judicaverit, salva tamen illorum substantia.

N. B. *Quamvis Ecclesia sustulerit Laicis usum Calicis, haud tamen dubitandum, quod apud ipsam resideat facultas ipsum restituendi, quando expedire judicaverit, cum ritus iste ad disciplinam pertineat: & ideo post definitionem Concilii Constantiensis aliqui Summi Pontifices concesserunt aliquibus petentibus usum Calicis, & Regibus Galliae concessum testatur Tornellus, ut die, qua inaugurantur, Eucharistiam sub utraque specie percipiant.*

TAB. CXL. *De Dispositionibus ad rite sumendam Eucharistiam.*

Dispositio ad Eucharistiam rite sumendam

I. Corporalis exigit

1. Jejunium naturale

Quod ex præcepto Ecclesiastico a principio Ecclesiæ, vel ab Apostolis tradito, vel consuetudine introducto, & in pluribus Conciliis definito, quod præceptum obligat sub mortali, & nullam admittit parvitatem materiæ. Porro hoc jejunium naturale requisitum consistit in abstinentia ab omni omnino eo quod habet rationem cibi & potus, a media nocte usque ad sumptionem Eucharistiæ: imo juxta probabiliorem ab omni omnino re vitaliter ex ore ad stomachum trajecta, quod non violatur usu tabaci sive fumigando, sive trahendo per nasum *ex Benedicto XIV. Synod. Diœc. lib.* 11. *c.* 13. *n.* 12.

Ad quod non tenetur, seu non jejunus communicare potest

1. Constitutus in periculosa infirmitate, qui potest non solum semel, sed & iterum, ac tertio communicare; etiam non jejunus per modum Viatici *ex Benedicto XIV.*, qui si non posset particulam deglutire, posset ei præberi intincta particula in aqua, vel vino non consecrato, *ex eodem.*

2. Ut iterum, ac tertio, vel sæpius communicetur infirmus non jejunus per modum Viatici, exigunt aliqui intervallum duorum vel trium dierum, *ex Rituali Romano.* Alii tamen volunt verba Ritualis non esse præceptiva, sed directiva, & ideo negant necessario exigi illud intervallum.

3. Qui mane bene valens celebravit, vel communicavit, & dein in periculosum morbum incidit, juxta aliquos non posset eodem die communicare per modum Viatici, juxta alios teneretur, juxta quosdam posset, sed non tenetur. Benedictus XIV. ait, integrum esse Parocho eam ex tribus mox allatis sententiis amplecti, quæ sibi magis arriserit. *Sin. Diœc. lib.* 7. *c.* 11. *n.* 2.

4. Dum Sacerdos inchoata jam Missa recordatur se non esse jejunum, nec potest sine scandalo recedere, quia præceptum de vitando scandalo magis urget.

5. Dum supplendus est defectus Sacerdotis, qui post consecrationem impotens evasit ultro prosequendi.

6. Dum post ablutionem deprehenduntur aliquæ reliquiæ in eadem Missa consecratæ, quæ commode asservari non possent.

N. B. *Pro administrando Viatico tamen nequit Sacerdos non jejunus celebrare juxta probabiliorem & expressam Benedicti XIV.* Tract. de Sacrific. Missæ Sect. 2. §. 96.

2. Puritatem Corporis, seu immunitatem a pollutione etiam inculpabili, non quidem de necessitate, sed ex quadam congruentia, *ex D. Th.* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 7. *in corp.* Aliter tamen facientes non peccant nec quidem venialiter, *ex eodem ibid.* Hinc Conjuges non videntur arcendi a Communione ex eo quod præcedenti nocte copulam exercuerint, præsertim si non voluptatis causa, sed ex alio fine honesto & Christiano exercita fuisset. *Ex cap. Vir cum propria Uxore* 7. *Caus.* 33. *quæst.* 4. *& S. Francisco Salesio.* Quod ut plurimum de reddente debitum intellige: nam cum redditio talis sit actus justitiæ & quidem bono fine exercitus meritorius, ea propter actus virtutis, tu ne dixeris virtutem obstare susceptioni Comunionis. Nihilominus, ob tanti Sacramenti reverentiam, in quo Flos Puritatis sumitur, si non juxta consilium Tridentini *part.* 2. *c.* 4. §. 68. aliquot diebus, saltem præcedenti nocte consulendum est ut abstineant a concubitu, vel saltem a petitione.

3. Corporis ad modestiam & pietatem conformationem. *Ex S. Carolo Borromæo.* Hinc Innocentius XI. a communione jussit repelli illas mulieres quæ depicta facie, aperto sinu, atque vultu ad inspirandam luxuriam composito ad Eucharistiam accedunt. Mulieres igitur accedere debent ad Sacram Communionem ita vestitæ & compositæ, ut præter faciem, quam etiam usque ad extremitatem narium denso velo cooperire debent, nihil nudum in illis appareat. *S. Carolus Borromæus in suis Instructionibus.*

II. Spiritualis exigit

1. Statum gratiæ, seu immunitatem ab omni peccato mortali, adeo quod celebrans, vel communicans in peccato mortali gravissimum committat sacrilegium. Status autem gratiæ debet esse procuratus per sacramentalem confessionem, & non sufficit per solam contritionem, licet perfectam *ex Tridentino*, & quidem juxta probabiliorem ex præcepto non solum Ecclesiastico, ut aliqui putant, sed & Divino lato a Christo, & solum promulgato ab Apostolo Paulo illis verbis: *probet se ipsum homo.*

Excipe si

1. Desit copia Confessarii, uti censetur deesse, si vel omnino physice absit, vel saltem moraliter, ut si nimium distaret, non calleret idioma, aut pro tali Diœcesi non esset approbatus, vel careret potestate in reservata.

2. Necessitas urgeat; uti pro administrando Viatico moribundo, ad declinandam infamiam, scandalum prævisum, prout contingere posset a Parocho, si non celebraret die Dominico, vel Festivo.

N. B. *Dicta duo debent indispensabiliter copulative concurrere, ut quis cum sola contritione, non præmissa confessione, celebrare, vel communicare possit.*

Sacerdos celebrans concurrentibus mox dictis duobus cum sola contritione, tenetur quamprimum, idest saltem intra triduum, ut exponunt Auctores, confiteri ex præcepto Tridentini - *quod verum est, etsi toto illo triduo nollet celebrare. Differre autem confessionem ad tempus, quo Sacerdos confitebitur, est* propositio 39. damnata ab Alexandro VII., * *quod procedit de Sacerdote in die Parasceve communicante communione Sacerdotali.*

N. B. *Lapsus in peccato mortali, licet absolute loquendo posset permitti ut eodem, quo lapsus est, die, præmissa sacramentali confessione, celebret, aut communicet; attamen nisi magna necessitas urgeat celebrandi, vel communicandi, differenda est celebratio vel communio,* ex D. Thoma.

2. Immunitatem ab affectu peccati venialis, cum hoc sacramentum remittat peccata venialia ex Tabul. CXXXVI., quæ non possunt remitti dum adest affectus ad illa: sumpta tamen Eucharistia cum peccato veniali v. g. voluntaria distractione, non impedit augmentum gratiæ habitualis, *ex D. Thoma.*

3. Actualem devotionem & fervorem *juxta plures et graves Doctores* in hoc omnino audiendos, si non de necessitate, cum multi negent, id necessario exigi ad percipiendum præcipuum fructuum Sacramenti Eucharistiæ, seu ad augmentum gratiæ habitualis, saltem ad melius esse, seu ad uberiorem fructum percipiendum.

* P. D. *Illa particula,* quamprimum, *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

TAB. CXLI. *De Sacrificio Missae, et ejus essentia, efficacia et valore.*

Missæ Sacrificium

I. Habet rationem veri ac proprii Sacrificii Novæ Legis, in quo principalis offerens est Christus, quatenus alii Sacerdotes inferiores offerunt illud in persona Christi: licet enim Sacerdos in orationibus loquatur in persona Ecclesiæ, in consecratione tamen loquitur in persona Christi, *ex D. Thoma* 3. *part. quæst.* 82. *art.* 7. *ad* 3.

II. Consistit essentialiter in sola consecratione, quia eam solam actionem exercet Sacerdos in persona Christi, & vi ejus actionis habetur immutatio & destructio victimæ, non quidem physica exigua solum in sacrificio cruento, sed mystica & moralis, imo & aliquo modo realis proportionata sacrificio incruento, quale est Missa.

III. Importat

- 1. Victimæ destructionem, & quidem
  - 1. Mystica habetur, quatenus vi verborum consecrationis ponitur Corpus Christi separatum a Sanguine, quo repræsentatur sacrificium Crucis.
  - 2. Moralis habetur, quatenus vi consecrationis ponitur Corpus Christi sub speciebus inanimatis mortuo quodam modo, & in statu omnino inepto ad operationes & functiones naturales vitæ humanæ.
  - 3. Realis aliquo modo, quatenus vi consecrationis ponitur in via & statu ad realem manducationem ac tandem ad corruptionem, vi cujus Christus amittit esse sacramentale, ac proinde desinit esse cibus sensibilis.
- 2. Consecrationem utriusque speciei, quæ non solum est de necessitate præcepti, tum divini tum ecclesiastici, sed & de necessitate sacrificii, cum sacrificium Missæ debeat essentialiter, & per se esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech, quod essentialiter consistebat in oblatione panis & vini, *ex Genesi* 14.
- 3. Virtutem & efficaciam merendi, impetrandi & satisfaciendi præstantiori modo, quam quodvis aliud opus bonum in gratia factum; atque adeo habet vim impetrandi dona & beneficia, præsertim spiritualia, & remissionem peccatorum.

IV. non remittit

- 1. Peccata, saltem quoad culpam, immediate & per se, uti sacramenta, sed solum mediate, seu quatenus impetrat a Deo, ut per debita media, scilicet pœnitentium, peccator, pro quo offertur, perducatur ad salutem, *juxta probabiliorem*.
- 2. Immediate, & per se pœnam debitam peccatis, *juxta aliquos*, sed solum mediate, quatenus impetrat remissionem pœnæ, alii tamen volunt, immediate & per se id præstare, & quatenus institutum in remissionem peccatorum, dicitur *Propitiatorium*.

V. Prædictos effectus præstat non solum *ex opere operantis*, seu ex devotione & pietate offerentis, sed etiam *ex opere operato*, quia ejus efficacia non dependet a merito & dignitate ipsius Ministri, aut ejus pro quo offertur, sed ex sola dignitate ipsius Sacrificii: & hinc Sancti Patres, nominatim D. Thomas, communi calculo dicunt: quod tantum valeat Sacrificium mali, imo, & pessimi Sacerdotis, quam optimi & sanctissimi, intellige per respectum ad fructum ex opere operato.

VI. Prodest non solum sacrificium æque sive a malo, sive a bono Sacerdote offeratur in quantum est sacramentum, sed etiam quoad orationes, quæ in eo dicuntur pro vivis & defunctis, in quantum gerit personam Ecclesiæ; secus in quantum procedunt a privata persona, *ex D. Thoma* 3. *part. quæst.* 81. *art.* 6.

VII. Habet infallibiliter suum effectum, saltem tempore judicato a Deo opportuno, si non ponatur impedimentum, quia ex se nactum & aptum est impetrare, ut fructus mortis & Passionis Christi illis pro quibus offertur, applicetur.

VIII. Valor ejusdem

- 1. Spectati *ex opere operato* ex parte rei oblatæ, & quoad sufficientiam est infinitus, seu habet infinitam dignitatem; secus si spectetur *ex opere operantis*, seu ex merito, & devotione celebrantis, vel ex fervore adstantium fidelium simul cum sacerdote offerentium.
- 2. Ex parte efficaciæ, & quoad applicationem est valoris finiti & limitati; quia Christus noluit per sacrificium incruentum Missæ meritum passionis suæ applicare secundum totam latitudinem virtutis suæ: hinc falsum est, quod unicum sacrificium æque prosit quam plura: merito proinde damnata fuit ab Alexandro VII. sequens propositio 10. * *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

TAB. CXLII. *De Requisitis ad Missae Sacrificium peragendum.*

Ad Sacrificium Missæ peragendum requiruntur

I. De necessitate & præcepto

1. *Sacerdos*, qui celebret, utpote solus Minister Eucharistiæ conficiendæ per dicta in Tabula CXXVII., qui Sacrificium Missæ peracturus debet decenter indutus incedere, vestem talarem gestare, & comam fictitiam, vulgo Parucam, annulumque ex digito, si iis utitur, deponere, *ex Decretis Sacræ Congregationis apud Gavant. Past.* 3. *tit.* 1. *de præparat. Saccrd.*

2. *Minister* tum qui necessaria administret, qui sub gravi obligatione adhibendus est, tum qui respondeat Sacerdoti celebranti, sine quo non, nisi urgente rationabili causa, celebrari debet, in quo casu sibi ipsi respondere debet, & instruere aliquem, qui necessaria administret, nunquam tamen permittendum, ut id præstetur a fœmina, licet Moniali, ad Altare.

3. *Paramenta*, seu vestes Sacerdotales quæ

1. Sunt Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola & Casula, quas ex præcepto Ecclesiastico debet Sacerdos adhibere, adeo quod advertenter omittens non solum omnes, sed etiam unicam duntaxat, cingulo saltem excluso, peccaret mortaliter.

2. Solum ob urgentissimam necessitatem, & ad declinandum scandalum, aut murmur populi, vel ad celebrandum pro administrando Viatico, nam tali subsistente causa, potest sine una, vel altera veste ex prædictis Sacerdos celebrare, & a fortiori sine cingulo, in quo casu alba liganda est vel ligulis casulæ, vel alio ligamine, etiam profano.

3. Debent esse benedictæ: nam per ipsum usum sive bona, sive mala fide non fiunt benedictæ *juxta probabiliorem*, sed debent benedici ab Episcopo, vel ab alio habente ab Episcopo, vel a Sede Apostolica facultatem.

4. Execrantur, seu amittunt benedictionem, quando vel amittunt figuram priorem, in qua benedictæ fuerunt, vel quando ita notabiliter lacerantur, aut immutantur, ut reddantur inhabiles ad usum, ad quem fuerunt destinatæ, *ex Bened. XIV. Instit. Eccles.* §. 21. Hoc pacto: secus si vestis aliqua successive lacerata, reficiatur, sicut nec si cingulum ita laceretur, ut una vel altera pars sufficiat ad cingendum Sacerdotem; imo nec si ad usus profanos adhibeatur.

4. *Recitatio* precum præscriptarum inter induendum vestes sacerdotales, recitandæ juxta aliquos sub mortali, juxta aliquos sub veniali, eo quod ea cæremonia in majori rigore non sit recepta.

5. *Calix* cum *Patena*, quæ omnia debent esse

1. Saltem ex argento; & solum ratione paupertatis permitti possunt ex stanno, prout in Russia Polonica Presbyteris Ruthenis unitis permissum est, *ex Bened. XIV. Constit. quæ incip.* Imposito Nobis, *Tom.* 3. *Bull. ejusd. fol.* 206. *edit. Venet.* §. 2. *&* 8. Nullo autem modo permittitur Calix sive ex ære, sive ex auricalcho, sive ex ligno, sive ex vitro. *Ex can.* Ut Calix 45. *de consecrat. dist.* 1., intellige quoad cupam Calicis, quæ si sit vel ex auro, argento, stanno, licet residuum esset ex alia materia prohibita, non fieret contra præceptum Ecclesiæ.

2. Inaurata in interiori parte, sive sint ex argento, sive ex stanno: Calix quidem in inferiori parte cupæ, Patena vero in superiori parte concava, ubi recipit hostiam.

3. Consecrata (*D. Thomas* 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *in corp.*), & quidem a solo Episcopo, vel ab alio habente a Sede Apostolica indultum. *Ex Bened. XIV. Tract. de Sacrif. Missæ & lib. inst. Eccl.* 21. §. *de Venustate &* §. *Ut omnes.*

6. *Corporale*, quod præcipuum locum tenet in ornatu Calicis, quodque sub mortali ad peragendum Missæ Sacrificium requiritur, & debet esse ex lino confectum. *Ex cap. Consulto* 46. *de Consecrat. dist.* 1. & benedictum, sicut &

7. *Palla*, quæ debet esse ex lino ad modum Corporalis, quæque juxta aliquos requiritur sub mortali, saltem extra casum, quo corporalia essent oblonga ita ut Calicem cooperire possent. Alii tamen negant sub mortali requiri, voluntque defectum suppleri posse vel corporali aliquo, vel bursa, vel purificatorio.

8. *Purificatorium*, cujus defectus mundo strophiolo suppleri potest, in quo tamen non amplius expurgandæ erunt nares; quodque juxta Merati debet esse benedictum; sicut etiam

9. *Velum Calicis*, quod suppleri potest alio velo profano, suo postea usui reddendo.

N. B. *Benedictus XIV. ibidem stat pro benedictione etiam Cinguli, Pluvialis & Pyxidis, seu Ciborii, quæ per ipsum usum nequaquam censentur benedicta juxta probabiliorem, sed debent ab Episcopo, vel alio habente facultatem sive Episcopalem sive Apostolicam benedici.*

10. *Missale*, quod requiritur sub mortali, & adhiberi debet etiam ab illo, qui ob debilitatem visus obtinuit a Sede Apostolica indultum celebrandi Missam *Votivam*, vel *de Requiem*, ad vitandum scandalum.

N. B. *Sacerdotes omnes tam Seculares, quam Regulares sacrum facientes in Ecclesiis Capuccinorum & Capuccinarum, libere ac licite Missalibus Ordinis uti possunt, ex concessione* PII SEXTI, *facta* 15. *julii* 1778. *quod antecedenter erat prohibitum.*

II. De congruentia & ædificatione, ut

1. Sacerdos bene compositus in vestibus sacris, non sicut sartores & sutores magnis laboribus pressi, oculis demissis, incessu gravi, minime affectato, accedat ad Aram.

2. Minister etiam sit decenter indutus, Angelicum quippe munus exerciturus, congruum est, ut etiam in vestibus & externo cultu sit compositus ad decentiam.

3. Calix etiam extra cupam sit mundus, a pulveribus, & immunditiis diligenter abstersus: nam sæpissime offendere est in Calices extra cupam, licet ex argento, ita nigros & sordibus linitos, ut ex antiquo & rubiginoso stanno videantur.

4. Vestes sint mundæ & honestæ: quandoque enim Amictus & Alba tam mucidi & fœtidi sunt, ut nauseam pariant; & ubi Sacerdotes, Sacristæ, Curati nitorem ad sæculi gustum in vestibus & cæteris, quæ tum corporis, tum cubilium respiciunt maxima diligentia curant, vela autem, casulas &c. detritas & fumigatas exponi & indui patiantur.

5. Corporale & Purificatorium, quæ immediate Sanctissimum Corpus & Sanguinem Agni Immaculati contingunt, sint mundissima & candidissima: Nam non solum in Ecclesiis Ruralibus, sed etiam Urbanis & divitibus, sæpissime talia inveniuntur purificatoria & corporalia, ut potius videantur panni coquinarii.

6. Ampullæ item sint mundissimæ, a tartaro &c. immunes, quas conferri subinde oporteret cum suis Scyphis, quibus in suis mensis utuntur, tum indumentorum suorum elegantia & munditie; ad verecundiam dico quorumdam, quos ex Officio & instituto obligatos, & habitualiter negligentes a gravi tandem reatu debita in Deum devotio vix absolvere potest.

TAB. CXLIII. *De Altari et ejus ornatu ad celebrandum requisito.*

Ad Missæ Sacrificium requiritur præterea Altare, quod ex

I. Dispositione Ecclesiæ

1. Sive fixum & stabile, sive mobile & portatile (sine quo in nullo casu, præterquam ob metum mortis, præciso tamen Religionis contemptu, incussum, celebrari potest) debet esse saltem lapideum, nec potest consecrari fixum, quin sit saltem in superiori parte lapideum. *Ex can.* Altaria 32. *de Consecrat. dist.* 1.

2. Excipe Græcos & Latinos distantes ab Ecclesiis ritus Latini, celebrantes in Ecclesiis Lutheranorum Catholicorum, apud quos, cum non sit in usu Altare portatile, concessum est ut ubi Altare solemni consecratione totum consecratum non fuerit, loco lapideæ tabulæ, seu Altaris portatilis, super Altaris mensa aptetur linteum quoddam Episcopali benedictione consecratum.

3. Indulgetur, & a jure communi conceditur omnibus Sacerdotibus, etiamsi sit portatile, dummodo existat in Ecclesia. Quid vero juris de Altari portatili extra Ecclesiam existente, dicetur sequenti Tabula.

4. Interdicitur omnibus Sacerdotibus absque speciali Indulto Apostolico
   1. Quodvis Altare Pontificium in Patriarchalibus Urbis Basilicis existens.
   2. Consecratum a Sixto V. super quo ipse Pontifex celebravit, cum S. Didacum in Sanctorum Album retulit, dono missum Philippo II. Hispaniarum Regi.
   3. Consecratum a Benedicto XIV. dono missum Joanni V. Lusitaniæ Regi.
   4. Basilicæ Assisiensis, quod Papale declaratum fuit a prælaudato Bened. XIV. per Constitutionem *Fidelis Dominus. Tom. 4. Bull. ejusd. fol.* 116. *edit. Venet.* §. 6.
   5. Quodvis aliud, si in eo illa die Episcopus celebravit (pro illa die tantum). *Ex can.* In Altari 97. *de Consecrat. dist.* 2., quidquid aliqui contrarium sentiant. *Ex Bened. XIV. Constit. quæ incipit* in postremo. *Tom. 4. Bull. ejusd. fol.* 295. *edit. Venet.* §. 9.

5. Debet esse coopertum linteaminibus, seu lineis mappis, & quidem tribus, *Ex Rubricis Missalis*, sine quibus, saltem duabus & una duplicata, nequit sine gravi peccato celebrari, si excipias urgentem necessitatem, in qua loco mappæ sufficit potest vulgaris quædam tobalea.

6. Debet habere
   - Saltem duo Candelabra cum duabus candelis
     - Hinc & inde in utroque cornu accensis, ex Rubr. Miss., & nunquam celebrandum sine saltem uno lumine. Quod si inchoato Sacro contingat utrumque tamen extingui absque spe aliud habendi, aliqui volunt abstinendum ab ulteriori prosecutione, *ex cap.* Litteras 12. *de celebrat. Missarum*, a quo tamen rigore recedunt alii, si Missa sit usque ad Offertorium inclusive protracta. Quod si ante consecrationem contingat utrumque extingui, expectandum ut reaccendantur; secus si post consecrationem.
     - Ex cera propter decentiam: in necessitate tamen sufficit sive sit ex cera, sive ex sevo, sive ex oleo, cui tamen præferri debet lumen ex sevo.
   - Crucem in medio candelabrorum, *ex Rubr. Miss.* non nudam, sed cum Crucifixi imagine. *Ex Cærem. Episcop. & Bened. XIV. Constit.* Accepimus. *Tom.* 2. *Bull. ejusd. fol.* 57. *edit. Rom.* Quæ apponenda venit tam pro casu, quo in majori tabula Altaris depictus esset Crucifixus pendens e Cruce, nisi hic primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem Tabula exprimuntur: *Ex Bened. XIV. ibid.* quam pro casu, quo parva Crux affixa esset in Tabernaculo: *Ex Decret. S. Congreg.*, nec non pro casu quo in Altari publicæ adorationi esset expositum Augustissimum Sacramentum. *Ex ejusd. decr. an.* 1707. *& Bened. XIV. ib.* Celebrans sine Cruce, præciso contemptu, aut scandalo, nonnisi venialiter peccat.
   - Tabulas præterea *Secretarum* dictas in utroque cornu & medio; non ad ornatum, sed ad necessitatem, ut a Sacerdote in eisdem tum Consecrationis verba, tum cætera, quæ alias memoriter dici solent, clare, distincte & commode legi & recitari possint.

7. Debet esse, sive fixum sit, sive mobile, consecratum ab Episcopo; *Ex can.* Nullus 25. *de Consecrat. Dist.* 1., vel ab alio habente a Sede Apostolica facultatem: nec per ipsum usum, seu celebrationem censetur consecratum, *juxta probabiliorem*.

8. Censetur execratum, seu amisisse consecrationem, & quidem
   1. Fixum quando lapis, seu mensa superior consecrata amovetur ab inferiori structura, seu basi, cui est affixa, vel columnis, quibus innititur. *Ex cap.* Quod in dubiis. 3. *de Consecrat. Eccles. vel Altaris.*
   2. Mobile, seu portatile dum enormiter, seu notabiliter frangitur, aut diminuitur, adeo quod Calix & Patena secundum majorem sui partem capi amplius ab eo non queant. *Ex cap.* Ad hæc. 1. *De Consecrat. Eccles. vel Altaris.*
   3. Sive fixum, sive mobile, juxta aliquos fractione quoque, aut amotione sepulcri, seu loculi, in quo Sacræ Reliquiæ continentur, juxta probabiliorem fundatam in citato cap. quamvis negent alii.

II. Decentia, & Religione debet esse

1. Aliqua Imagine e conspectu in superiori parte decoratum, eaque modesta & devotionem spirante. Hinc (excipe Majores Aras Basilicarum Cathedralium) improbanda praxis tam eorum, qui non nisi Crucifixo requisito a Rubricis, Lutheranorum more instruunt Altare, quam eorum, qui in Altaribus exponunt tales picturas, præsertim Sanctarum, quæ potius venerem spirant, quam puritatem devotionis; quæque quamvis celeberrimorum pictorum sint, ab Altaribus & Ecclesiis essent amovendæ.

2. Floribus pro posse adornatum cum hi sint signum lætitiæ, jucunditatis, amoris, devotionis & gratitudinis, quæ maxime divinæ Majestati debentur.

3. Crucifixo formæ devotæ, non confracto, vel filo ligato, & bene mundo.

4. Candelabris mundis a pulveribus & cera abstersis; candelisque honestæ magnitudinis, non comparatis ad sordidissimam œconomiam, quales lusores in civilibus conversationibus renuerent.

5. Tobaleis coopertum mundis, cæterisque utensilibus, & ornamentis a pulveribus & maculis immunibus. Frequentissime enim in Ecclesiis & Parochiis ruralibus videre est Tobaleas nigras, maculosas, mucidas, cera, pulveribus & murium sordibus plenas; verbo tales, qualibus mucidus caupo non uteretur pro sternenda carbonariorum mensa; plateamque inferioris Altaris sordibus adeo onustam, ut credi possit campus recipiendis fabarum seminibus dispositum. Pulchra sane res, & digna visu, videre subinde personas nobiles in suis privatis Oratoriis Sacris interesse mysteriis compositas, circumornatas, ut similitudo Templi, in conspectu hujusmodi Altarium. Tanta sorditudo prorsus in Custodibus, Ecclesiarum Rectoribus, Parochis, Curatis, Æditius, qui decori Domus Dei, & Altaris ex officio omnem diligentiam impendere tenentur, defectum fidei connotat; & eos vel divinitatis præsentiam non credere, vel præsentiam Majestatis non mereri externi cultus protestatione reverentiam.

TAB. CXLIV. *De Loco, in quo celebrari potest sacrosanctum Missae sacrificium.*

Missam celebrare

I. Licet in

1. Ecclesia non solum ab Episcopo consecrata, sed etiam legitima auctoritate solum benedicta, vel saltem ad cultum divinum deputata, *ex Tridentino sess. 22. in Decreto de observandis & vitand. in celeb. Miss.*

2. Oratoriis publicis sive benedictis, sive solum ad cultum divinum deputatis. Nomine autem Oratorii publici venit locus a Parochiali Ecclesia remotus auctoritate Episcopi erectus ad cultum divinum, dote fundata, destinatus, habens januam in via publica communi accessui patens, & ad usus profanos non convertibilis, *ex cap. Ad audientiam 4. de Ecclesiis ædificandis, vel &c.*

3. Oratoriis & Capellis Monasteriorum privatis deputatis a superioribus in anteriori parte ejusdem Monasterii ad divinum cultum, præcipue ad celebrandam Missam, *ex privilegio Leonis X. Constit. quæ incipit* Religionis suadet honestas. *Tom. 6. Bull. Capucc. fol. 217. & Gregorii XIII.*, in quibus potest quivis sacerdos tum sæcularis tum regularis celebrare, & quivis audire sacrum, etiam in ordine ad satisfaciendum præcepto, cum privilegium hoc non tam personale, quam locale sit.

4. Oratoriis privatis, supposito speciali indulto, de quo in sequenti Tab.

N. B. *Celebrantes extra dicta loca peccant mortaliter, extra casum urgentis necessitatis, v. g. tempore pestis, belli, persecutionum, pro casu quo Ecclesiæ essent dirutæ vel combustæ, aut in maximo concursu populi, quem sacer locus non capit: in his enim & similibus casibus potest sacerdos extra dicta loca celebrare, & quidem etiam absque licentia Episcopi.*

2. *Item Celebrantes in Ecclesia execrata, seu quæ amisit consecrationem, uti contingit, si comburatur, corruat, destruatur vel ex toto, vel ex majori parte simul & semel; imo si sermo sit de consecrata Ecclesia, si solum parietes interius decrustentur.*

II. Non licet in Ecclesia polluta: qualis redditur per

1. Voluntariam, injuriosam & graviter peccaminosam sanguinis humani effusionem, in Ecclesia causatam, *ex cap. Tuarum 11. de Privilegiis*, sufficit quod homo in Ecclesia ita graviter percussus & vulneratus fuit, etsi notabilis sanguinis effusio extra Ecclesiam contingeret; secus si extra Ecclesiam vulneratus confugeret ad Ecclesiam, & ibi contingeret sanguinis effusio. Si tamen ex percussione, licet graviter peccaminosa, non contingeret copiosa sanguinis effusio, aut nulla, non censeretur per hoc polluta Ecclesia.

2. Voluntarium & injuriosum homicidium sive sui ipsius, sive alterius causatum in Ecclesia, etsi fieret sine sanguinis effusione v. g. suffocatione, propinatione veneni &c., *ex cap. Proposuisti 4. de Consecratione Ecclesiæ vel Altaris;* quod verum est, etiam si inferatur mors sive auctoritate publica sive a Tyranno in odium fidei; secus si homicidium non sit voluntarium, sed vel causatum a furioso, vel ebrio, aut factum in sui justam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ; aut causa, v. g. vulneratio contigisset extra Ecclesiam, uti in porticu vel turri & vulneratus confugiens ad Ecclesiam ibi moriatur.

3. Voluntariam & illicitam, seu peccaminosam humani seminis effusionem in Ecclesia factam, *ex cap. Si Ecclesiam Unico de Consecratione Ecclesiæ vel Altaris 126.*, sive dein pollutio contingat simpliciter, sive per fornicationem, adulterium, aut sodomiam, sive etiam per copulam conjugalem, saltem extra necessitatem exercitam a conjugatis in loco sacro.

4. Sepulturam datam in Ecclesia sive excommunicato vitando, *ex cap. Consuluisti 7. de Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris*, sive infideli non baptizato, *ex cap. Ecclesia 27. de Consecratione Dist. 7.*, quod procedit etiam de prole catholicorum non baptizata, saltem extra matris uterum existente; imo Glossa vult, quod si cum matre moriatur & fœtus in utero, aperiri debeat mater, & extrahi fœtus, & hic extra locum sacrum sepeliri.

N. B. *Prædicta quatuor delicta polluunt Ecclesiam solum pro casu quod sint publica & notoria notorietate sive juris, sive facti,* ex Glossa in cap. *si Ecclesiam* Unico de Consecratione Ecclesiæ vel Altaris 126. ad Verbum *Pollui.*

III. Consectaria

1. Polluta Ecclesia, censetur pollutum etiam Cœmeterium contiguum; secus remotum; neque sive in illa, sive in hoc potest quis sepeliri antequam reconcilietur, *ex cap. si Ecclesiam Unico de Consecratione Ecclesiæ vel Altaris* 126. Pollutum tamen Cœmeterium, licet contiguum, non censetur polluta Ecclesia; debet tamen singillatim reconcilliari eo ritu, quo Ecclesia polluta; *ex Pontificali Romano.*

2. Scienter celebrans in execrata, vel polluta peccat mortaliter *juxta omnes*, nullam tamen pœnam incurrit ipso jure, *ex Benedicto XIV. Tract. de Sacrif. Missæ sect. 2. §. 55.*, nec per ipsam celebrationem Missæ bona, vel mala fide in Ecclesia polluta factam, censetur reconciliata *juxta probabiliorem.*

3. Sepultus in loco sacro sive excommunicatus vitandus, sive infidelis debet exhumari, si ejus ossa discerni possint, *ex cap. 12. de sepulturis.*

4. Si sub actuali celebratione contingeret Ecclesiam violari post canonem inceptum, sacrificium perfici debet; si vero ante canonem, recedendum foret ab Altari donec reconciliata fuerit Ecclesia, *ex Rubricis.*

5. Per sepulturam excommunicati tolerati, vel alterius, qui alias de jure privatur sepultura Ecclesiastica, non violatur Ecclesia *juxta probabiliorem.*

6. Solus Episcopus potest Ecclesiam consecratam pollutam, seu violatam, reconciliare, *ex cap. Aqua de Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris;* & hanc facultatem solus Papa, non vero Episcopus potest delegare semplici sacerdoti, *ex Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib. 13. c. 15. num. 2.* Reconciliatio fieri debet aspersione aquæ, vino, cinere & sale mixtæ per Episcopum benedictæ, & quidem sine mora, *ex allato juris textu.*

7. Ecclesia solum antecedenter benedicta, vel solum auctoritate Episcopi, vel alterius ad cultum Divinum deputata, si polluatur, potest a quolibet simplici sacerdote, nulla etiam petita licentia, reconciliari per aspersionem solius aquæ communis benedictæ, *ex Benedicto XIV. ibid.*

8. Polluta Ecclesia consecrata, censentur polluta etiam Altaria in ea fixa, adeo quod ante reconciliationem nequeat in tali Altari Missa celebrari; attamen Altaria non indigent speciali reconciliatione, sed per ipsam reconciliationem Ecclesiæ censentur reconciliata etiam Altaria.

TAB. CXLV: *De Celebratione Missae in Oratoriis privatis, et tempore, quo celebrari potest:*

Missam celebrare

- I. In Oratorio Privato, sic dicto, vel quia in privato loco ad nutum Domini in cubile, vel etiam triclinium, &c. commutando; vel quia privata auctoritate delecto, erectoque, & si in loco publico
  - 1. Permissum antiquo tempore: quæ permissio duravit usque ad Concilium Triburiense celebratum anno 895., in quo ad id exigebatur licentia Episcopi; quia vero ad dandam hujusmodi licentiam Episcopi valde faciles erant, hinc per Tridentinum sublata fuit ipsis talis potestas, adeoque de facto nequit ullus amplius celebrare in Oratorio privato sine speciali indulto Sedis Apostolicæ.
  - 2. Permittitur a∣ctu ex indulto
    - 1. Cardinalibus, qui in suo Palatio possunt in Oratorio privato a se erecto celebrare, imo & celebrare facere, & audientes in eo Missam satisfacere præcepto de audienda Missa *juxta omnes*.
    - 2. Episcopis qui in suis Episcopalibus Palatiis possunt celebrare, & facere celebrare, *ex Benedicto XIV.*, eo quod Palatia Episcoporum (idem dici potest de Palatiis Cardinalium, & Conventibus, seu Monasteriis Religiosorum) non veniant nomine privatarum domorum, ad quas unice Tridentina prohibitio se extendit.
    - 3. Episcopis, qui non solum in suis Episcopiis, sed etiam in privatis domibus tam intra, quam extra Diœcesim existentibus possunt celebrare, & facere celebrare, *ex privilegiis Bonifacii VIII. rel. cap.* Quoniam. 12. *de privilegiis in* 6. *Benedicti XIII. et XIV. Constit. quæ incip.* Cum magno animi *Tom.* 3. *ejusd. fol.* 210. *edit. Ven.* §. 3.
    - 4. Regularibus, qui possunt celebrare in oratoriis privatis erectis in propriis Monasteriis & Residentiis ad cultum divinum a superioribus destinatis, *ex Privilegiis Leonis X., et Gregorii XIII. relat. cap.* In his. 30. *de privilrg. teste Bened. XIV. in pref. Constit.* §. 29., imo & quivis Sacerdos potest in dictis Regularium Oratoriis celebrare per dicta in priori Tab.
  - 3. Non possunt sive
    - 1. Regulares sine speciali indulto post Tridentinum concesso celebrare in oratoriis privatis erectis in domibus Laicorum, quia vi Tridentini omnia privilegia antecedenter concessa Regularibus sublata fuerunt, *ex Benedicto XIV.* Nomine autem domorum Laicorum comprehendi etiam Grangias, seu domus rurales, quæ sunt sub proprietate, & dominio alicujus Monasterii, in quibus solum quidam conversi pro agrorum cultura, vel cura manere solent, declaratum fuit a Sacra Congregatione Concil. Tridentini v. *Maii* 1687.
    - 2. Episcopi amplius concedere licentiam celebrandi in oratoriis privatis, saltem per modum privilegii, *ex Benedicto XIV. ibid.* §. 21.; pro aliquo tamen casu ex justa & rationabili causa, præsertim pro solatio alicujus infirmi, possunt.
    - 3. Habentes indultum Pontificium celebrandi, vel permittendi celebrare in oratoriis privatis unicam Missam, & in eo nulla dies fuisset excepta (uti ordinarie aliqui dies excipi solent) possent in die Nativitatis Domini omnia tria sacra celebrare, *ex Benedicto XIV. in Tract. de Sacrif. Missæ. Part.* 4. *Sect.* 2. §. 29. *et in præf. Constit.* §. 27.
    - 4. Non nominati in indulto Pontificio audire sacrum celebratum in oratorio privato, & satisfacere præcepto de audienda Missa.
    - 5. Sacerdotes quicumque absentibus indultariis (quo nomine veniunt personæ, quæ in fronte, seu inscriptione Brevis nominantur, & ordinarie sunt Vir & Uxor) dum in indulto habeatur clausula exigens præsentiam saltem unius personæ indultariæ, prout attento stylo moderno concedi solet, *ex Benedicto XIV. ibid.* §. 14.
- II. tempore vetito, vi cujus
  - 1. Missæ privatæ nequeunt celebrari sive in feria V. Cœnæ Domini (nisi ubi adest consuetudo, uti adesse Parisiis testatur *Benedictus XIV. In Tract. de Festis D. N. J. C. cap.* 6. *de Fer. V. in Cœn. Domini num.* 48. *edit. lat.* quam Pontifex non reprobat; vel ea die incidat festum Annunciationis B. M. V., vel S. Josephi), in quo casu possunt aliquæ privatæ celebrari *ex Decretis Sacræ Congregationis die* 13. *Sep. an.* 1692., *et die* 10. *Janua.* 1693. *teste Merati. Tom.* 1. *in Indice Decret. sub num.* 501., *et* 504., sive in feria VI. Parasceves sive in Sabbato Sancto *ex can. sabbato* 13. *de Consecratione Dist.* 5., *et declaratione Sacræ Congregationis*.
  - 2. Nocturno tempore nequit celebrari, excepta nocte Natalis Domini, in qua potest quivis Sacerdos Missam primam de nocte celebrare; non tamen alias duas consequentes *ex declarationibus Sacræ Congregationis die* 7. *Decemb.* 1641., *et* 18. *Decemb.* 1702.
  - 3. Aliis diebus non licet ante Auroram (quæ juxta communionem & probabiliorem, inchoat una hora cum dimidia ante solis ortum) sine speciali indulto, & rationabili aliqua causa, *ex Rubricis Missalis*, & hinc inchoari potest Missa
  - 4. In Januario & Decembri circa sextam, in Februario & Novembri circa quintam, in Martio & Octobri circa mediam quintam, in Aprili, Augusto & Septembri circa quartam, in Majo, Junio & Julio circa tertiam horologii ultramontani.
  - 5. Celebrans sine rationabili aliqua causa anticipato notabiliter tempore præscripto v. g. per mediam horam, aut horam, juxta aliquos peccat mortaliter, quamvis alii mitius sentiant, ex justa rationabili causa potest quivis sacerdos ante Auroram celebrare. *
  - 6. Post meridiem nemo, nec quidem Regularis, potest celebrare, *ex decreto Clementis XI.*, quamvis *Benedictus XIII.*, *et Clem. XII.* concesserint, ut uno quadrante ante Auroram inchoari possit Missa, & protrahi usque ad quadrantem post 12. *ex Bened. XIV. lib. Instit. Eccl. Instit.* 13. §. *ita se res habet*.
  - 7. Habens speciale indultum a Sede Apostolica celebrandi sive ante Auroram, sive post Meridiem, debet se regulare juxta indultum.

* Dictum fuit, *ex justa et rationabili causa*

- 1. Qua subsistente potest uti Epicheja: nam hæc prohibitio in ratione vetiti non differt a cæteris legibus Ecclesiæ: quod ubi liceat in reliquis, nescio cur non, & multo magis in hac. Urget quippe Ecclesia SS. PP. sententiis, signanter V. Bedæ, omnes Sacerdotes legitime non impeditos quotidie celebrare; unde absque nota lasitatis vel inobsequii in legem dixerim Sacerdotem posse uti tali Epicheja; & illa hora post mediam noctem celebrare, quæ sola stat in sui dispositione, quoties alias est expositus periculo vel omittendi celebrationem, vel indevote celebrandi.
- 2. Quæ e. g. urgens necessitas itineris conficiendi
  - Pedibus
    - 1. Ad loca valde dissita, quæ ut ad vesperam contingantur, antelucanum exigunt discessum: & Ecclesiæ intermediæ vel non sunt, vel extra viam multum temporis absumptura.
    - 2. Per loca, in quibus per decursum diei nihil invenitur, quo stomachus calchat, urgetque proinde aliquid sumere ante discessum.
  - Curru
    - 1. Cum prudens ingruit periculum nec celebrandi, nec Missam audiendi, quod contingere potest itineranti cum vectoribus, & aurigis rixosis, blasphemis, detrectantibus consistere in locis celebrationi accommodis &c.
    - 2. Cum ob pericula grassatorum aliis curribus mature discedere volentibus sociari, & per oblationem Sacrificii a Deo tutela contra insidias implorari oportet.

* Difficillime in hoc novi consensuros Theologos, Canonistas, aliosque, quorum interest. Sed his audeo dicere: *Urget et sacra propter homines, non vero vicissim: & si non in curribus, et in equis, ita in Nomine Domini* eos oporteret itinerari, proculdubio in meam deflecterent sententiam.

TAB. CXLVI. *De Obligatione sacrosanctum Missae sacrificium celebrandi.*

I. Quotidie summe laudabile & valde utile est, & consequenter sacerdotibus omnibus consulendum, ad quod, juxta instructionem datam a S. Francisco Salesio cuidam juveni Sacerdoti timido, sufficit non habere conscientiam gravatam peccato lethali, *ex Benedicto XIV. Tract. de Sacrif. Missæ part.* 4. *sect.* 2. §. 12.

II. Nullus tamen Sacerdos quotidie tenetur.

III. Quivis sacerdos, licet simplex seu curam animarum non habens, tenetur sub gravi culpa, saltem aliquando intra annum celebrare, *ex D. Thoma,* 3. *part. quæst.* 82. *art.* 20. *in corp.*, & hinc non posset absolvi, qui statueret numquam per totum anni cursum celebrare, *ex Benedicto XIV. ibid. loc. cit.* §. 9.

IV. Simplex Sacerdos tenetur sub mortali, saltem diebus solemnioribus, Paschatis, Pentecostes & Nativitatis Domini, celebrare; imo, juxta aliquos, singulis diebus Dominicis, & festivis; alii tamen negant quod teneatur sub gravi culpa, sed solum sub veniali celebrare singulis diebus Dominicis & Festivis.

V. Sacerdos curam animarum habens, v. g. Parochus, tenetur sub gravi culpa celebrare quoties munus ipsius exigit, ut Missa per se vel per alium celebret, *ex Tridentino Sess. de Reform. cap.* 14., atque adeo tum diebus illis, quibus populus ex præcepto Ecclesiæ tenetur audire sacrum, tum dum benedictio nuptialis danda est, tum dum aliquis sepeliendus est, cum Rituale Romanum consulat, ut id fiat cum Missa; tamen si alicubi alia est consuetudo, sicut plerumque est, ut a meridie sepeliantur, huic standum.

VI. Canonici sive Cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ, considerati secundum se, præcise non habent majorem obligationem celebrandi, quam alii simplices Sacerdotes; considerati tamen ut unum corpus constituentes, tenentur quotidie in eorum respective Ecclesiis sacrum Conventuale habere, *ex cap. Cum creatura* 9. *de celebratione Missarum,* imo & duo vel tria, *juxta præscriptum Rubricarum.*

Sacrificium Missæ celebrare

VII. Nullus Sacerdos hodie potest absque mortali peccato plures Missas eodem die celebrare, utpote a sæculo XII. prohibitum ut avaritiæ quæstibus, aut obloquentium suspicionibus obviam iretur, ait Bened. XIV. *Constit.* Declarasti Nobis, T. 2. Bull. fol. 9. edit. Ven. Si excipias

1. Nativitatis Domini, in qua apud Latinos tres Missæ celebrari possunt, *ex can. sancta* 48. *de consecratione Dist.* 1., & ex consuetudine Ecclesiæ ab anno 139. perseverante in Ecclesia Ritus latini, licet nullus teneatur sive celebrare, sive audire eo die tres Missas, sed sufficiat unicam celebrare vel audire, & pro casu quo unica celebretur, consultum est ut tertia Missa, cujus oratio convenit cum officio, legatur; Græcis tamen sive in partibus Orientalibus, sive Occidentalibus existentibus & commorantibus, nunquam fuit permissa trina celebratio, *ex Benedicto XIV. Constit. quæ incip.* In Superiori, *Tom. IV. Bull. ejusdem fol.* 220. *edit. Ven.*

2. Diem Commemorationis omnium fidelium Defunctorum pro Sacerdotibus Regnorum Aragoniæ & Valentiæ, ac Comitatu Catalauniæ in Hispania, qua cuilibet sacerdoti sæculari bis & regulariter licitum est celebrare, *ex privilegio Julii et Pauli III. apud Bened. XIV. in Constit.* Declarasti *Tom.* 2. *Bull. ejusd. fol.* 10., imo in tota Hispania & Lusitania omnibus Sacerdotibus tam Sæcularibus quam Regularibus commorantibus in dictis partibus licitum est illa die tres Missas celebrare, *ex privilegio Bexed. XIV. Constit. quæ incip.* Expensis, *Tom.* 2. *fol.* 498. *edit. Rom.*, vi cujus tamen nequeunt secundam & tertiam Missam applicari pro aliquo particulari defuncto, sed debent in suffragium omnium Fidelium defunctorum; nec possunt pro secunda & tertia Missa stipendium accipere sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ summo Pontifici reservatæ, a qua tamen possunt absolvere Archiepiscopi & alii locorum Ordinarii, injuncta tamen obligatione restituendi stipendium.

3. Casum necessitatis, qui modernis temporibus unicus esse potest, videlicet provisio duarum Ecclesiarum, ut si Parochus habens duas vel plures Parochias providendas, tribus tamen suppositis, videlicet, si non adsit alius Sacerdos, si ille, qui bis vel ter celebrare debet, sit jejunus, seu in prima Missa non sumpserit purificationem, si habeatur licentia vel saltem facta sit Episcopo insinuatio, ut discernat: an sit vera necessitas? *ex Benedicto XIV. in Tract. de Sacrif. Missæ part.* 4. *sect.* 2. §. 30.

* Extra hos casus nequit sive ratione supervenientis magni populi concursus, sive pro administrando Viatico, sive propter adventum Episcopi, Regis aut Principis, sive pro solemni benedictione matrimoniali danda, sive pro sepultura danda eodem die, bis aut pluries celebrari ab eodem Sacerdote, *ex Benedicto XIV. Constit. quæ incip.* Quod expensis, *Tom.* 2. *Bull. fol.* 296. *edit. Ven.* §. *Nova hac.*

VIII. Neque Episcopus habens duos Episcopatus inter se vicinos potest eodem die iterato, nequidem feria V. in Cœna Domini in ordine ad conficiendum tam in uno, quam in altero sacrum Chrisma, *ex Benedicto XIV. Constit. quæ incip.* Declarasti, *sup. rel. Tom.* 2. *fol.* 9. *edit. Ven.* §. *Præterea.*

TAB. CXLVII. *De Obligatione applicandi Sacrosanctum Missae Sacrificium.*

Sacrificium Missæ

- I. Offerri potest soli Deo, cum sit actus Latriæ, quo Dei in omnes creaturas supremum dominium, nostramque erga eum subjectionem protestamur. Unde cum aliquæ Missæ dicuntur de Sanctis, propterea tamen non dicuntur illis offerri, sed soli Deo in honorem & memoriam illorum, quatenus pro nobis apud Deum intercedant. *Ex Tridentino Sess. 22. cap. 3.*
- II. Applicari
  - 1. Quo ad fructum
    - *Meritorium* gratiæ, & gloriæ, alteri nequit, quam offerenti, quia illi soli prodest.
    - *Impetratorium, & satisfactorium*, qui dividitur in tres portiones, videlicet
      - 1. Generalem (quæ provenit ex sacrificio Missæ quatenus a Sacerdote offertur nomine Christi, prodestque omnibus omnino fidelibus tam vivis, quam defunctis, præsertim in Canone nominatis, assistentibus ministrantibus, & cooperantibus) nemini potest in particulari, quia applicatur a Christo, qui est principalis offerens, & vel ideo nemo positive potest excludi absque duplici peccato contra charitatem, & obedientiam.
      - 2. Specialem vel Ministerialem, seu etiam mediam provenientem ex Sacrificio quatenus offertur a Sacerdote ut Ministro Christi, prodestque illi pro quo offertur
        - 1. Omnibus fidelibus vivis, qui sint justi, seu in statu gratiæ, prodesse potest, quoad utrumque fructum tum impetratorium, tum satisfactorium: si vero
        - 2. Peccatoribus (etiam excommunicatis, toleratis tamen) quibus prodesse potest quoad solum fructum impetratorium, nimirum gratiæ resipiscendi a culpa, vel etiam avertendum ab illis aliquod malum.
        - 3. Defunctis existentibus videlicet in Purgatorio, quibus prodesse potest saltem quoad fructum satisfactorium, & quidem juxta aliquos infallibiliter: quidquid alii velint prodesse solum eis per modum impetrationis, in quantum, & prout Deo placuerit.
      - 3. Specialissimam, quæ provenit ex sacrificio, quatenus offertur a Sacerdote ut persona privata, prodestque sacrificanti, probabilius & nulli alteri.
  - 2. Nequit pro excommunicatis vitandis a sacerdote, quatenus gerit publicam personam Christi, vel Ecclesiæ, cum tales priventur omnibus omnino Ecclesiæ suffragiis, attamen ut persona privata potest Sacerdos *in Memento* orare pro ipsis, dummodo id non faciat per orationes, & collectas, quæ communi nomine dicuntur.
  - 3. Debet a Sacerdote
    - Ut prosit fieri intentione
      - 1. Applicandi fructum specialem ministerialem, vel medium alus in particulari: non vero fructum, seu portionem fructus generalem; quæ non fit per intentionem Sacerdotis, sed ipsius Christi: ut superius dictum.
      - 2. Quæ juxta aliquos debet esse saltem virtualis; juxta alios vero sufficit si sit habitualis: quorum opinio etsi appareat probabilior, videaturque ei adhærere Bened. XIV., consulenda tamen in praxi non solum virtualis sed & actualis; quam laudatus Pontifex consuluit fieri, antequam Sacerdos se sacris vestibus induat. *In Tract. de Sacrif. Missæ Sect. 2. n. 142.*
    - Habente
      - 1. Curam animarum; uti sunt Parochi, ex præcepto, & quidem divino, pro populo, *ex Trident. Sess. 23. de Reform. cap. 1. & Bened. XIV. Const.* Cum semper. *Tom. 1. Bull. ejusd. §. 2. fol. 222. edit. Ven.* Quo præcepto non solum Parochi, & Vicarii Sæculares, & Œconomi Ecclesiarum vacantium; sed etiam Parochi, & Vicarii Regulares adstringuntur. *Ex eodem ibid. §. 4.*, & quidem singulis diebus Dominicis, & Festivis, etsi a populo nihil haberent. *Ex Rescript. S. Cong. Concil. die 18. Febr. 1616. & 24. Januar. 1724.* & ex Bened. XIV. *Instit. Eccl. 10. & Constit.* Cum semper, *ib. tom. 1. §. 6.*
      - 2. Beneficium simplex toties quoties litteræ fundationis præscribunt, aut in conventione præscriptum est: & si in litteris fundationis nulla fuisset facta mentio applicationis, sed tantum celebrationis, standum esset pro applicatione etiam, ex supposito quod pro Missis assignatum fuisset ex una parte sufficiens & proportionatum stipendium; & ex altera parte non adessent positivæ & efficaces circumstantiæ ad persuadendum quod Fundator præcise solam celebrationem, nequaquam applicationem petierit. *Ex Bened. XIV. tum in suis Inst. Eccl. 56. §.* Decretum. *tum Tract. de Sacrif. Miss. part. 4. Sect. 2. §. 65.*
      - 3. Fundationem celebrandi
        - 1. Quotidie
          - 1. Si infirmetur ad breve tempus, v. g. per unam, aut alteram hebdomadam, & forte etiam per duos menses, non tenetur per alium supplere, *ex cap. Significatum 11. de Præbendis:* si vero diutius duraret infirmitas, omnino per alium suppleri deberet. *Ex Bened. XIV. Syn. Diœces. lib. 13. c. 9. n. 5.* A fortiori si ex alio capite, v. g. ob delegatam absolutionem celebrare impediretur.
          - 2. Per seipsum: potest quandoque a celebratione vacare, *ex Rescr. p. S. Congr. apud Bened. XIV. Tract. de Sacrif. Miss. part. 4. sect. 2. §. 21. 22. & in Inst. Eccl. 56. §. His expensis.* An vero volens vacare, teneatur per alium supplere juxta intentionem Fundatoris? Sac. Cong. distulit resolutionem. *Ex eodem loco mox cit.*
        - 2. Ter in Hebdomada; potest anticipate celebrari tam si sit pro vivis, quam si sit pro defunctis extra casum tamen, quo in limine fundationis oppositum exprimatur.
      - 4. Canonicatum collective in Patriarchalibus Ecclesiis, Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis Conventualem pro Benefactoribus cujusque Ecclesiæ, cui addictus est in genere. *Ex Bened. XIV. in allata Const.* Cum semper *ib. §. 11. & 12.* Quod si eadem die juxta Rubricarum præscriptum plures missas Conventuales cantare contingeret, non nisi prima esset applicanda: excipe tamen si alia consuetudo fuisset introducta, nam tum eidem standum esset pro utriusque applicatione. *Ex eodem in præfata Constit. Cum semper § 22.*
  - 4. Nequit a non habente obligationem de præsenti ad intentionem illius, qui prior petet, celebrari pro stipendio. *Ex Clem. VIII., Paulo V. & Bened. XIV. in Tract. de Sacrif. Miss. part. 4. Sect. 2. §. 67.*
  - 5. Potest in Die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum pro certa anima etiam accepto stipendio, *ex Rescripto Sac. Congr. 4. Aug. 1663.* Quamvis consulendum, ut pro omnibus Fidelibus Defunctis offeratur, *ex Bened. XIV. Constit.* Quod expensis. *Tom. 2. fol. 296. edit. Ven. §. Noverimus.*
- III. Petitum in Altari Privilegiato, quoad Indulgentias, suffragatur solum, si applicetur pro certa anima, non vero si pro pluribus, vel omnibus Fidelibus defunctis.

TAB. CXLVIII. *De Stipendio dando, et accipiendo pro celebratione Missae.*

Sacerdos

I. Potest

1. Accipere stipendium etiam pecuniarium, ex praxi in Ecclesiam inducta circa Sæculum VIII., & Sæculo XI., & XII. passim ubique recepta: *Ex Benedicto XIV. Synod. Diœces. lib.* 5. *c.* 8. *n.* 5., dummodo non exigatur & acceptetur tamquam pretium Sacrificii, sed solum tamquam stipendium ad sui sustentationem.

2. Accipere tantum quantum a dante liberaliter offertur: nequaquam tamen exigere & accipere tamquam debitum nonnisi justum; & aliter faciens peccat tum contra obedientiam Legi Ecclesiæ debitam, tum contra justitiam commutativam. *Ex eod. ibid. cap.* 9. *n.* 27.

3. Per alium satisfacere, cum obligatur plures missas ob perceptum multiplex stipendium: Excipe tamen casum, quo dantes sripem expresse vel tacite vellent, ut non per alium celebrentur, sed per seipsum, utpote in existimationem, bonum, pium, devotum, & exemplarem Sacerdotem. Extra quem casum, debet dispensare missas celebrandas pro posse Sacerdotibus accuratis, bonis, & exemplaribus, quatenus petentibus prosint etiam quoad fructus *ex opere operantis*, qui profluunt ex pio accessu, recitatione Introitus, Hymni Angelici, Orationum, Epistolæ, Evangelii, Symboli; universim ex omnibus verbis & actionibus sacrificantis, excepta consecratione & communione.

II. Non potest

1. Unica missa satisfacere pluribus petentibus & contribuentibus stipendium. *Ex Urbano VIII.* Et contrarium faciens peccat contra justitiam: *Ex Alex. VII. damnante propositionem n.* 10.; (*) sive uni fructum satisfactorium, & alteri impetratorium: sive huic portionem specialem, illi vero applicando specialissimam. *Ex damnat. prop.* 9. *a laudato Pontifice.* (**)

2. Missas saltem adventitias, seu pro majori stipendio manuali celebrandas, eodem diminuto, aliis Sacerdotibus distribuere. *Ex Urbano VIII., & Alex. VII. in damnata propos. n.* 9. (***) Secus faciens, præter peccatum mortale, incurrit pœnam suspensionis *ipso facto* Summo Pontifici reservatam (si vero sic faciens sit Laicus, incurrit Excommunicationem). Quod intelligi debet etiam pro casu, quo sic distribuens missas indicasset acceptanti majus stipendium esse illis taxatum, hicque minori esset contentus. *Ex Bened. XIV. Constit.* Quanta cura. *Tom.* 1. *Bull. ejusd. fol.* 25. *edit. Rom.* §. 3. Missæ tamen perpetuæ, seu celebrandæ titulo Beneficii possent a Beneficiato distribui aliis pro ordinario stipendio. *Ex Rescrip. S. Congreg. apud præfat. Pontificem Syn. Diœc. lib.* 5. *c.* 9. *n.* 3.

N. B. *Administratores Ecclesiarum pauperum distribuendo Sacerdotibus ad suas Ecclesias celebrandi causa confluentibus possunt aliquid detrahere tum ex missis perpetuis, tum ex adventitiis pro subministratis vino, cera, hostiis, & aliis utensilibus:* ex Rescr. S. Congr. an. 1726.

3. Sine justa & rationabili causa aliam Missam, vel alio in loco, aut Altari celebrare, quam intendit dans stipendium; & contra faciens sæpius, peccat mortaliter: secus venialiter tantum, si solum una, alterave vice: propterea tamen non tenetur aliam missam celebrare eoquod in tali casu violetur fidelitas, non vero justitia: quod si ex justa & rationabili causa id faceret, nullatenus peccaret.

III. Peccat

Mortaliter

1. Diu differens celebrare Missas debitas ex justitia ratione percepti stipendii; nec potest alias Missas in se suscipere; nisi prius susceptis satisfecerit, vel intra modicum tempus (quod juxta quamdam Declarationem Sac. Congreg. 17. Julii an. 1655. *apud Bened. XIV. Inst. Eccles.* 56. §. Non minorem) intra mensem, vel juxta alios intra bimestre satisfacere posset pro antea susceptis; *Ex Urbano VIII.*, nisi petentes consentiant in dilationem, de qua præsumi nequit si petantur sive pro infirma persona, sive pro instanti aliqua necessitate.

2. Differens celebrare missam petitam pro infirma persona, vel aliqua instante necessitate; & tenetur ad restitutionem stipendii percepti: nec satisfaceret si infirma jam defuncta celebraret pro anima illius, juxta aliquos, aliis tamen id affirmantibus: Si vero petita sit pro instante aliqua necessitate v. g. pro felici partu, & dilata fuisset, sublata necessitate, obligandus esset ad restitutionem; *ex Benedicto XIV. in Tract. de Sacrif. Missæ part.* 4. *sect.* 2. §. 68.

Venialiter tantum non celebrans unicam Missam debitam titulo justitiæ ob perceptum stipendium, quidquid aliqui velint eum mortaliter peccare; quod a fortiori dicendum de Missa solum liberaliter promissa.

IV. Gravatus magno Missarum numero, cui non posset sive per se, sive per alios satisfacere, debet recurrere ad S. Pœnitentiariam pro obtinenda condonatione, vel compositione, *Ex Bened. XIV. Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 25. *n.* 15., & §. 2.

V. Beneficiatus, cui fructus Beneficii diminuti sunt adeo quod non amplius essent correspondentes numero & oneri Missarum, recurrere debet ad S. Sedem pro obtinenda reductione earum ad minorem numerum; quam reductionem facere possunt etiam Episcopi, qui per se, vel justo impedimento detenti, per suos Procuratores interfuerunt Concilio Provinciali Romæ celebrato an. 1725., ex indulto Bened. XIII. ad normam jam concessi 15. Jul. 1724. Monachis Cassinensibus, uti adparet ex Syn. Romana sub tit. 15. cap. 8. *Vid. Bened. XIV. ibid. lib.* 5. *cap.* 10. *n.* 3. & *lib.* 13. *cap.* 26. *n.* 21.

N. B. *Reductioni per Episcopum faciendæ non subsunt onera Missarum, quæ per contractum acceptata sunt: atque adeo non posset Episcopus reducere Missas, quæ ex fundatione Beneficii, vel Cappellaniæ Instituto, & acceptanti veniunt celebrandæ; sed solum quæ, vel in Testamento, vel facta inter vivos bonorum assignatione præscriptæ sunt; uti anniversariæ, de quibus solum intelligenda venit facultas præfatis Episcopis concessa.* Ex Benedicto XIV. loc. mox cit. n. 18. 25. & 26.

VI. Celebrans in Altari non privilegiato Missam alias in eo petitam, non tenetur supplere celebrando aliam Missam in eodem; bene vero supplere debet defectum acquirendo Indulgentiam plenariam concessam, v. g. pro Communione generali, hancque applicando pro illa anima, pro qua debuisset celebrare in Altari privilegiato.

N. B. *Stipendium justum censetur quod Episcopali lege vel consuetudine taxatum est; Ex Rescrip. S. Congr. loquendo de stipendio pro Missis adventitiis, ultra quod exigi nequit, licet stipendium taxatum tam leve esset, quod non sufficeret pro honesta sustentatione unius diei.* Ex Bened. XIV. Instit. Eccles. 56. §. *Sublati:* & Synod. Diœces. lib. 5. cap. 8. n. 11., & cap. 9. n. 1.

* PP. DD. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium; quod pro nullo alio offeram.*

** *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque per Decretum Urbani VIII.*

*** *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

TAB. CXLIX. *De Defectibus, qui in Missae Sacrificio committuntur corrigendis.*

Defectus commissi in Sacrificio Missæ, si sint

I. Substantiales, tenentes se ex parte Sacerdotis

*** Deficientis sub Sacrificio**

1. Hostia solum consecrata, alius Sacerdos perficere debet reliquum, incipiendo ab illis verbis *Simili modo*, procedere ad consecrationem vini, *Ex Rubricis Missalis & Benedicto XIV.*, quidquid aliqui voluerunt novam Hostiam esse consecrandam, incipiendumque ab illo: *qui pridie quam pateretur*.

2. Si dubitetur num ante vel post consecrationem Hostiæ defecerit, suppleturus debet incipere ab illis verbis: *qui pridie &c.*, vel melius (*ex Merati & Benedicto XIV. in Tract. de Sacrif. Missæ part. 4. Sect. 2. §. 111. & 112.*), a Canone, & sub conditione mente retenta consecrare priorem Hostiam vel (quod melius putat Merati) aliam: in quo casu priorem sumere debet post sacrum Sanguinem.

3. Post consecrationem utriusque speciei, ante earumdem sumptionem tamen, alter Sacerdos incipiat ab illis verbis: *Unde & memores*.

4. Sumpta duntaxat Hostia, alter suppleat sumptione tantum Sanguinis.

5. A quolibet Sacerdote suppleri debet Consecratio utriusque Speciei, utpote in qua consistit essentia Sacrificii; item Oblatio & Sumptio (in quibus consistit integritas & complementum), licet non sit jejunus. Excipe Sacerdotem existentem in peccato mortali, si non valeat confiteri. Nam in hoc casu, si alius haberi non possit, deberet Hostia & Calix in Tabernaculo conservari, & sequenti die a Sacerdote celebrante suam Missam, consummi: *ex Bened. XIV. loc. mox citat. §. 109.*

**** Perficientis Sacrificium, qui si advertat**

1. Se hostiam ineptam consecrasse, ante consecrationem Calicis tamen, debet aliam accipere, & præmissa oblatione, mente saltem concepta, eamdem consecrare, & prosequi ab eo loco ubi desiit.

2. Se hostiam ineptam consecrasse vel post utriusque speciei consecrationem, vel post illius hostiæ ineptæ sumptionem, debet, facta prius saltem mentali oblatione, incipiendo ab illis verbis: *qui pridie quam pateretur*, aliam consecrare.

3. Se hostiam ineptam consecrasse post sumptionem Sanguinis, debet novam hostiam, vinumque cum aqua apponere, & ut superius offerre: nec non incipiendo ab illis verbis: *qui pridie quam pateretur*, utramque materiam consecrare, statimque sumere, ut debitus ordo servetur, situs in eo, juxta Merati, ut Corpus præexistat Sanguini in Calicem fundendo. Qui ordo servandus est non de necessitate Sacrificii, sed præcepti. Ex Rubrica Missalis, a qua non est recedendum, *ex Benedicto XIV. ibid. loc. cit. §. 120.*

4. Se loco vini aquam, aut vinum corruptum consecrasse, debet aliud vinum affundere, &, ut superius, incipiendo ab illis verbis *Simili modo*, consecrare. Similiter si ante consecrationem advertat vino modicam aquam non miscuisse, debet hanc eidem infundere, & facta ut superius oblatione, consecrare.

5. Post consecrationem Calicis, ante sumptionem Hostiæ tamen, se aquam consecrasse: effusa hac in aliquod vas, debet novum vinum & aquam calici infundere, offerre & ab illis verbis *Simili modo &c.* incipiendo, consecrare.

6. Defectum vini vel etiam aquæ calici infusæ, juxta Scotum, non nisi defectum supplere debet; juxta D. Thomam vero debet novam Hostiam consecrare simul cum vino, ut debitus ordo servetur consecrationis. Hæc posterior sententia amplectenda dum privatim, prior autem cum publice celebratur, ad vitandum scandalum. *Ex Rubr. Miss. et Benedicto XIV. ibid. §. 125.*

7. Post consecrationem utramque materiam esse ineptam, debet desistere, cum neutra suppleri possit. Post sumptionem, ad declinandum scandalum, debet vel recitare orationes quæ occurrunt dicendæ post communionem, ommissis illis verbis, quæ significant perceptionem Sacramenti, dataque benedictione legere ultimum Evangelium, *Ex Quarto Rubr.*, vel loco præscriptarum orationum, alias preces, non spectantes ad Missam submisse recitare, dando in fine benedictionem, ut suadet Benedictus XIV. *ibid. §. 117.*

8. A vento valido Hostiam auferri vel calicem subverti; si minime pars hostiæ, aut aliquid ex speciebus Vini supersit, non est necesse ut aliam speciem consecret: secus vero ubi nihil earum remaneat: hinc si sola species vini consecranda sit, infundere debet calici novum vinum cum aqua, factaque, uti sæpius dictum, oblatione, illud consecrare incipiendo ab illis verbis: *Simili modo*. *Ex Rubricis*.

II. Accidentales omnino siti in omissione earum rerum, quæ ab Ecclesia adjectæ fuerunt, uti sunt: Orationes, Epistola, Evangelium, Præfatio, Canon &c, juxta aliquos non sunt supplendi: juxta alios tamen supplendi sunt, ita tamen, ut si error contingat circa ea, quæ alta voce dicuntur, ut Oratio, Epistola, Evangelium, Præfatio non nisi ubi progressio sit modica: si vero circa ea, quæ secreto dicuntur, ut Communicantes &c., corrigendus est, etiamsi Sacerdos paulisper plus sit progressus. Si omissa sit Oratio secundo vel tertio loco dicenda, & error ante Epistolam advertatur, repetenda est; si post Epistolam, omittenda: Secreta tamen, seu Collecta respondens dici debet. Tandem si omissio detegatur sub Postcommunione, non est supplenda.

N. B. *Defectus commissi circa partes essentiales, vel integrales Missæ, per se loquendo inducunt peccatum mortale; uti et commissi circa partes accidentales ordinarias, quales censentur quæ ab Ecclesia sunt adjectæ, et in omni Missa dici solent: quamvis etiam in his, sicut et in Canone, detur parvitas materiæ ut omissio unius alteriusve verbi. Commissi vero circa partes accidentales extraordinarias ut sunt Gloria, Credo, Orationes secundariæ, Præfatio, et Communicantes speciales, non excedunt culpam venialem.*

TAB. CL. *Institutione, Materia, Forma, Necessitate et Effectibus Sacramenti Poenitentiae.*

Pœnitentia est *Sacramentum, quo homo baptizatus, & confessus a legitimo Sacerdote sub certa verborum forma absolvitur a peccatis post baptismum commissis;* cujus

I. Institutio a Christo Domino inchoative quidem ante passionem dum dixit *quæcumque alligaveritis etc.*, completive vero post resurrectionem, dum dixit: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata etc.*, quibus verbis constituit Sacerdotes judices, eisque dedit potestatem de præsenti exercendi judicium sacramentale, *ex Tridentino Sess.* 14. *cap.* 1.

II. Materia

1. Remota sunt solum peccata post baptismum commissa, necessaria quidem mortalia nondum confessa & remissa, sufficiens vero venialia, aut mortalia jam remissa; peccatum vero ante baptismum commissum sive originale, sive personale, non est materia sive necessaria, sive libera ac sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ.

2. Proxima sunt actus ipsius Pœnitentis, videlicet *Contritio*, quæ juxta Tridentinum, est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, de quo dolore in sequenti Tabula; *Confessio* saltem formaliter integra, de qua in alia Tabula: *Satisfactio* in voto, non vero in re, nam satisfactio in re est solum pars integralis, de qua suo loco, *ita ex Consilio Florentino et Tridentino Sess.* 14. *cap.* 1.

III. Forma

1. Quæ constituitur per verba prolata a Confessario: *Ego te absolvo a peccatis tuis In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen*, quæ proferri debent omnia sub mortali, saltem loquendo cum exceptione invocationis Sanctissimæ Trinitatis: *In Nomine Patris &c.*, cujus omissio non videtur excedere culpam venialem: de necessitate vero Sacramenti est sequens: *Absolvo te.*

2. Cujus sensus ex Christi institutione est sequens: *Ego hac mea judiciali sententia, quantum est ex me confero tibi gratiam de se remissivam peccatorum a te post baptismum commissorum.*

3. Proferri debet

1. Modo indicativo seu imperativo, non vero deprecativo ex institutione Christi, atque adeo de necessitate Sacramenti: & hinc nunquam aliter prolata est sive in Ecclesia Græca, sive Latina, quidquid Tornellus conetur probare, quod adhuc hodie in Ecclesia Græca vigeat usus formæ deprecativæ: *quæsumus Domine absolve &c.*, & in Ecclesia Latina viguerit usque ad Sæculum XII., & solum circa finem Sæculi XIII. introducta fuerit forma indicativa seu imperativa.

2. Vocaliter, ex voluntate Christi nobis per Concilia & praxim Ecclesiæ intimata, & hinc nulla est per litteras data, *ex Decreto Clementis VIII. Via. Concina lib.* 2. *de Sacra Pœnit. Diss.* 3. *cap.* 2.

3. In Pœnitentem moraliter præsentem, qui censetur si sit in ea distantia, qua solent communi voce, etiam altiori homines cum hominibus loqui, præsertim si pœnitens nondum sit egressus aspectum Confessarii.

4. Absolute, si pœnitens cognoscatur certe, aut saltem probabiliter judicetur, dispositus: conditionate vero, sub conditione tamen de præterito vel præsenti, & numquam de futuro.

5. Non conditionate, nam extra casum extremæ necessitatis, si videlicet dubitetur, num muribundus adhuc vivat, licite non potest, *juxta probabiliorem*, sive dein dubitetur, an pœnitens sit rite dispositus? sive an pueri rudes sint præditi sufficienti usu rationis? sive an pœnitens habeat materiam sufficientem? sive an pœnitens fuerit absolutus? quamvis aliqui in his omnibus casibus proferri posse conditionate admittant.

6. Cum precibus antecedentibus & consequentibus, quæ in necessitate & magno populi concursu omitti possunt, *ex Rituali Romano.*

IV. Necessitas

1. Medii in re, vel voto baptizatis lapsis in peccatum mortale, & a fortiori necessitate præcepti divini, quod per se obligat in articulo mortis, cujus proinde culpabilis omissio inducit speciale peccatum impœnitentiæ finalis.

2. Præcepti Ecclesiastici, quo afficiuntur omnes fideles adulti in peccatum mortale formaliter tale lapsi, & obligat semel in anno, cui non satisfiat sive per confessionem sacrilegam, sive per confessionem venialium; & ideo confessus jam semel venialia, si intra annum labatur in aliquod mortale, tenetur iterum confiteri.

* Votum, seu desiderium suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ non necessario exigitur ut sit explisitum ac expressum, sed sufficit si sit generale & implicitum, quod continetur in dilectione Dei super omnia & in contritione charitate firmata.

V. Effectus sunt

1. Remissio omnium omnino peccatorum post baptismum commissorum quoad culpam.

2. Reviviscentia bonorum operum ac meritorum per peccatum subsequens mortificatorum, quæ reviviscentia ex pura Dei misericordia & liberalitate profluit.

4. Remissio pœnæ æternæ, non tamen semper omnis pœnæ temporalis, *ex Tridentino Sess.* 6. *can.* 10.

* Dicti tres effectus tribuuntur Pœnitentiæ non solum, ut habet rationem Sacramenti, sed etiam ut habet rationem virtutis, qua homo movetur ad odium & detestationem peccati commissi cum proposito non peccandi de cætero, justitiæque divinæ satisfaciendi, atque adeo & contritioni perfectæ.

TAB. CLI. *De Dolore et Proposito requisito ad Sacramentum Pœnitentiæ.*

Dolor requisitus in Sacramento Pœnitentiæ

I. Debet essentialiter esse

1. Verus & sincerus, consistens in intima voluntate ab omni peccati affectu aliena, cum enim Sacramentum Pœnitentiæ institutum sit ad delenda peccata, præsertim mortalia, post baptismum commissa, secundum autem divinam providentiam nullum peccatum, saltem mortale, remittatur sine retractatione peccatoris, quæ fit per dolorem verum & sincerum, seu detestationem peccati commissi, & propositum non peccandi de cætero: hinc fit quod dolor requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ debeat esse verus & sincerus, qualis passim non invenitur in consuetudinariis, recidivis, & in occasione proxima constitutis, captu enim impossibile est quomodo hi verum & sincerum dolorem habuerint, habeantque, & illi semper eadem consuetudinis zona præcingantur: alteri maxima facilitate a pœnitentia ad peccatum declinent, ab amore appretiative summo ad perfectum & summum odio deflectant: hi vero componere possint dolorem summum de offensa Dei, nec non-que propositum de non relabendo, cum firma adhæsione ad corpus peccati, cum gestatione armorum, quibus summum bonum Deum offenderunt.

2. Formalis, ex institutione Christi tum per Tridentinum, tum per continuam traditionem, intimata, & ideo non sufficit virtualis, qui reperitur in dilectione Dei super omnia. *Sess.* 14. *cap.* 4.

3. Supernaturalis, utpote dispositio ad formam supernaturalem, seu gratiam: censetur autem supernaturalis dum elicitur 1. ex principio supernaturali, nimirum ex supernæ gratiæ inspiratione, a qua nisi peccator præparetur, & moveatur, nunquam eliciet actum supernaturalem juxta Apostoli doctrinam, quæ statuit in homine absolutam insufficientiam ex se concipiendi bonam cogitationem. 2. Ex motivo supernaturali, seu cognito lumine fidei divinæ: hujusmodi autem motiva ad duo a Tridentino reducuntur, nempe ad turpitudinem peccati, & ad metum gehennæ, ac pœnarum, præsertim spiritualium, quales sunt pœna damni, privatio beatitudinis, amissio gratiæ, ac meritorum, pœnæ Purgatorii, cum hæ, & similes pœnæ solum ex divina revelatione credantur; naturalis vero dolor, seu conceptus ex motivo pure naturali, non sufficit *ex Innocentio XI. damnante propositionem* 57. (*).

4. Efficax, saltem affective, cujus efficacia in hoc consistit, quod Pœnitens ita sit affectus contra peccatum, ut si res esset integra, seu peccatum non fuisset commissum, non committeretur.

5. Universalis respectu mortalium, qui censetur haberi non solum dum expresse se extendit ad omnia, sed etiam dum elicitur ex motivo, ex natura sua incompossibili cum quovis peccato, ut est gravis Dei offensa, reatus pœnæ æternæ, amissio beatitudinis, turpitudo maculans, Deoque exosam reddens animam.

6. Includens propositum non peccandi de cætero, *ex Tridentino ibidem*, quod propositum debet esse universale, absolutum, efficax, firmum, & saltem regulariter formale & explicitum: unde non sufficit virtuale & implicitum inclusum in ipso dolore, nisi pro casu quis ita acerbo dolore & vehementi contritione abreptus esset, ut nihil de vita in futurum instituenda cogitaret; non tamen ad efficacitatem & firmitatem propositi requiritur credulitas, seu æstimatio quod quis non amplius sit peccaturus, *juxta probabiliorem*, quidquid aliqui contrarium sentiant.

7. Actus doloris elici debet saltem ante absolutionem dandam a Confessario; consulendum tamen est, ut ante confessionem eliciatur, ut confessio evadat dolorosa: imo aliqui volunt id omnino fieri debere, ex eo principio quod improbabile sit, quia difficillimum, ut in ictu ferme oculi possit quis perfectum, supernaturalem, universalem & efficacem dolorem peccatorum elicere. Et vel ideo consulendum Confessariis, ut interrogent pœnitentes, num prius dolorem elicuerint?

II. Non debet essentialiter esse

1. Sensibilis, seu redundans in ipsum corpus sensibiliter per lacrymas & suspiria (quæ non semper sunt signa authentica doloris supernaturalis, sed sæpe sæpius amaritudinis animæ, ex alio fonte manantis, præsertim in illis, quorum peccata publice sunt detecta: sic fœminæ sæpius flent & suspirant in Confessionali, sic puellæ; illæ vel ob miserias, & malam tractationem maritorum, vel quia infideles deprehensæ: hæ autem, quia vel procum amiserunt, vel quia gravidæ effectæ pudore subfunduntur) at intensive, vel appretiative summus, seu ut pœnitens adeo detestetur peccatum, ut potius elegisset quæcumque sibi maxime chara amisisse, quam in Deum peccasse, paratusque sit omnes ærumnas ferre, & vitam etiam inter atrociora tormenta amittere, quam Deum amplius offendere. Hinc dari pater ex. gr. de filii, uxor de sponsi amissione intensius doleant, quam de offensa Dei; & appretiative plus doleant de amissione divinæ amicitiæ, quam cæterorum, quæ intensissime amant.

2. Perfectus, conceptus ex actuali & vehementi amore Dei super omnia, juxta omnes, & expressam doctrinam Tridentini *Sess.* 6. *c.* 8., sed sufficit imperfectus conceptus saltem ex eodem charitatis inchoatæ motivo. Quamvis Tournely, & alii velint quod omnis contritio concepta ex amore benevolo Dei, seu charitate, sit perfecta, & consequenter habeat vim justificandi extra Sacramentum, quorum opinio videtur probabilior, & cui favere videtur D. Thomas 3. *part. qu.* 70. *art.* 4. *in corp.*; *&* *supplem. qu.* 5. *art.* 5.

III. Non sufficit

Conceptus sive ex amore concupiscentiæ, sive ex turpitudine peccati fide cognita, sive ex solo metu gehennæ, & pœnarum etiam cum Sacramento juxta modernos; quamvis alii affirment, dummodo ex adductis motivis, præsertim pœnarum, conceptus non sit serviliter servilis; qualis abs dubio esset, si doleret unice propter amissionem summi boni; vel propter infamiam ex peccato sibi coram hominibus redundantem (prout fuit illud Saulis: *Peccavi, sed nunc honora me &c.*), non vero ob oppositionem ad summam potestatem, sanctitatem & pulchritudinem Dei, vel propter pœnam æternam, adeo quod si a liberalitate divina nihil haberet sperandum aut timendum a justitia, aut peccatum non esset publicum, non pœniteret suorum scelerum; nam hic esset hypocrisis, non dolor: primus excluderet supernaturalitatem; secundus esset dolor damnatorum, quos pœnitet unice ob amissionem summi boni, & incursionem summi mali: Unde Sapient. 4. *Et erunt gementes*, & c. 5. v. 2. *Turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis .... præ angustia spiritus gementes &c.* Ex quo sequitur

IV. Infert quod

Attritio (quo nomine venit contritio imperfecta, seu dolor conceptus etiam ex turpitudine peccati, & metu gehennæ ac pœnarum, præsertim spiritualium, de quibus supra) non sit sufficiens dispositio ad obtinendam remissionem peccatorum cum Sacramento Pœnitentiæ in re suscepto.

Conceptus ex metu & timore gehennæ, & aliarum pœnarum serviliter servilis, non sufficiat ad sacramentum pœnitentiæ, quia non est nactus, avertere absolute, sed solum conditionate voluntatem a pœna, adeo ut pœnitens sit ita affectus, quod si non esset pœna gehennæ, aut alia, vel spes beatitudinis, nollet dolere, ac detestari peccatum.

Cum juxta mox dicta Attritio etiam concepta ex metu gehennæ, & pœnarum, non sit dispositio sufficiens proxima ad justificationem cum Sacramento Pœnitentiæ in re suscepto, consulendum pro viribus, ut quis ad hoc Sacramentum disponatur per contritionem perfectam, *uti consulunt Rituale Romanum, & Benedictus XIV. Syn. Diœc. lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 16.

(*) P. D. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

TAB. CLII. *De obligatione Confessionis Sacramentalis.*

Confessio Sacramentalis

- I. Non obligat
  1. Infideles non baptizatos, nec quidem ipsos Cathecumenos, quia in ipsis nihil juris habet Ecclesia; & si ab his fieret, libere fieret; sacramentalis tamen haudquaquam esset dicenda.
  2. Non habentes gravatam conscientiam aliquo peccato lethali; & tales satisfacient obligationi injunctæ a Decretali: *Omnis utriusque sexus*, Sacerdoti solum sese præsentando & ostendendo se non esse gravatos peccato mortali. *Ex D. Thoma in supplem. quæst.* 6. *art.* 2. *ad* 5.
  3. Infantes ante adeptum usum rationis, seu antequam sciant discernere bonum a malo; quod judicio prudentis Confessarii relinquitur discernendum.
- II. Obligat
  1. Ex jure, ac præcepto divino omnes adultos habentes conscientiam gravatam peccatis mortalibus post baptismum commissis: ita Catholici omnes fundati in Tridentino anathematizante Hæreticos contrarium asserentes. *Sess.* 14. *cap.* 6.
  2. Ex jure, & præcepto Ecclesiastico relato in Conciliis tum Lateran. IV., tum Tridentino, *Omnes utriusque sexus Fideles postquam ad annos distretionis pervenerit.*
  3. Quatenus cadit sub præcepto divino obligat per se 1. in probabili periculo mortis, 2. etiam extra periculum mortis aliquando *juxta probabiliorem*; minime tamen statim post commissum peccatum; quidquid aliqui contrarium sentiant = Obligat per accidens, dum Missa celebranda, vel Communio sacra sumenda; secus dum alia Sarcramenta administranda juxta Tab. CXXVIII.
  4. Quatenus cadit sub præcepto Ecclesiastico semel in anno *ex Concilio Lateranensi relato cap.* Omnis utriusque sexus 12. *de Pœnitentiis & Remissionibus*, confirmato per Tridentinum, adeoque liberum est quavis anni parte confiteri, quamvis consueverint fideles in Paschate confiteri occasione Communionis Paschalis.
  5. Singulis annis vi Decretalis relatæ, quæ fieri
     1. Debet proprio Sacerdoti, quo nomine venit Parochus, sine tamen exclusione Papæ & Episcoporum, quidquid aliqui exclusos voluerint, quorum opiniones damnatæ fuerunt ab Alexandro VII. *an.* 1655. & Joanne XXII. *an.* 1321. *per Extrav. quæ incipit* Vas electionis 2. *de Hæreticis;* & merito, nam proprius Sacerdos juxta verba Canonis opponitur alieno, qui debet petere & obtinere licentiam a proprio Sacerdote, quod non facit sive Papa, sive Episcopus, cum ille in tota Ecclesia, iste vero in tota sua Diœcesi sint proprii Sacerdotes habentes auctoritatem a Christo Domino.
     2. Potest etiam delegatis, & approbatis sive a Parochis, sive a Papa, sive ab Episcopo, atque adeo etiam Regularibus simpliciter & sine limitatione approbatis *ex Decreto Clementis X. Constit.* Superna: secus si approbatio facta fuisset cum restrictione & exclusione temporis Paschalis.
     3. Debet quantocyus sublato impedimento ab illis, qui integro anno sunt legitime impediti, eoquod terminus ab Ecclesia non sit appositus ad finiendam, sed ad non differendam obligationem: hinc negligens quantocyus satisfacere præcepto peccat mortaliter toties quoties oblatam opportunitatem cum advertentia negligit, juxta tamen dicta in Tab. XIX.
     4. Debet denuo ab illo, qui annuam confessionem fecit voluntarie nullam & sacrilegam, cum per talem confessionem nullatenus satisfieri obligationi declaravit Alexander VII. per damnationem propos. n. 14. *

        N. B. *Præcepto annuæ Confessionis culpabiliter non satisfaciens; vivens ab ingressu Ecclesiæ arcendus, & moriens christiana sepultura privandus est, interveniente Superioris sententia.* Ex Decret. Omnis utriusque sexus.
- III. Ordinarie debet esse articularis, seu fieri debet ore, seu vocis prolatione, non vero sive nutibus sive scriptura, sive per internuncium, quando facile fieri potest ore.
- IV. Et Confessio Epistolaris, seu per litteras, aut per internuncium facta Sacerdoti absenti post decretum Clementis VIII. *an.* 1602. *die* 20. *Junii edit. in Palat. Quirin.* fieri nequit sub nullitate actus, sive conjunctim, sive divisive, seu sola Confessio Sacramentalis fiat, sive simul detur absenti confesso per litteras vel per internuncium absolutio sacramentalis, *ex decreto Sacræ inquisitionis Romanæ ibid.*
- V. Generalis peccatorum de necessitate facienda illis, qui in præteritis confessionibus malitiose defecerunt in aliqua parte essentiali, scilicet dolore, vel proposito, aut malitiose reticuerunt aliquod peccatum mortale; secus vero aliis solitis bene facere suas confessiones, quibus solum ad melius esse consulenda est vel generalis, vel saltem annualis, respectu quorum non est de necessitate, ut adamussim omnia exponantur, & si etiam reticeatur aliquod mortale, licet advertenter, per hoc non vitiatur confessio.

* P. D. *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

TAB. CLIII. *De Conditionibus requisitis ad sacramentalem Confessionem faciendam.*

Confessio Sacramentalis sexdecim conditionibus vestitur

I. Hisce versibus expressis

Sit Simplex, Humilis Confessio, Pura, Fidelis,
Nec non Nuda, Frequens, Discreta, Libens, Verecunda,
Integra, Secreta, & Lacrymabilis, Accelerata,
Fortis, & Accusans, & sit Parere parata.

II. Talisque censetur; nimirum

Exponuntur adductæ Conditiones

1. *Simplex*, ex D. Antonino 3. *part. tit.* 14. §. 12., dum dicuntur præcise peccata cum circumstantiis suis, nec immiscentur superflua: si tamen immisceantur, per hoc non vitiatur confessio.

2. *Humilis:* si fiat cum hominis interioris & exterioris demissione.

3. *Pura:* si fiat ex puro motivo reconciliationis cum Deo obtinendæ.

4. *Fidelis:* si sit sincera & nihil falsi habeat admixtum: mendacium enim commissum in confessione circa materiam necessariam (ut contingeret si quis negaret, aut occultaret malitiose peccatum mortale, aut affirmaret quod non fuit factum, aut majorem numerum afferret, aut dubia pro certis vel certa pro dubiis exponeret), est peccatum mortale, duplicem continens malitiam, unam mendacii adversus virtutem veritatis, alteram sacrilegii & irreverentiæ Sacramenti contra virtutem Religionis; Mendacium vero commissum in Confessione circa materiam non necessariam, non nisi veniale est, extra tamen casum, quo illud tantum peccatum fictum subjiceretur clavibus.

5. *Nuda:* si fiat absque ambagibus & æquivocis, peccata potius palliantibus, quam aperientibus.

6. *Frequens & Accelerata:* si ad longum tempus non differatur & licet consulendum, ut statim post commissum peccatum mortale quis confiteatur vel saltem conteratur, ne operibus omnino mortuis detur locus; nemo tamen ad id, per se loquendo, obligatur, quidquid aliqui contrarium sentiant.

7. *Discreta*: censetur, si fiat cum prudentia, ita ut Pœnitens nihil proferat, quod charitatem proximi vel modestiam Christianam lædere possit, sed intra eos fines se contineat, quos exigit confessionis integritas, de qua in sequenti Tabula.

8. *Libens:* si fiat sponte & non coacte; coacta enim confessio nulla est.

9. *Verecunda:* si caste & modeste peccata obscœna proferantur.

10. *Secreta:* dum neque Confessarius, neque Pœnitens manifestat audita in confessione, nam neque Confessarius potest manifestare audita in Confessione, juxta dicenda de sigillo sacramentali, neque Pœnitens sibi sub secreto dicta a Confessario, ob sigillum naturale, ad quod tenetur.

11. *Lacrymabilis:* si fiat cum intimo animi dolore, juxta dicta in Tab. CLI.

12. *Fortis:* dum timor humanus in detegendis peccatis generose superatur, nam difficultas, quam quis experitur in exponendis suis peccatis Confessario, magnam habet partem in obtinenda venia, *ex Divo Augustino*.

13. *Accusans:* si non sit historica peccatorum narratio, si non fiat sese excusando vel in alios referendo causas peccatorum.

14. *Parere parata:* si fiat cum firmo proposito exequendi quidquid prudens Confessarius, tanquam ad emendationem, necessarium suggesserit.

15. *Integra*, & quidem materialiter, dum omnia peccata mortalia nedum legitime confessa quoad speciem & numerum clavibus Ecclesiæ subjiciuntur, nullo prorsus omisso, sive ex oblivione, sive ex alia quacumque causa, quæ quidem per se & regulariter loquendo de jure Divino facienda est, quamvis non sit semper necessaria, sed quandoque sufficiat formaliter integra: *formaliter* autem integra censetur, dum Pœnitens facit talem confessionem, qualem, moraliter loquendo, in talibus circumstantiis potest facere; seu vi cujus exprimuntur omnia illa peccata quoad numerum, speciem & circumstantias, quæ hic & nunc conscientia practice dictat esse confitenda, etsi forte vel oblivione inculpabili, vel scienter quidem, sed ob justam aliquam causam unum alterumve reticeat, prout amplius dicetur in sequenti Tabula.

TAB. CLIV. *De Integritate requisita ad Confessionem sacramentalem.*

Integritas confessionis sacramentalis

I. Materialis exigit, ut

1. Omnia omnino peccata mortalia certa nondum confessa exponantur.

2. Peccata positive dubia exponantur, sub dubio tamen, *juxta probabiliorem*, & in praxi omnino tenendam sententiam, quæ deinde comperta veritate non opus est ut tanquam certa denuo exponantur, quidquid aliqui velint, denuo ut certo exponenda.

3. Peccata, de quibus dubitatur an fuerint semel confessa, exponantur, loquendo cum exclusione scrupulosorum, & illorum, inter quorum confessionem, alias bona fide perectam, longum tempus intercessit.

4. Peccatum in genere sub dubio confessum, v. g. dicendo, dubito num aliquod peccatum mortale commiserim, sed nescio quale & quot, comperta veritate, debet exponi quoad speciem & numerum.

5. Circumstantiæ speciem mutantes exponantur, *ex Tridentino sess.* 14. *cap.* 5. Itemque circumstantiæ intra eamdem speciem mortaliter aggravantes, *juxta communiorem & probabiliorem*, fundatam in auctoritate Catechismi Concilii Tridentini, *Part.* 2. *cap.* 5. §. 47. & doctrina *D. Thomæ in* 4. *Sent. dist.* 16. *quæst.* 3. *art.* 2.

6. Exponatur actus exterior, quia est pars materialis ejusdem peccati, in quo voluntas consumatur, & addit novam malitiam actui interno numero distinctam, ita ut ex utroque actu coalescat per modum unius peccatum; & hinc falsum est quod actus externus sit solum circumstantia actus interni (prout objiciunt Patroni volentes circumstantias solum aggravantes non minus in confessione exponendas), sed est pars materialis ejusdem peccati partialiter una cum actu interno constituens peccatum.

II. Formalis

Sufficit pro casu

Quo inculpate, vel saltem non graviter culpabilis oblivionis alicujus vel aliquorum peccatorum mortalium, si tamen postea oblitus recordetur peccati ex oblivione omissi, tenetur illud confiteri, *ex Alexandro VII. damnante propositionem* 11. *

2. Impotentiæ physicæ, qua laborare dicuntur

1. Muti non valentes loqui, dummodo unum vel alterum peccatum per nutus explicuerint, qui si sciant scribere, juxta aliqnos tenentur per scripturam confiteri; quod tamen alii negant, extra mortis periculum.

2. Ignari idiomatis, qui per nutus confiteri possunt, non tamen tenentur per interpretem extra mortis periculum.

3. Infirmi intra confitendum loquela destituti.

4. Belligerantes vel periclitantes in mari, utpote qui exposito uno peccato minus infamatorio, imo solum asserentes esse miseros peccatores, absolvi possunt.

3. Impotentiæ moralis, qua generatim loquendo laborare dicuntur, qui non possunt omnia sua peccata exponere sine vere gravi damno, aut detrimento sui vel proximi, uti contingere posset tempore grassantis pestis; ad hanc tamen impotentiam moralem minime reduci debent intrinseca confessioni, ut pudor, verecundia, confusio sui ipsius &c.

Non sufficit ad

4. Occultandum complicem peccati, utpote qui urgente præcepto confessionis, si aliter explicari peccatum & Confessarius alius adiri nequit (sicut adest obligatio adeundi alium pro casu ex confessione peccati Confessarius veniret in cognitionem complicis), tenetur illud exponere, *juxta probabiliorem;* quod procedit pro casu quo persona, cum qua commissum est peccatum, non haberet rationem complicis, sed solum objecti, ut contingeret, si quis per vim deflorarer sororem.

5. Confitendum non habenti potestatem in reservata, quia urgente præcepto confitendi, si non adest Confessarius præditus facultate in reservata, ut ab illis indirecte, ab his vero directe absolvatur cum onere tamen denuo subjiciendi clavibus reservata habenti facultatem, ut ab hoc directe absolvatur.

* P. D. *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

TAB. CLV. *De Requisitis ad valide administrandum sacramentum Pœnitentiae.*

Pœnitentiæ Sacramentum ut valide administretur requiruntur in Ministro seu Confessario

I. Jurisdictio, proprie talis, seu potestas absolvendi; quæ

1. Debet esse non solum *Remota*, & inchoata, seu in actu primo, qualis confertur in collatione Ordinis Presbyteratus, estque omnibus Sacerdotibus communis, sed vel maxime
2. Debet esse *Proxima*, completa, & in actu secundo; qualis confertur ab Ecclesia: sive dein illa sit *ordinaria* sive *delegata*, juxta dicta in Tabula I. *Ex Tridentino sess. 14. c. 1.*
3. Confertur etiam ab Ecclesia accedente errore communi conjuncto cum titulo colorato, uti contingeret in illo; qui ab Episcopo beneficium Parochiale obtinuit, sed invalide, quia v. g. simoniace provisus, quod cum sit occultum, ab omnibus habetur ut Parochus, sicque habetur error communis conjunctus cum titulo colorato.
4. Non confertur propter solum errorem commonem non conjunctum cum titulo colorato, *juxta probabiliorem:* & hinc si simplex Sacerdos non habens jurisdictionem, bona, vel mala fide se exponeret confessionali ad confessiones excipiendas, & communiter reputaretur Confessarius, talis invalide exciperet confessiones, *ex declaratione Sacræ Congregationis.*
5. Non confertur ex sequela opinionis probabilis, adeoque probabiliter putans se hic & nunc habere jurisdictionem, & nixus tali opinione probabili confessiones exciperet, & absolveret, invalide faceret, *juxta probabiliorem.*

II. Approbatio, quæ ante Tridentinum erat distincta a jurisdictione: nam illa sita in authentico testimonio idoneitatis subjecti ad excipiendas confessiones conferebatur ab Episcopo, relicta cura Parochis hanc cui voluissent ex approbatis conferre. Post Tridentinum vero non distinguitur: eo ipso enim quod approbat, jurisdictionem confert. Quæ

1. Obtineri debet vel
   1. A jure: quo modo obtinetur per collationem Beneficii Parochialis, supposito, quod beneficium obtentum sit modo per canones præscripto, hoc est prævio concursu, vel saltem examine, juxta præscriptum Tridentini, & hoc modo obtinens beneficium censetur approbatus pro confessionibus excipiendis pro ea duntaxat Civitate vel Oppido, ubi sita est Parochialis: non autem passim pro tota Diœcesi, *ex Benedicto XIV.* referente declarationem sacræ Congregationis *in suis Instit. Eccles. Instit. 86. §. Quæ de facultate.*
   2. Ab homine, idest Episcopo, & quidem illius loci, & Diœcesis, in qua quis vult excipere confessiones: & hinc approbatus ab uno Episcopo, nequit extra Diœcesim excipere confessiones, nequidem Pœnitentis subditi Diœcesis illius, pro qua fuit approbatus, *ex Benedicto XIV. Constit. quæ incip.* Apostolicum Ministerium *Tom. 4. Bull. ejusd. fol.* 59. *edit. Venet.* §. 22. Excipe Parochum qui potest suum Parochianum etiam in aliena Diœcesi absolvere, *ex Rescripto Sacr. Congr.* 1707. 5. *Decemb. apud Bened. rel. Instit.* 86. §. *Primum.*
   3. Sine qua nemo; ne quidem regularis, licet Ordinis exempti, quantumvis in Theologia graduatus, potest excipere confessiones sæcularium, *ex Tridentino ibid. Gregorio XIV., & Urbano VIII.*, ne quidem habentium sola peccata venialia, vel mortalia jam rite confessa, *ex decreto Innocentii VI. apud Didacum ab Aragonia in sua dilucid. privileg. Tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 3.
2. Non requiritur ab Episcopo ad excipiendas confessiones sive Regularium, sive Secularium, qui sunt vere de familia, & continui commensales Religiosorum, *ex Tridentino Sess.* 23. *de Reform. cap.* 15., *& Clemente X. Const.*, sicut etiam Tertiariorum, qui sunt de familia Regularium. Regularis tamen volens alteri confiteri, tenetur eligere Sacerdotem sive regularem, sive Sæcularem approbatum pro excipiendis confessionibus.
3. Licet ab Episcopo possit dari Regularibus etiam exempti Ordinis cum limitatione sive loci, sive temporis, sive personarum ex Alexand. VII. contrarium damnante, & Bened. XIV. *Instit. Decl.* 86. §. Secundo loco; attamen examinatis, & idoneis repertis debet generaliter conferri absque ulla limitatione seu temporis, seu personarum, ex Clem. X. *relat. Constit.* Superna §. *Cæterum.* Quod si ab Episcopo reprobentur, licet injuste, nequeunt confessiones excipere, ex Alexandro VII. damnante propos. 13. *
4. Illimitata solum idoneo potest conferri: idoneus autem censetur, qui mediocrem scientiam habet. Quam habere dicitur juxta Innocent. III. relat. a Bened. XIV. *ibid.*, *qui scit aliqua modo examinare negocia, quamvis ad omnia nesciat respondere, & qui in libris veritatem rerum, quæ scire tenetur, scit quærere, etsi in promptu omnia non habeat.*
5. Si semel simpliciter concessa fuit non obstante quod prima vice de jure examinari possit etiam Regularis quomodolibet exemptus & literatus, *ex Decret. Clement. X.*, non potest denuo vocari ad examen ab eodem Episcopo: excipe si talis fuit approbatus a suo Vicario, vel ab Antecessoribus. *Ex eodem ibid.* §. Et eos.
6. Nova superveniente causa ipsas confessiones respiciente, ut si cum scandalo, aut inhoneste vivat, potest ab Episcopo suspendi, retractarique etiam simpliciter approbato, quamvis Regulari. *Ex Clement. X. loc. cit.*
7. Data generaliter ad audiendas promiscue confessiones Sæcularium, nequaquam extenditur ad excipiendas confessiones Sanctimonialium, seu subjectarum Sedi Apostolicæ, & Regularibus, seu Episcopis; nam pro his requiritur specialis approbatio Episcopi *ex Gregorio XV. Constit.* Inscrutabili *edit. an.* 1621. die 20. *Sept. apud Bonagratia verb.* Confessarius. *n.* 104. *Clement. X. in relat.* Superna *edit.* 1670. §. 4., *& Bened. XIV. Constit.* Pastoralis Curæ *edit. an.* 1748. 5. *Aug. Tom. II. Bull. ejusd. fol.* 471. *edit. Rom.*, *Venet. vero* 281. §. 1. Hinc Prælatus Regularis Monialibus sibi subjectis debet constituere Confessarium tam Ordinarium, quam Extraordinarium ab Episcopo pro Monialibus approbatum *Ex Bened. XIV. loc. mox cit.* §. Quod vero, & §. Jam vero.

* P. D. *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.*

TAB. CLVI. *De Requisitis ad licite administrandum Sacramentum Pœnitentiae.*

Pœnitentiæ Sacramentum, ut licite administretur, requiritur in Ministro seu Confessario

I. Probitas vitæ

1. Non solum legalis, consistens in carentia impedimenti Canonici auferentis, vel impedientis jurisdictionem, ut est excommunicatio, Suspensio &c. Sed insuper

2. Moralis consistens in statu gratiæ procuratus vel per ipsam sacramentalem Confessionem, vel per contritionem perfectam, quidquid aliqui prætendant, quod de necessitate præmittenda sit confessio, saltem extra casum, quo urgeret necessitas, & copia Confessarii deesset.

N. B. *Administrans sacramentum Pœnitentiæ in statu peccati mortalis tot numero peccata committit, quot interruptis moralibus vicibus absolvit,* juxta probabiliorem; *quidquid aliqui velint, tot numero committere, quot absolutiones impertit.*

2. *Excipiens in peccato mortali confessionem, sed ante absolutionem eliciens actum contritionis, talem plures eximunt a peccato mortali, qui utique intelligendi sunt, seclusa intentione a principio habita procedendi usque ad absolutionem inclusive in tali statu.*

II. Scientia

Non quidem eminens, qualis reperitur in illo, qui optime versatus est in Jure Canonico, Theologia morali, & Casuistarum lectione, & qua sciat ratiocinari, casusque difficiles conscientiæ resolvere. Sed

2. Mediocris juxta mentem Innocentii III. expositam, in priori Tabula, dummodo in re dubia, antequam Confessarius causam dirimat, libros consulat plurimos, eos cum primis, quorum doctrina solidior, ac deinde in eam descendat sententiam, quam ratio suadet, & firmat auctoritas, *ut suadet Benedictus XIV. in sua Encyclica,* Apostolica. *Eman. occas. univers. Jubilæi invenienda tom.* 5. *Bull. ejusd. fol.* 82. *edit. Venet.* §. 21.

3. Eorum, quæ officium Medici, Doctoris, ac Judicis spiritualis concernunt, cum vi officii sui Confessarius agere debeat Judicem, Medicum, & Doctorem: ut Judex debet scire quænam sint peccata ex genere suo gravia, quæ levia, peccatorum species &c., ut Medicus debet scire omnia peccatorum, & tentationum remedia; ut Doctor tenetur scire communes saltem resolutiones casuum, & obligationes, quæ ex peccatis oriuntur.

III. Prudentia exercenda circa

1. Propriam personam vigilando tum propriæ conscientiæ, ne dum aliis medetur, seipsum vulneret, tum etiam proprii corporis saluti, præsertim in excipiendis confessionibus infirmorum contagioso morbo decumbentium, ne videlicet indiscreto zelo sese exponat periculo infectionis.

2. Pœnitentem

1. Intruendo ignorantem mysteria fidei, necessitate sive medii, sive præcepti credenda: cum ignorantia illorum, licet invincibilis, posteriorum vero ignorantia vincibilis & culpabilis obstet valori Sacramenti, *ex Bened. XIV. in Encycl. ibid.* §. 19.

2. Interrogando, si advertat non sat expressisse speciem, & numerum peccatorum, *ex Rituali Romano,* dubia ipsius solide resolvendo, & dando opportuna remedia.

3. Admonendo sive vincibiliter, sive invincibiliter ignorantiam aliquid esse peccatum, præsertim si agatur de peccatis commissis jure naturæ prohibitis, *juxta probabiliorem, & Benedictum XIV. ibid.*

4. Utendo terminis modestis præsertim dum examinat Mulieres, & minoris ætatis personas circa materiam luxuriæ, ordiendo semper interrogationes suas a cogitationibus cum consensu, & sic gradatim: & dum juvenes sese accusant de tactibus, nunquam interrogandi de secuta pollutione, sed solum quo fine se tetigerint.

5. Interrogando nullam facientem mentionem de peccato, quod scit ex confessione complicis a se fuisse commissum, sed a longe, videlicet: utrum nihil amplius habeat, quod conscientiam aggravet? vel interrogationes generales ei faciendo, nunquam tamen tales, ex quibus Pœnitens devenire posset in cognitionem, quod notitiam habeat ex confessione sibi facta a complice: quod si vero aliunde quam ex confessione, & interrogatus negaret, nec præsumi prudenter posset quod alteri fuerit confessus, privandus est absolutione.

6. Nunquam sese accusantem de peccato commisso cum complice interrogando de nomine socii seu complicis, loco habitationis, vel aliis hujusmodi adjunctis, sive circumstantiis, ex quibus venire posset in cognitionem complicis, *ex Benedicto XIV.* prohibente sub pœna suspensionis ab officio audiendarum confessionum incurrenda post sententiam ab eo, qui id practicaret, & sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ reservata summo Pontifici ab eo, qui præsumeret docere, vel dicere, licitam esse talem praxim: *Const. quæ incip.* Suprema omnium. *Tom.* 1. *ejusd. fol.* 326. *edit. Venet.* §. 3. *Ex Constit.* Ad erudiendam *tom.* 2. *Bull. fol.* 87. *edit. Venet. Item Constit.* Ubi primum. *Tom.* 2. *fol.* 33.

3. Personas adstantes sacro Tribunali, attendendo tum ne partialitas aliqua in admittendis pœnitentibus ad confessionem committatur, tum & præcipue, nimis alte loquendo faciat peccata pœnitentis aliis innotescere, ne gestibus, aliisve signis præbeat ansam suspicandi de graviori lapsu, quod esset frangere sigillum sacramentale.

N. B. *Confessarius tenetur pœnitentem sibi legitime confessum ac bene dispositum absolvere ex justitia sub mortali; si autem advertat, ipsum hic & nunc non esse bene dispositum, nec posse disponi, potest ei denegare, vel differre absolutionem,* ex Rituali Romano, *& pro casu denegatæ, vel dilatæ absolutionis debet Confessarius causam Pœnitenti detegere, ac ostendere id expedire ut animæ suæ saluti consulatur, ac invitare ut quantocyus revertatur melius dispositus in ordine ad obtinendam absolutionem,* ex Benedicto XIV. in rel. Encycl. §. 22.

TAB. CLVII. *De Casibus Reservatis, et Potestate eos reservandi.*

Casuum reservatorum

- **I. Requisita, ut sit peccatum**
  1. Mortale, licet enim absolute loquendo, possint etiam venialia reservari, saltem a Papa, attamen de facto non reservantur, imo nec reservari posse ab inferioribus Papa videtur insinuatum a Tridentino, *Sess. 14. de Pœnit. Sac. c. 7.* quod exigit *ut atrociora & difficiliora* reservantur, & ita decisum a Sacra Congregatione *an.* 1602. refert Benedictus XIV. *Syn. Diœc. lib. 5. c. 5. n. 4.*, ex quo sequitur, quod quidquid excusat a mortali, ut inadvertentia, indeliberatio, parvitas materiæ, eximat quoque a reservatione.
  2. Externum, nam peccatum mere internum quantumvis grave, licet possit absolute reservari, tamen id non videtur utile ad gubernationem Ecclesiæ, quæ præcipue respicit exteriora; hinc non expedit peccata mere interna reservari, *ex Benedicto XIV. loc. mox relato.*
  3. Graviter peccaminosum quoad ipsum actum exteriorem per se; & hinc si reservetur percussio gravis, non censetur reservata percussio levis, licet facta animo graviter vulnerandi.
  4. Certum, si enim adsit dubium sive juris: an scilicet peccatum commissum comprehendatur in decreto de peccatis reservatis; sive facti: an scilicet peccatum commissum sit mortale, actus ille non censetur reservatus, quidquid aliqui exclusum velint dubium juris.
  5. Consummatum opere externo, nisi ipsamet attentatio expresse reservetur; & hinc si quis post venenum mortiferum propinatum, aut post vulneratum graviter hominem, ante effectum mortis secutum, confiteatur, non est casus reservatus: debet tamen denuo confiteri peccatum habenti facultatem in reservata effectu secuto.
  6. Commissum cum advertentia ad pœnam annexam excommunicationis loquendo de reservatis Papæ, *ex Benedicto XIV. ibid. lib. 9. c. 4. n. 4.* qui ait quod absolutio ab hæresi sit Papæ reservata solum ratione censuræ ejusdem hæresi annexæ, unde cum ignorans, vel non advertens delicto esse annexam excommunicationem, hanc non incurrat, nec incurret reservationem, quidquid aliqui contrarium sentiant.

- **II. Potestas reservandi residet in**
  - *** Summo Pontifice cui præcipue reservantur**
    1. Violatio Immunitatis ecclesiasticæ, juxta dicta in Tab. XXXVIII. *ex decreto Clementis VIII.*
    2. Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem, *ex decreto Clementis VIII.*
    3. Simonia realis & confidentialis, *ex Extravagante Pauli II., & constitutione S. Pii V.*, juxta dicta in Tab. XLIII.
    4. Provocatio ad duellum secuta pugna, *ex Tridentino & Benedicto XIV.* juxta dicta in Tab. LXVI.
    5. Percussio gravis Clerici suadente diabolo facta, *ex can. Si quis suadente 29. Causa 17. quæst. 4.*, juxta dicta in Tab. LXVII.
    6. Subornatio in Electionibus, *ex S. Pio V. & Clemente VIII.*
    7. Administratio Eucharistiæ per modum Viatici, vel in Paschate absque licentia, saltem interpretativa, Parochorum, juxta dicta in Tab. CXXXII.
    8. Hæresis Formalis externa sive publica sive occulta, juxta dicta in Tab. XVI.
    9. Lectio librorum prohibitorum hæresim continentium, vel de Religione ex professo tractantium, *vi Bullæ Cœnæ*, juxta dicta in Tab. XVII.
    10. Peccatum contra sextum præceptum commissum a Confessario cum Pœnitente, *ex Benedicto XIV.*
    11. Absolutio complicis a peccato contra sextum præceptum impertita ab ipso Confessario complice, etiam sub prætextu cujuscumque privilegii extra mortis periculum, in quo alius, saltem simplex sacerdos, non esset, aut alius vocari non posset sine periculo se ipsum infamandi, aliisque malam suspicionem ingerendi, *ex Benedicto XIV. Constit. quæ incip.* Apostolici muneris. *Tom. 1. Bull. ejusd. fol. 298. edit. Ven.*
    12. Calumnia imposita innocentibus Confessariis de sollicitatione ad turpia, eos ad Judices Ecclesiasticos falso deferentes, *ex Benedicto XIV. in Constit.* Sacramentum Pœnitentiæ *Tom. 1. Bull. ejusd. fol. 30. edit. Ven.*
  - **** Episcopis, quibus reservantur de**
    - **1. Jure communi vel consuetudine**
      1. Percussio levis Clerici respective ad gravem & enormem, *ex cap. Pervenit 17. de sententia excommunicationis*, juxta Tab. LXIX.
      2. Procuratio abortus fœtus animati, *ex Gregorio XIV.* juxta Tab. LXII.
      3. Omnes casus Papales occulti, exceptis, ad summum, Bullæ Cœnæ, *ex Tridentino Sess. 24. de reform. c. 6.*
      4. Omnes casus Papales, licet notorii, per respectum ad laborantes impedimento aliquo Canonico adeundi personaliter Sedem, juxta dicta in Tab. LXVIII.
    - **2. Jure speciali communiter reservantur**
      1. Incestus in primo & secundo gradu consanguinitatis, & affinitatis.
      2. Homicidium voluntarium actu externo perpetratum.
      3. Blasphemia hæreticalis, Bestialitas, Sodomia, quæ si reservetur simpliciter, intelligi debet de Sodomia perfecta juxta dicta Tab. LXXIII.
      4. Injectio violenta manuum in Parentes, vel Clericos.
      5. Abortus quocumque modo procuratus: & si in decreto non habeatur restrictio ad fœtum animatum, sed simpliciter, reservetur abortus, utrumque reservari ait *Kilber de Pœnitentia Conf. 15. n. 550.*
      6. Sortilegia, incantationes, divinationes &c.
    - 3. Nequeunt Episcopi sibi reservare casus sive Sedi Apostolicæ reservatos, sive alios promiscue non reservatos, quibus de jure annexa est excommunicatio major, *ex decret. Sacræ Congregationis, an. 1602. die 29. Novemb., & per suam Encycl. ejusd. diei & anni & Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib. 5. cap. 5. n. 4.*
  - ***** Prælatis Regularibus;** qui possunt solum sibi reservare peccata & casus expressos in Decreto Clementis VIII. o[illegible]nes, vel solum aliquos eorum, pro quibus erunt Tabula CLIX. & CLX.

TAB. CLVIII. *De Potestate absolvendi a casibus summo Pontifici et Episcopis reservatis.*

Absolutio a casibus reservatis

I. Summo Pontifici competit

1. Episcopis, supposito quod sint occulti, *ex Tridentino, Sess. 24. de Reform.* & non sint ex casibus in Bulla Cœnæ contentis, quam potestatem possunt exercere tam intra, quam extra Sacramentum, tollendo reservationem, qua sublata, potest a quovis Confessario absolvi.

2. Episcopis pro casu gravatus peccato aliquo reservato, licet publico, & contento in Bulla Cœna Domini, laboraret aliquo impedimento canonico adeundi personaliter Sedem Apostolicam, cum nemo legitime impeditus per se recurrere Romam, teneatur mittere epistolam vel Procuratorem, eo quod jura exigant personalem sistentiam, per dicta in Tab. LXVIII.

N. B. *Laborantes impedimento perpetuo adeundi Romam, ut Moniales, Senes &c. absolvendi sunt absolute sine ullo onere: laborantes vero impedimento solum temporaneo, absolvendi sunt cum onere, ut cessante impedimento se sistant Pontifici, vel ejus Delegato, non quidem in ordine ab obtinendam absolutionem, sed tantum ad satisfaciendum, juxta dicta* Tab. LXVIII.

2. *Nequeunt Episcopi sine speciali facultate absolvere a casibus in Bulla Cœnæ contentis, licet occultis, juxta probabiliorem (excipe laborantes impedimento Canonico juxta superius dicta), atque adeo neque ab hæresi, licet occulta, supposito quod Bulla Cœnæ sit adhuc in suo vigore: possunt tamen Episcopi & Inquisitores resipiscentem hæreticum, vel sponte apud se comparentem, aut quoquo modo ad suum forum deductum Ecclesiæ reconciliare & pro utroque foro absolvere a censura, in quam propter hæresim incidit,* ex Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib. 9. c. 4. n. 3.

3. Confessarii Ord. Mendicantium qui a casibus S. P. reservatis possunt absolvere quoscumque pœnitentes sive sæculares, sive Regulares, & quidem sine ullo onere ex diversis SS. PP., privilegiis Pauli III. *Constit.* Inter cunctas *Tom.* 6. *Bull. Capuc. fol.* 240. excipe

- 1. Casus clare vel dubie in Bulla Cœnæ contentos, inter quos præcipuus est hæresis, a qua tamen possunt Confessarii Capuccini Provinciæ Styriæ absolvere, per dicta in Tab. XVI.
- 2. Falso denunciantes Confessarios de sollicitatione ad turpia ad Judices Ecclesiasticos, *ex Benedicto XIV. Constit. rel. Sacram. Pœnit.*
- 3. Casum, quo ipsemet Confessarius esset complex criminis contra sextum præceptum commissi cum sua pœnitente, utpote quam nequit absolvere a peccato secum commisso extra mortis periculum, & tunc solum deficiente quocumque alio sacerdote, etiam simplici, qui confessarii munus obire posset, *ex Benedicto XIV. ibid.* §. 5.
- 4. Sex sequentes casus nempe 1. violationem Immunitatis Ecclesiasticæ; 2. violationem Clausuræ Monialium ad malum finem; 3. Injectionem manus violentæ in Clericum; 4. provocationem & pugnam in duello; 5. simoniam realem scienter contractam; 6. simoniam confidentialem: a quibus sex casibus Confessarii Mendicantes intra Italiam extra Urbem nequeunt absolvere suos pœnitentes sæculares, *ex decreto Clementis VIII. vid. Tom. 6. Bull. Capuc. fol.* 336.

4. Cuilibet Sacerdoti in articulo vel periculo mortis, absente tamen alio Confessario approbato pro confessionibus excipiendis, juxta alibi dicenda.

5. Cuilibet Sacerdoti approbato ab Ordinario, dum adest impedimentum adeundi personaliter Sedem Apostolicam, nec patet accessus ad Episcopum, vel alium privilegiatum, *ex cap. Nupt.* 9. *de sententia excommunicationis in* 6. *juncta Glossa, ibidem ad Verbum Sacerdote.*

6. Cuilibet Sacerdoti approbato ab Ordinario pro casu pœnitens ignorasset casui esse annexam excommunicationem vel aliam censuram.

II. Episcopis competit

1. Confessariis Ordinum Mendicantium per respectum ad reservata Episcopis de jure communi, de quibus in priori Tabula; excipe si horum aliquem Episcopi sibi specialiter reservarent.

2. Habentibus facultatem ab Episcopis, vel eorum Vicariis, non vero aliis, ne quidem Regularibus per respectum ad reservata Episcopis jure speciali, *ex Tridentino Sess.* 14. *c.* 7. *Alexandro VII.* damnante propositionem 12. *, *& Clemente X.*

3. Omnibus omnino Confessariis, imo & in horum absentia, cuilibet Sacerdoti in articulo vel periculo mortis, juxta alibi dicenda.

III. *Resolves*

1. Carens potestate in reservata nequit absolvere pœnitentem directe a non reservatis & indirecte a reservatis, extra casum veræ & urgentis necessitatis, juxta probabiliorem, quidquid aliqui affirment.

2. Confessus habenti facultatem in reservata, sed inculpabiliter reticens reservatum potest dein absolvi a quocumque Confessario, & a fortiori si fuisset confessus ipsum reservatum, sed nullam ex defectu doloris & propositi fecisset confessionem, saltem inculpabiliter: imo plures volunt tolli reservationem etiam stante culpabili defectu doloris & propositi.

3. Confessarius carens potestate in reservata, si inadvertenter absolvat a reservato, tenetur corrigere errorem vel obtinendo facultatem in reservata, & pœnitentem indirecte absolutum a reservato directe absolvere, vel mittendo ipsum ad habentem facultatem; quod & facere deberet ipsemet pœnitens advertens se fuisse confessum non habenti facultatem in reservata.

4. Habens potestatem ordinariam absolvendi a reservatis, ut Episcopus, Vicarius Generalis, potest tollere reservationem etiam extra sacramentum; secus habens potestatem solum delegatam.

5. Ignorans alicui peccato esse annexam reservationem, si illud committat etiam pro prima vice, incurrit reservationem.

6. Carens speciali facultate, si absolvat a reservatis de jure speciali Episcopis sub prætextu privilegiorum, incurrit pœnas excommunicationis, privationis officiorum & dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitatis audiendi confessiones & quorumcumque officiorum, Prælatura beneficiorum imposterum obtinendorum reservatorum summo Pontifici, *ex decreto Clementis VIII. Tom. 6. Bull. Capuc. fol.* 336. *& apud Pellizarium, Tract.* 6. *c.* 2. *n.* 4.

* P. D. *Mendicantes possunt absolvere a Casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

TAB. CLIX. *De Casibus reservatis Praelatis Regularium, et quidem de primis.*

- Veneficia quo nomine venit id,
  - Quo utuntur homines venefici ope dæmonis ad occidendos homines, vel illis nocendum sive in persona, sive in rebus.
  - Quo utuntur ad procurandam vel sterilitatem, vel impedimentum coeundi.
  - Etiam propinatio, vel applicatio veneni, exclusa tamen magica arte.

Regulares ex Decr. Clement. VIII. possunt sibi reservare sequentes Casus

- I. Incarnationes, id est Verba quæcomque, vel dæmonis arte inventa, vel ad ejus placitum instituta, sive ad procurandam sanitatem, vel morbum causandum, vel dæmonem invocandum &c.
  Sortilegia, id est usus sortium, quarum directioni præest diabolus pacto tacito, vel expresso inter hunc, & mittentes sortes, sive divisorias, sive consultorias, vel divinatorias. Pro quo vide Tab. XXXII.

- II. Apostasia a Religione, habitu dimisso vel retento; ad quam duo debent concurrere, id est
  - 1. Apostasia a Religione, id est, ut Religiosus Professus discedat animo deserendi Religionem & revertendi ad sæculum; defectu cujus non incurreret hunc casum discedens animo revertendi: imo juxta aliquos, nec discedens sine debita licentia animo quidem deserendi suam Religionem, intentione tamen assumendi alterius Ordinis habitum.
  - 2. Egressio extra septa Monasterii, quæ habetur, dum limen Portæ, seu Clausuræ, ad minimum Sacrarii terminum, qui solet esse Crux, excesserit; quamvis egressio per paucos passus non videatur damnanda de peccato mortali, & consequenter nec inducere casum reservatum. Imo juxta aliquos, neque si egressio contingeret ex fabrica, vel hospitio, quos tamen sequi non consulo, supposita vera apostasia.

- III. Nocturna, & furtiva egressio ex Monasterio, etiam animo non apostatandi; quæ esse debet
  - 1. Nocturna, qualis censetur, quæ fit tempore noctis; quæque proprie & rigorose habetur, dum tenebræ sunt super terram; cujus defectu exiens sub crepusculo vespertino, vel matutino, etsi tota nocte remaneret, non incurreret casum reservatum, cum sola nocturna proprietatis reservetur in terminis.
  - 2. Furtiva, quæ juxta aliquos dicitur, quæ fit sine licentia Superioris, licet aliqui conscii essent: verius, quæ fit insciis omnibus. Hinc exiens inscio Prælato, consciis vero duobus, vel tribus Religiosis, qui tamen non sint complices, non incurreret hunc casum.
  - 3. Extra Monasterium seu Conventum, id est extra clausuram: unde exiens nocturno tempore, etiam furtive, solum ex Hospitio, vel Domo sæculari, non incideret in hunc casum.

- IV. Proprietas contra votum Paupertatis, quæ sit peccatum mortale, si duo concurrant
  - 1. Vera proprietas, quæ contingit, dum aliquid occulte retinetur & contra voluntatem, saltem interpretativam, Superioris; sive sit pecunia, sive aliud mobile, vel immobile. Ex quo infertur, quod Religiosus sine licentia Superioris habens proprium, aut cum licentia aliquid retinens, attamen ad mandatum ipsius non est paratus reddere, aut dimittere, dicatur proprietarius.
  - 2. Quantitas notabilis, quæ respectu Religiosorum in genere censetur ea, quæ respectu sæcularium censetur in materia furti, juxta dicta in Tab. LXXVI. Respectu Capuccinorum quantitatem notabilem in materia proprietatis & furti constituunt 3. julii, seu 30. cruciferi, vel quarta pars Scutati Romani.

- V. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus, ad quem concurrere debent tria nempe
  - 1. Lapsus carnis, qui habetur cum exercetur peccatum carnale completum, seu cum effusione seminis, sive in prima, sive in secunda persona, id est cum, vel sine complice: secus vero quando committitur peccatum carnale incompletum, seu sine effusione seminis, ut osculando, amplexando impudice fœminam.
  - 2. Voluntarius, seu cum plena & perfecta advertentia, ac deliberatione commissus; & ideo patiens, sive in somno, sive in semivigilia pollutionem, etsi ei antecedenter causam dedisset, non incurrit casum reservatum, imo nec ab alio coacte pollutus, aut ex metu gravi exercens copulam, juxta plures.
  - 3. Opere consummatus, qui censetur, dum scienter & voluntarie procuratur seminis effusio per aliquem actum externum mortaliter libidinosum, quem nacta est sequi pollutio, v. g. contactu manuum, vel voluntariis motibus corporis; secus vero in aspectu, licet turpissimo, eoquod secuta pollutio ortum haberet ex solo actu interno.

- VI. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ, quæcomque sit, vel
  - 1. Occisio, quo nomine venit peremptio corporis animati rationalis, quocumque modo fiat sive gladio, sive fuste, sive quocumque instrumento & medio, v. g. veneno, suffocatione, procuratione abortus fœtus animati: concurrentes tamen solum moraliter, ut mandantes, consulentes, &c. non videntur incurrere hunc casum juxta probabiliorem.
  - 2. Vulneratio, quo nomine venit gravis & atrox, quæ fit armis pungentibus, vel scindentibus. Hinc seipsum castrans, licet ad bonum finem, v. g. ad sedandam concupiscentiam, incurrit hunc casum.
  - 3. Percussio gravis cujuscumque personæ, id est gravis & atrox percussio, quæ videlicet fit cum mutilatione, aut notabili sanguinis effusione, quæ non sit ex naribus.

- VII. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aperitio litterarum Superioris ad inferiores & vicissim, ad quod tria concurrere debent
  - 1. Malitia, quæ censetur intercedere, dum impediuntur, retardantur litteræ ex directa intentione impediendi effectum litterarum; unde inadvertenter retardans, aut per errorem aut ex præsumpta licentia, aut ratihabitione aperiens & legens, non incurret casum.
  - 2. Impeditio, Retardatio, aut Aperitio litterarum, unde qui legeret epistolam postquam fuit soluta a sigillo, vel qui eam ex industria absque solutione sigilli legeret, non incurreret hunc casum: imo juxta aliquos, nec qui solveret, absque tamen quod legeret, impediret, aut retardaret.
  - 3. Litteræ sint vel Superioris ad inferiorem, vel inferioris ad Superiorem, qualis est: Generalis, Provincialis, Abbas, Rector, Prior, Guardianus.

TAB. CLX. *De Reliquis quatuor casibus, quos Praelati Regulares possunt sibi reservare.*

Referuntur reliqui quatuor Casus

VIII. Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo, ad quod concurrere debent, nempe

1. Juramentum falsum, quod habetur, dum caret veritate de præsenti, sive ex conscientia recta, sive erronea dictante rem se aliter habere, ac enunciatur: secus vero si invincibiliter judicatur quod res ita se habeat, licet in rei veritate aliter esset, juxta dicta in Tab. XLV. hic adplicanda.

2. Ut fiat in judicio, quod contingit dum Religiosus vocatus a suo Superiore in judicium, tanquam testis, vel reus, datoque juramento de veritate aperienda, dicit falsum, sive asserendo quæ vera non sunt, sive tacendo quæ vera esse sciuntur. Unde qui extra judicium, aut in judicio, sed non ad judicis interpellationem sua sponte falsum juraret, non incurreret hunc casum.

3. Ut fiat in judicio Regulari, seu legitimo, tali nimirum, in quo servetur juris ordo in interrogando reo vel teste. Hinc interrogatus, nulla præcedente accusatione, denuntiatione, vel infamia, negaret se quidquam scire, vel etiam si negaret ex eo, quod nonnisi per auditum sciat, non incurreret hunc casum, quia in judicio legitimo non adest obligatio testificandi de re hausta per auditum ab aliis.

IX. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post fœtum animatum, effectu etiam non secuto, ad quod concurrere debent ut

1. Mulier vere gravida sit, unde si quis putans mulierem esse gravidam, quæ revera non est, daret ei potum in ordine ad abortum, non incurreret hunc casum, sumpto etiam per mulierem potu.

2. Fœtus sit animatus. Hinc si quis procuraret abortum ante animationem fœtus, seu ante 40. dies, si fœtus sit masculus, & ante 80., si fæmininus (in praxi hoc non tenet inter modernos) (A) non incideret in hunc casum; sicut, juxta probabiliorem, nec in dubio an abortus secutus fuerit fœtus masculini, vel fœminini, & secutus fuisset ante octuagesimum diem.

3. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum: Hinc hunc casum incurrit Religiosus, quocumque modo, sive baculo, sive potione, sive alio modo procurans abortum, aut auxilium præbens, seu circa potionem faciendam, seu circa portationem ipsius potionis, seu persuadendo mulieri, eam adjuvando ad tale facinus, seu etiam ad hoc præstando consilium, dummodo mulier potionem sumpserit, quamvis effectus, seu abortus non fuisset secutus.

X. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterii, seu Conventus, ad quod concurrere debent tria, nempe

1. Falsificatio, quæ habetur cum immutatur veritas cum dolo & animo inferendi damnum, sive Monasterio, sive Superiori, etsi damnum realiter non sequatur.

2. Manus falsificatio habetur, dum manu alterius falsificatur scriptura, vel characteres, vel aliud quod immutando, sive addendo, sive detrahendo; aut etiam falsum chartam de novo fabricando, & dein supponendo falsam subscriptionem.

3. Sigilli falsificatio habetur dum falsis litteris apponitur sigillum Officialium, sive furto ablatum, sive in similitudinem formatum; requiritur autem, ut falsificatio manus vel sigilli in usum deducatur, & consequenter scriptura falsificata utatur.

N. B. *Officialium nomine in Monasteriis Monachorum veniunt Abbas, Prior, Cellerarius, Procurator & hujusmodi cæterorum; Monialium, Abbatissa, Priorista, Vicaria: in Conventibus, Generales, Procuratores Generales, Provinciales, Prior, Guardianus, Præpositus, Rector.*

XI. Furtum de rebus Monasterii, seu Conventus, in ea quantitate quæ sit peccatum mortale, ad quod debent concurrere tria, nempe

1. Furtum: quod committitur, cum res aliena, invito rationabiliter domino & consequenter, respectu eorum, qui dominium nec in particulari, nec in communi habent, invito Dante aufertur; quod & committi potest ab ipsis Superioribus bona communia sibi particulariter vindicantibus, aut extra Monasterium distrahentibus. *

2. Furtum de rebus Monasterii, aut Conventus, quod committitur, cum res pertinentes ad communem usum surripiuntur; tum res Communitatis ad particularem usum concessæ, tum denique res ab aliquo elaboratæ v. g. Conciones, Scripta &c. Quod si quis surriperet res alterius Instituti, non incurreret, juxta probabiliorem, hunc casum; minime tamen dubitandum, quod incideret in IV. de Proprietate.

3. Quantitas notabilis, juxta dicta in expositione præfati casus IV. Quibus addendum, quod si quis pluribus vicibus in minori quantite res aliquas surriperet, animo tamen successive surripiendi plura, perveniens ad quantitatem notabilem, seu quæ sit sufficiens ad peccatum mortale, juxta dicta in Tabula LXXVI. de furtis minutis, incurrit casum reservatum.

* Dictum fuit, respectu eorum, qui dominium nec in particulari, nec in communi habent, *invito Dante*, seu Benefactoribus. Ex quo quisquis colligere poterit quidnam in praxi resolvendum sit de illis Conventuum Superioribus, qui Domini dispotici esse non possunt; de illis Officialibus, Hortorum Cultoribus, vel Præfectis, qui olera & fructus meliores, pulchrioresque ad mercatum venum mittunt, deterioribus insanioribusque ad miserum victum deputatis Communitati; sub obtentu superfluitatis, absque quod a venditione retractum in meliorandum cibum vel potum insumant. Hæc enim, juxta Christianæ Ethices principia, *furta vera & realia* audiunt de rebus Monasterii invitis rationabiliter Benefactoribus, qui ampliorem terrenum (sic etiam de cæteris intellige) Monasteriis cesserunt, non ut aliqui particulares contra rationem status ditescant, aut avare congerant, custodiantve pro incertis necessitatibus, sed ut Communitas melius & facilius & convenientius subsistat.

N. B. *Relatos Undecim Casus possunt Prælati (quo nomine in rigore venire possent etiam Superiores Locales, uti attente legenti Decretum Clementis VIII. patebit, quamvis apud Fratres Minores restricta sit talis facultas ad Generalem & Provincialem & ad Delegatos ab his) sibi reservare, imo de consensu Capituli, sive Generalis, sive Provincialis (excipe Minores Capuccinos ob prohibitionem factam a Paulo V.) etiam alios, a quibus præfati Superiores, aut alii ab illis delegati, possunt absolvere; quod si Superiores, qui sibi casus reservarunt, requisiti a Confessariis pro facultate absolvendi ab aliquo casu reservato eam dare recusarent, pro illa vice Confessarii possent, etiam non impetrata facultate, absolvere ex Decreto Clementis VIII.*

(A) *Placuit Censuræ Ordinis dictam clausulam adnotare, sed nos tunc sententiam modernorum in praxim deducemus, cum novum antiquo contrarium Canonicum Ecclesiæ oraculum audiverimus.*

TAB. CLXI. *De Occasione peccandi, et absolutione danda vel deneganda existenti in ea.*

Occasio proxima proprie talis differt a consuetudine peccandi, quod haec intrinsece, seu propria fragilitate, illa vero proveniat ab extrinseco e. g. a tali consortio, officio & frequentatione talis domus, personae &c., quae dividitur in

I. Remotam, seu in qua quis non quidem vi occasionis praecise, sed ex mera peccantis fragilitate vel malitia inducitur ad peccandum; nec cum ea peccatum est moraliter connexum. In qua ex Benedicto XIV. *lib. Inst. Eccl.* 27. §. *jam satis*, versari censetur, qui domum aliquam frequenter invisens rarissime lethale crimen admittit: Hanceque, juxta laud. Pontif. nemo tenetur vitare; consequenter nec absolutionis beneficio obstat.

II. Proximam *in qua quis*, ut in terminis Bened. XIV. loc. cit. *saepius in peccatum labitur* (*) quae subdividitur in

1. Absolutam: estque illa, quae spectata communi omnium in illa versantium fragilitate, suapte natura inducit in peccatum mortale: cujusmodi sunt contubernia prostitutarum, & accessus ad lupanaria.

2. Respectivam, quae spectata praecise speciali hujus vel illius fragilitate, frequenter eam in peccatum mortale impellit.

3. Voluntariam, seu a qua quis tam physice, quam moraliter separari potest. Haec absolutionem

Impedit

1. Si eam nolit dimittere vel vitare ob defectum doloris efficacis, & serii propositi de vita emendanda. Ex Innoc. XI. damnante n. 61. proposit. *Vid. ad calcem Tab. seq.* (62.)

2. Si saepius, imo etiam una alterave vice admonitus eam non dimisit, aut vitavit, licet promitteret dimissionem, aut fugam, saltem extra casum, quo jurejurando id promitteret.

3. Si nollet dimittere concubinam, vel quia haec sibi valde utilis est, *Ex damnatis pp. ad Alexand. VII. n. 4. & Innoc. XI. Vid. Tab. seq.* (***): vel quia eam ejiciendo deberet pati jacturam denariorum, quos mutuo dedit concubinae. Quod si concubinatus sit publicus, nullo modo potest absolvi concubinarius non dimissa concubina, ne quidem in articulo mortis constitutus.

Non impedit, si existens in occasione proxima voluntaria nunquam antecedenter admonitus, ignoransque obligationem, ad primum Confessarii mandatum firmiter promittat eam dimittere, exhibeatque suae dispositionis argumenta: etsi ante accessum ad confessionem id non praestitisset, *juxta probabiliorem* contra negativam Quorumdam.

4. Involuntariam, a qua quis separari nequit vel absolute, uti damnati ad triremes, vir ab uxore, diciturque *physice involuntaria:* vel non sine gravi detrimento honoris, bonorum fortunae, vitae, vel gravi scandalo: diciturque *moraliter involuntaria.* Neutra impedit absolutionem, si

1. Eam non possit dimittere sine periculo gravis infamiae sive ipsius dimittentis, sive personae dimittendae aut vitandae: si ex dimissione, persona dimittens vel dimittenda subire deberet grave damnum in bonis corporis, vel fortunae: quidquid aliqui inficientur absolvi posse existentes in occasione proxima solum *moraliter involuntaria:* consequenter filiumfamilias peccantem cum sorore vel ancilla antequam occasionem dimittat.

2. Apud unum eumdemque Confessarium suam Confessionem consueverit deponere.

3. Serio promittat, se dimissurum talem occasionem, quamprimum sibi erit moraliter possibile.

4. Vere & sincere doleat de peccatis commissis.

5. Firmissime proponat se ex proxima factorum remotam, declinaturumque ea omnia, quae ipsum in lapsum induxerunt.

6. Mediis se usurum a Confessario pro evitanda proxima occasione praescriptis, quibus nisi fuerit usus, illa occasio evadet voluntaria. Si vero, nihil obstante eorum usu, nulla adpareat emendatio, cum tali, sicut cum consuetudinario & recidivo agendum, juxta dicenda Tab. seq. & nullo modo absolvendus etiamsi fleat, promittat; pereant fama, bona &c., urgente in tali casu Christi praecepto: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum. Matth.* 5. 29.

N. B. *Media autem praescribenda existentibus in occasione proxima labendi in peccata carnis.* Confessio frequens apud eumdem Confessarium: quotidiana & expressa renovatio propositi in confessione facti: Votum subeundi gravem poenitentiam e. g. jejunandi in pane & aqua: dandi notabilem eleemosynam quoties relabi contigerit: Oratio & devotio erga B. V. Mariam.

* Hanc Benedicti XIV. definitionem praesentio minime placituram Recentioribus, seu larvatis quibusdam Pistoriensibus, Obstroctianis, & Sanzaejanis, qui rationem formalem occasionis proximae repetunt ab intrinseco, seu humana fragilitate; velintque occasionem proximam eam esse, *quae sive de se, sive attenta peccantis dispositione* EXPONIT HOMINEM PROBABILI, SEU PRUDENTER TIMENDO PECCANDI PERICULO, non autem eam solum, *in qua semper, aut fere semper, aut frequenter, aut frequentius homo peccat*, juxta quam oporteret nos de hoc mundo exire: ubique enim, attenta fragilitate nostra, periclitamur. Nihilominus, & si eorum rigorem clamitare minime gestiam, fatendum reor nimiam vigere in praxi laxitatem; & ex nimia vel facilitate, vel indulgentia, vel humano respectu multos, & multas a Confessariis ultro absolvi, ne quidem facta aliqua admonitione eisdem: sicque eosdem ad tartara descendere magna cruce signatos inficias nemo ibit. Quis enim attenta humana fragilitate, juventutis effraeni petulantia, frequentia, conversationisque libertate, incompositione, & vestiendi luxurie, morumque corruptione, a nota occasionis non proximae tantum, sed proximioris purgabit praxim illam & morem inter Nobiles invectum, ut Foemina Nobilis vix desponsata, praeter maritum, alium juxta genium suum, nobilem juvenem sibi a servitiis & secretis (vulgo *Cavalier servente*) eligat: eaque possit cum illo conversari libertatis lege, ut maritus ne quidem approximare, minus autem eorum conversationi interesse audeat? Neque dicant hunc esse morem ritumque nobilium, sed potius inventum diabolicum, abusumque ad foedandam Conjugii sanctitatem a perversis hominibus inter christianos invectum dicas: qui enim foedi abusus inde nascantur, si gnari tacuerint, lapides clamabunt cum Jeremia c. 5. v. 8. Unde colliges hujusmodi versari in proxima occasione, qua non dimissa, absolvi nequeunt. Mores enim Nobilium non possunt praescribere contra Decalogum. Videant igitur Confessarii qualiter talibus impertiantur absolutionem. Vide praeterea ad calcem Tab. seq.

TAB. CLXII. *De Absolutione danda, vel differenda Consuetudinario, vel Recidivo:*

Consuetudinario, vel Recidivo

I. Neganda est absolutio

1. Ordinarie, vel ad tempus differenda illi in quo nulla adparet emendatio: nemo enim potest absolvi, de cujus constantia, dolore & proposito dubitatur. Sed quid maxime prædicat pœnitentis inconstantiam & carentiam veri supernaturalis doloris, firmique propositi, quam relapsus in idem, vel diversa peccata? Hinc Confessarius cum judicium prudens de hujuscemodi pœnitentis dispositione sibi formare haud possit, beneficium absolutionis nequaquam eidem impertiri, sed differre debet, urgente & Ministerii Œconomia, & Theologica ratione & Innocentii XI. damnatione sequentis n. 60. propositionis.

* *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem.*

2. Eo magis si jam admonitus & correctus pœnitens nullam adferat emendationem & remedia præscripta neglexerit.

N. B. *Non statim & promiscue negandam, vel differendam reor absolutionem peccatori præsertim consuetudinario, qui vel nunquam admonitus, vel nunquam fuit correctus, vel nullum illi remedium fuit præscriptum. Dari enim potest, experientia teste, consuetudinarius, qui nunquam apprehendit sui peccati malitiam & per consequens, qui peccatum consuetudinis contrahit ex ignorantia vincibili, vel invincibili; vel qui nunquam fuit confessus crimen suum, hocque ideo, quia a maleferiatis hominibus fuit edoctus, aut nullum esse, aut nonnisi leve peccatum, minimeque necessario aperiendum Confessario, (Practicus scribit: hac via filii Belial, hocque medio, ad extorquendos ab innocentibus animabus præsertim impuberibus puellis tam activos, quam passivos tactus lascivos, aliosque imperfectæ luxuriæ actus, abutuntur.) Jam talis pœnitens postquam peccati, de cujus malitia nihil suspicabatur, in cognitionem venit, si ex inveterato habitu in idem peccatum lapsus ad Confessionem recurrat, forti correctione præmissa, præscriptisque remediis, si cæteroquin veri doloris & propositi præseferat signa, numquid non absolvendus?*

II. Non neganda

1. Si Pœnitens exhibeat extraordinaria signa doloris; quia hæc præbent sufficiens fundamentum, quod adsit in eo firmum justitiæ propositum; & colligi possit eum ad Sacramentum accessisse desiderio amicitiam divinam recuperandi & per gratiam sacramentalem in eo se firmius stabiliendi.

2. Si omnem solertiam pœnitens adhibuit, jussa executus est, prohibita vitavit, media præscripta adhibuit, tentationibus fortiter restitit, & de die in diem numerum relapsuum minuit.

3. Si veniat ad confessionem non ex consuetudine, coactione, vel urgentia satisfaciendi præcepto Paschali, sed sponte, præsertim inductus ab aliquo funesto casu, vel a forti aliquo impulsu interno conscientiæ, vel externo & extraordinario, uti in concione, missione &c.

* In hisce & similibus circumstantiis haudquaquam erraturum judico Confessarium impertiendo absolutionem, quia non requiritur in Confessario moralis certitudo, sed prudens judicium, quod pœnitens hic & nunc habeat verum dolorem & efficax propositum: nam alias, dicant adversarii *Obstroetiani et Sanzajani*, in quo casu valitura sit illa Christi Domini sententia: *non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies?* Neque huic obstat propositio prima inter damnatas ab Innocentio XI., quia illa loquitur de illis partibus, quæ ponuntur a Ministro, materia videlicet, & forma.

** Et licet verum, quod præcipui Consuetudinarii rarissime consuetudinem suam ex integro desererent, nihilominus nequaquam audiendos arbitror eos, qui cum Cl. Luby contendunt consuetudinarium minime absolvendum esse, donec ex integro compareat emendatus, quia alias dicendum foret tales peccatores esse simpliciter incapaces absolutionis: Correptus enim & admonitus, si omnia media præscripta adhibeat ad præcavendum relapsum in peccatum, vel consuetudinem peccandi, qui per menses resistit fortiter tentationibus, victusque tandem in idem peccatum relabitur & spe inveniendi remedium dolens ad Confessionem recurrit, judicari potest ex violentia inveterati habitus & ex fragilitate magis, quam ex malitia in peccatum inductus: unde si vera signa doloris & propositi exhibeat, cum Confessarius possit prudenter judicare de sinceritate eorumdem, potest gratiæ Sacramentali ejus perfectam conversionem relinquere.

III. Media præscribenda

1. Frequens Confessio apud eumdem Confessarium & quotidiana renovatio propositi eliciti in confessionali.

2. Invocatio auxilii Sanctorum, præsertim Beatæ Mariæ Virginis, devote in honorem ipsius recitando Hymnum *Ave Maris Stella*, & cum reflexione speciali proferendo versiculum illum: *Virgo singularis inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac et castos.*

3. Elevata mente ad Deum tota cordis compunctione & affectu dicendo illud Psalmistæ: *Cor mundum crea in me Deus*, vel aliud Ecclesiæ: *extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ et castitatis.*

4. Suadendo id quod D. Bernardus suaserat cuidam inveterato peccatori, nempe ut triduo abstineat ab illo vitio in honorem Sanctissimæ Trinitatis: quod si faciat, suadendo ut altero triduo idem præstet in honorem Christi pro se, suisque peccatis crucifixi; quo iterum peracto inculcando ei aliud triduum in honorem Beatæ Mariæ Virginis usque dum omnis difficultas evanescat & per contrarios actus totus ille vitiosus habitus auferatur. (*)

N. B. *Mox præscripta remedia efficacissima esse pro delictis mollitiei difficilimæ correctionis expertus fuit Cardinalis Tolletus.*

N. B. *Tempore Paschali (aliis temporibus vero attendendæ sunt circumstantiæ) passim judico differendam absolutionem occasionariis, præsertim concubinariis, qui dicunt vel occasionem dereliquisse, vel concubinam jam ejecisse: nam etsi verum sit, magna potest subesse malitia ad traducendum Confessarium. Inveni si quidem in praxi, qui urgente Paschali præcepto sub obtentu conversionis concubinam dimiserint, eamque ad similiter agendum exhortati fuerint: ast comperi hoc nihil aliud fuisse, quam tacitum, mutuumque pactum (peracta ab utroque Confessione et Communione) revertendi ad pristinam consuetudinem; sicque per plures annos omnibus illusisse Confessariis. Tu vero ad longiorem probationem tales remitte, ne alienorum peccatorum particeps efficiaris.*

*** P. P. D. D. 42. *Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent et alia famula nimis difficile inveniretur.* 48.

61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere; quin imo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

TAB. CLXIII. *De Obligatione denunciandi Confessarium sollicitantem ad turpia et inhonesta.*

Obligatio denunciandi Confessarium sollicitantem incumbit pœnitenti sollicitato, si sollicitans

I. Sit ex partibus ubi viget inquisitio, vel ubi denunciatio sollicitantium est usu recepta, uti videtur recepta etiam in Germania, cum etiam in Germania confessarii audientes sollicitationem obligent pœnitentes ut denuncient confessarios, a quibus fuerunt sollicitati, quidquid aliqui negent.

II. Sit unus ex confessariis deputatis ab Ordinario, sive dein Sæcularis, sive Regularis, imo etsi solum esset Sacerdos non confessarius, *ex Benedicto XIV. in Constit.* Sacram. Pœnitentiæ *tom. 1. Bull. ejusd. fol. 22. edit. Rom. & fol. 30. edit. Ven.*, secus vero si esset Laicus, Diaconus, vel Subdiaconus simulans se esse confessarium, quamvis & talis tanquam suspectus de hæresi, denunciandus esset Inquisitioni, *ex Gregorio XIII. Constit. quæ incip.* Officii Nostri.

III. Si sollicitet in usu Sacramenti Pœnitentiæ, secus vero in administratione aliorum Sacramentorum v. g. Baptismi, Confirmationis, & aliorum.

IV. Si sollicitet ad turpia & inhonesta, seu ad res carnales & venereas, sive dein sollicitet masculum, sive fœminam: sive blanditiis, promissionibus, precibus, minis, tactibus, osculis, aut aliis signis amatoriis, sive secum ipso, sive cum aliis exercendas; secus si sollicitaret ad alia crimina, v. g. furtum, homicidium &c. *ex communi, & expressa Benedicti XIV. ibid.*, vel ipse confessarius prius fuisset sollicitatus a pœnitente, eo licet consentiente sollicitationi, *juxta probabiliorem*, quidquid aliqui velint etiam talem esse denunciandum.

V. Si sollicitet, sive

1. *In actu Sacramentalis Confessionis*, quod contingit, dum sollicitatio fit post Signum Crucis factum a Pœnitente in ordine ad sacramentalem Confessionem, & ante absolutionem.
2. *Immediate ante Confessionem*, ut si quis pœnitentem ante incœptam confessionem verbis, aut tactibus obscœnis sollicitaret, dilata in aliud tempus confessione.
3. *Immediate post Confessionem*, ut si quis sollicitaret pœnitentem confessione jam peracta ante vel immediate post absolutionem datam; vel si advertens ex confessione pœnitentem a pluribus fuisse cognitum carnaliter, ipsum ad suum cubiculum duceret, atque ad turpia sollicitaret; vel si pœnitenti statim post confessionem diceret: veni hodie ad me, & tradam tibi schedam confessionis, & hac occasione ipsum ad turpia sollicitaret; vel si pœnitenti pro pœnitentia daret, ut nudus, vel nuda domi ab ipso confessario verberetur; vel si pœnitenti præberet chartam in confessionali provocantem ad venerem postea legendam, *ex Alexandro VII. damnante propositionem* 6. (*).
4. *Occasione confessionis*, quod contingit, dum confessarius reipsa ex vera confessione ansam sollicitandi ad turpia sumit, & hinc confessarius ex confessione advertens pœnitentem proclivem ad venerem, si inde sumat occasionem ad ejus domum accedendi, aut ipsum, vel ipsam ad se vocandi, & sollicitandi ad turpia, censetur sollicitasse occasione confessionis, præsertim si id contingat brevi tempore post confessionem, v. g. eadem die.
5. *Prætextu confessionis*, seu dum confessarius simulat, & fingit confessionem; ut inde valeat provocare ad venerem; quod contingere potest, tum dum confessarius invitat mulierem ad confessionem, eamque in Ecclesiæ janua exspectans, nulla ibi facta confessionis mentione, ad venerem incitat, tum dum mulier præmissa conventione de peccato carnis patrando cum Sacerdote, hunc ad domum suam vocat, & ut domesticos deludat propter executionis difficultatem, ægrotam se fingit, & prætextu confessionis simul commiscentur.
6. *Extra occasionem confessionis in Confessionali*, quæ contingit dum mulier, quæ accessit ad confessionale alia de causa, quam confessionis, v. g. consilii gratia, inducitur a confessario ad turpia, & in hoc casu denunciatio facienda, etsi confessio non sequatur.
7. *In loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiuntur*, prout contingit, si sollicitatio fiat in alio loco, præter confessionale, destinato ad confessiones excipiendas, prout in domibus Religiosorum sunt cubicula pro viris, & Sacristia, vel Oratorium pro fœminis, præsertim surdastris.
8. *In loco ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire*, prout contingit, si sollicitatio fiat vel in scamno Ecclesiæ, vel in Sacristia, vel in cubiculo, vel in domo, vel in alio loco electo a confessario; quod si in alio loco non sequatur vera vel simulata confessio, non est denunciandus.

VI. Si illicitos & inhonestos sermones, ac tractatus habeat cum pœnitente, saltem graviter lascivos, extra tamen casum, quo ad hos antecedenter ipse Confessarius provocatus fuisset a pœnitente discursus illos inchoante, vel juxta aliquos, si leviter fuissent lascivi. Vid. (A) ad calcem seq. Tabulæ.

VII. Resolves

1. In prædictis casibus, debent sollicitantes denunciari vel Officio Sanctæ Inquisitionis, ubi hæc viget, vel locorum Ordinariis, tum ex eo, quod tales sollicitantes veniant inter suspectos de hæresi, qui denunciandi sunt, *ex Paulo V.*, *& Alexandro VII.*; tum quia id expresse mandant Gregorius XV. & Benedictus XIV. *in rel. Constit.*
2. Denunciatio sollicitantis facienda est ab ipsa persona sollicitata, sive per se ipsam, sive per confessarium, cui confitetur sollicitationem, sive ipsa consensisset, sive non consensisset sollicitationi, & quidem sub gravi culpa, nulla præmissa correctione fraterna, licet adesset ex hac spes emendationis, *juxta probabiliorem*.
3. Confessarius advertens suam pœnitentem fuisse a confessario sollicitatam, ut supra, tenetur ipsam monere de obligatione denunciandi, sed non nisi per maturam discussionem casus, an contineat veram sollicitationem? Et in dubio: an verba prolata contineant veram sollicitationem? non adest obligatio.
4. Pœnitenti admonito de obligatione denunciandi sollicitantem, si renuat, deneganda est absolutio, *ex Benedicto XIV. ibid.*; si vero promittat, potest absolvi, etiam antequam denunciet, *ex eadem* [illegible].

* An vero persona sollicitata teneatur per se facere denunciationem, & si non possit per se, an teneatur confessario, cui confitetur sollicitationem, dare licentiam eam faciendi, dicetur in fine sequentis Tabulæ.

(*) P. D. *Confessarius qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.*

TAB. CLXIV. *De Pœnis, quas incurrunt Confessarii sollicitantes ad turpia et inhonesta.*

Confessarius

I. Sollicitans

1. Puniendus est

1. Suspensione ab executione Ordinis.
2. Privatione beneficiorum & officiorum quorumcumque, necnon perpetua inhabilitate ad illa.
3. Privatione vocis activæ & passivæ, si sit Regularis.
4. Exilio, damnatione ad triremes & carceres etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ: imo, si pro delicti enormitate, graviores pœnas promeretur, debita præcedente degradatione, potest tradi brachio sæculari puniendus: ita statuit Gregorius XV. in sua Constitutione, quæ incipit, *Dominici Gregis*, confirmata & innovata a *Benedicto XIV. loco mox citando.*
5. Perpetua inhabilitate ad Missæ celebrationem: atque adeo irregularitate ex Decreto S. Universalis Inquisitionis, relato a Benedicto XIV. *in Appendice ad tom.* 1. *Bull. ejusdem fol.* 397. *edit. Venet.*

2. Nequit

1. Puniri ab Episcopo nudo testimonio unius dumtaxat fœminæ denunciatus de delicto sollicitationis: imo neque si a pluribus fœminis seorsim fuisset denunciatus se ab illo fuisse sollecitatas, nisi alia indicia concurrant, seu præsumptiones: *ex Gregorio XIV. Constit.* Universi Domini Gregis, *edita an.* 1622. 30. *Augusti insert. Bull. Capuc. tom.* 6. *fol.* 286.
2. Eximere Pœnitentem ab obligatione ipsum denunciandi. Unde Alexander VII. sequentem ordine 7. damnavit propositionem. *

3. Non tenetur tamen sive seipsum denunciare, sive monere pœnitentem a se sollicitatum, ut ipsum denunciet.

4. Præveniens denunciationem, sponte comparendo coram Officio Sacræ Inquisitionis, vel coram Ordinario, eique suam culpam manifestando, nequit puniri pœna corporali; sed spiritualibus dumtaxat pœnis dimittitur a Benedicto XIV. cum *Syn. Diœc. lib.* 9. *c.* 11. *n.* 8. tum *in sua Constit. quæ incipit*, Quam grave: *tom.* 4. *Bull. ejusd.* §. 15. *fol.* 329. *edit. Venet.*

II. Audiens in confessione personam fuisse sollicitatam, si admonita de obligatione denunciandi sollicitantem recuset id facere per se, det tamen licentiam ipsi Confessario id præstandi, non tenetur Confessarius in se onus illud suscipere: imo aliqui volunt, personam sollicitatam non valentem per seipsam superiorem adire denuntiaturam sollicitantem, non teneri ne quidem per Confessarium suum id præstare, quia fama & bonum nomen Confessarii sollicitantis apud alterum denigraretur. Ast id praxim videtur impugnare quod videamus non raro per Confessarios apud Superiores fieri hujusmodi sollicitantium denunciationes.

III. Nolens in se suscipere onus denunciandi sollicitantem, & persona sollicitata non posset induci ad faciendam talem denunciationem per se, nullum jam aliud restat remedium, quam ut ipsa persona sollicitata sive per se, sive per Confessarium, proprio reticito nomine, scribat Eminentissimo Pœnitentiario Majori, casum ei exponendo cum omnibus suis circumstantiis, a quo petit absolvi, indicando nomen & cognomen (etiamsi sit fictitium), cui sit a S. Pœnitentiaria rescribendum, sicut etiam nomen Pagi, Oppidi vel Civitatis, ad quam debet responsio dirigi. *Ex Viva in propositionem* 7. *ab Alexandro VII. damnatam* §. Ubi sciendum.

IV. Falso denunciatus de sollicitatione coram Judicibus Ecclesiasticis de sollicitatione debet resarciri: adeoque taliter denuncians obligandus est ad retractanda sua dicta, & in foro externo puniendus est pœnis in calumniatores latis, nec absolvi potest ab aliquo quamtumvis, & quomodolibet privilegiato Confessario antequam id præstet extra mortis articulum; atque adeo incurrit casum S. Pontifici reservatum, *ex Bened. XIV. Constit.* Sacramentum Pœnitentiæ. *ibid.*

* *Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere ab onere denunciandi.* Ex quo sequitur, quod pœnitens statim ac advertit adesse obligationem denunciandi Confessarium sollicitantem, independenter ab omni Confessarii admonitione, eum denunciare teneatur.

(A) Lucius Ferraris, qui cum P. Concina scripsit post Constitutionem Benedicti XIV., referens utramque opinionem, favere videtur negativæ: lex enim loquitur de sollicitantibus, & non de sollicitatis; atqui Confessarius etsi consentiens non sollicitat; ergo minime denuntiandus. P. Concina optime intellexit, & vel ideo alteri fundamento debitum denunciationis affigit: nimirum, quia tale convincitur habuisse inhonestos, & illicitos sermones & tractatus: sed esto quod sollicitatus, de mala dispositione & intentione pœnitentis nihil suspicatus, & a concupiscentia antecedente abreptus, illicitis sermonibus correspondeat & sollicitationi consentiat: sicut illi inurenda non est nota sollicitationis, ita nec puniendus sollicitantium pœna, quæ maxima est in ipsa imperata denunciatione, utpote quæ famam maculat apud Superiorem Ecclesiasticum. Dari potest etiam ut Confessarius sollicitatus consentiat & tandem peccet, quin habeat inhonestos & illicitos sermones: quo casu ruit fundamentum P. Concinæ.

TAB. CLXV. *De Confessario assistente constitutis in articulo, vel periculo mortis, et de Medicis vocatis ad infirmos.*

Confessarius existentem in articulo, vel periculo mortis potest, ac debet

I. Absolvere

Absolute

1. Quicumque ille sit etsi excommunicatus, degradatus, suspensus ex dispositione Tridentini: quo præsente, vel alio habili Confessario, non ita tamen potest absolvere nec valide, nec licite simplex Sacerdos, ex declaratione S. Congregationis *apud Pignatelli Tom.* 1. *Consult.* 163. *n.* 13. & Gregorio XIII. *apud Lucium Ferraris verb.* Absolutio *num.* 52.

2. Ab omnibus casibus quibuscumque, & quomodocumque reservatis, *Trident. Sess.* 14. *cap.* 7. *de cas. reserv.*

3. A censuris, & quidem non solum illis, quæ obstant susceptioni Sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, sed & ab aliis omnibus, ut Irregularitate, Suspensione ab Officio, Beneficio, & quidem sine ullo onere, juxta probabiliorem: nequit tamen talis absolvi per Laicum ab Excommunicatione, & Interdicto, contra sententiam quorumdam affirmantium si adsit Clericus. *Lucius Ferraris verb.* Moribundus. *n.* 3.

4. Præ infirmitate non potentem integre confiteri, bene vero aliqua peccata clavibus submittentem.

5. Nullum edicere peccatum valentem, dantem tamen aliquod signum, ex quo prudenter judicari possit ipsum, quantum est in se, petere & Confessarium & absolutionem. *Ex diversis Conciliis, et Rituali Rom. Vide Tournely Tom. II. de Sacram. Pœnit. fol.* 512. *P. Concina lib.* 1. *de Sacram. Pœnit. Dissert. cap.* 12.

6. Exhibentem signum aliquod certum, ut si coram Confessario, vel aliis, diceret: se dolere de peccatis suis, petere veniam, desiderare & poscere absolvi, licet nullius peccati etiam antecedenter commissi, & confessi conscius esset Confessarius; quod a fortiori intellige, si hic sciret unum alterumve peccatum certum ex confessionibus præteritis sibi factis. *Ex Bened. XIV. Syn. Diœces. lib.* 7. *c.* 15. *n.* 8.

7. Nullum quidem præsente Confessario dantem signum, dedisset tamen antecedenter, petendo v. g. Confessarium, & id testetur licet unicus testis; cum per talem petitionem confessus sit se esse peccatorem, & confessio hæc videatur facta per interpretem testem præsenti Confessario. *Ex eod. ibid.*

Conditionate

1. Dantem signum aliquod solum probabile, ut est tunsio pectoris, & a fortiori dubium, ut sunt lacrymæ, suspiria, elevatio oculorum, compressio manuum Confessarii ad interrogationem: num velit confiteri, vel doleat de peccatis: hac v. g. *si capax es, ego te absolvo*. *Ex eodem ibid.*

2. Nullum omnino signum dantem, nec antecedenter dedisset, ex suppositione tamen quod christiano modo vixerit: cum de quolibet Christiano præsumendum sit, quod via tutissima velit adire æternitatem; & propterea dederit, vel actu etiam det signum aliquod secundum se sensibile pœnitentiæ. *Ex eod. ibid. num.* 9. contra quorumdam sententiam negantium in tali casu etiam sub conditione talem posse absolvi.

3. Peregrinum omnibus omnino sensibus destitutum, omnibus ignotum, cujus sit Religionis, num Catholicus, vel Acatholicus, vel Judæus? habentem apud se signum aliquod Confessionis Catholicæ v. g. Rosarium: imo etiam nullum signum habentem: secus si certo constaret eum esse Achatolicum.

Nec absolute, nec conditionate

1. De quo constat duxisse vitam dissolutam, flagitiosam, sceleribusque plenam: quidquid alii in contrarium sentiant.

2. Destitutum omnibus omnino sensibus in actuali peccato, v. g. ebrietate perfecta, duello, fornicatione &c. *juxta probabiliorem*, cui favere videtur Benedictus XIV. *ibid. num.* 14. contra aliquos volentes talem sub conditione absolvendum.

3. Nolentem veniam dare, & reconciliari inimico.

4. Detrectantem dimittere occasionem proximam, vel concubinam e domo expellere.

II. Excitare, antequam absolvat moribundum omnibus sensibus destitutum, acclamando, ad actum doloris quem melius ipsemet cum compunctione & pausa recitabit, & desiderium absolutionis.

III. Injungere

Moridundo sensibus non destituto pro pœnitentia invocationem sanctissimi Nominis JESU, & MARIÆ; tunsionem pectoris: oblationem Deo præsentis infirmitatis, dolorum, impendentisque mortis, idque in unione dolorum Passionis, ac mortis Christi Domini.

Moribundo gravioribus peccatis obnoxio & onusto, graviorem pœnitentiam sub conditione reconvalescentiæ, & quidem sub præcepto.

IV. Non tamen iterare absolutionem diu agonizanti, nisi prudenter præsumatur iteratio confessionis sensibus, ac petitio saltem tacita absolutionis, & ideo suggerendum est infirmo, ut sæpius eliciat actus contritionis, & desiderium absolutionis præsertim in ultimo habitu percipiendæ.

Medici vocati ad infirmos

1. Tenentur sive per se, sive per alios eos admonere de confessione peragenda, *ex Concil. General. Lateran. relat. cap.* Cum infirmitas 13. *de Pœnit. & Remission. ac Constit. C. Pii V.* Supra gregem Dominicum *T.* 2. *Bull. Cherub. fol.* 8. §. 1. 2. 3.; dummodo morbus sit gravis, vel prudenter judicetur a Medico jam in principio esse periculum morale ut mortalis fiat: prout explicat Benedictus XIV. *Instit. Eccles.* 22. §. Illud.

2. Prohibentur per Constitutionem S. Pii V. visitare infirmos, si tertia die ab admonitione non fuerint confessi: intellige extra casum, quo ex desertione ejusdem, esset periculum vel moriendi, vel aggravandæ infirmitatis, uti interpretatur Benedictus XIV. *ibid.* §. *Alia*.

3. Peccant etiam contra juramentum id non præstantes, si in suscepta Doctoratus Laurea, se id præstituros juratent, uti præcipit S. Pius V.

TAB. CLXVI. *De modo procedendi cum condemnatis, vel condemnandis ad mortem.*

Confessarius vocatus ad disponendum condemnatum vel condemnandum ad mortem debet

I. Conciliare sibi ejus amorem, & confidentiam omni possibili modo captare verbis charitate ferventibus.

II. Excitare illum

1. Ad virtutes heroicas fortitudinis, patientiæ & resignationis in divinam voluntatem.
2. Ad concipiendum dolorem de peccato commisso in neganda veritate (ex supposito, quod confiteatur se crimen commissum, pleneque probatum coram judice negasse), & propositum fatendi veritatem, cum fuerit iterum judicialiter constitutus. Nequit tamen pœnitentem ad revocandum suum dictum adstringere, multoque minus ad fatendum crimen pro casu, quo hoc sit solummodo semiplene probatum, cum juxta vere probabilem in tali casu non teneatur Reus fateri veritatem, quando alias negando spes affulget evadendi vel mortem, vel morti equivalentem pœnam: super quo tamen nullatenus est instruendus a Confessario.
3. Ad faciendam retractationem, casu quo adverteret aliquem innocentem ab ipso tamquam complicem fuisse denunciatum.

III. Disponere

1. Jam condemnatum a judice per sententiam latam & publicatam, ad eam æquo animo suscipiendam, offerendo seipsum totum Domino, in unione illius oblationis sacrosanctæ, qua innocentissimus Agnus Dei Christus Jesus medius duorum latronum in patibulo Crucis Cælesti suo Patri se obtulit, confusione contempta.
2. Omni possibili modo & fervida eloquentia ad parcendum, casu quo ex confessione sacramentali adverteret in corde ipsius latere odium erga Judicem, vel accusatores, testes &c., exemplo Christi, qui doloribus afflictus, subsannationibus derisus, maledictis impetitus tanto charitatis affectu pro persecutoribus oravit: necnon exemplo aliorum Sanctorum pro persequentibus orantium.

IV. Cavere

1. Ne in se suscipiat supplicii remittendi vel relaxandi provinciam.
2. Ne ad confessionem faciendam eum inducat, saltem ordinarie, antequam sit judicialiter confessus; quia alias periculum foret, ne sub spe Confessarii in suam partem lucrandi & facilius evadendi, in confessione Sacramentali etiam crimen subticeat.
3. Ne, & super omnia, ipsum inani spe alicujus gratiæ impetrandæ, lactet.
4. Ne post latam sententiam judicem conveniat, etsi ex confessione adverteret eum alias condemnatum esse vere innocentem: partim quia communiter id fieret sine ullo effectu; partim, & vel maxime, quia si rei semel scirent Confessarium assumpturum pro illis patrocinium apud judicem, occasionem sumerent innocentiam insimulandi, & sua crimina, quamvis a parte rei commissa, in confessione sacramentali reticendi, ut sic facilius crederentur innocentes.

V. Stare pro auctoritate judicis habentis pro se præsumptionem, quod processerit secundum allegata, & probata; hincque maxime cavere, ne volenti, repellendæ, vel differendæ justæ sententiæ causa, contra ordinarium Judicem excipere & ad superiorem recurrere (nisi forte vere innocenter condemnatus suæ causæ revisionem peteret): neve contra Judices, aut custodem carceris, sive apud alios querelas moveat, vel cieat turbas. Ad summum judico pro casu veræ & non fucatis araumentis cognitæ innocentiæ, occulte & maxima cautela, absque quod reus id sciat, posse judicem convenire & rogare ut causam reassumeret denuo examinandam.

VI. Injungere eidem, peracta confessione, levem pœnitentiam, quam reus statim cum ipso Confessario, persolvat, eique inculcet, ut in supplementum sacramentalis satisfactionis offerat Deo residuos carceris squalores, timores, angores ante supplicium, dolores in supplicio subeundos, verecundiam, infamiam; imo ipsam mortem.

VII. Retrahere eum

1. A nimio cibo & potu, ne anima gravata minus apta reddatur ad bene impendenda omnia brevis adhuc vitæ momenta & virtutum exercitio sanctificanda: nam in certis locis solent lautiores mensæ talibus parari, qui nisi a nimia comestione & potatione retrahantur, facile excedunt ea persuasione quod illis amplius non licebit comedere & bibere.
2. A longiori & prolixo somno: ut plus temporis habeat ad conscientiam examinandam expurgandamque, provocandam per actus contritionis, Dei misericordiam & benevolentiam per actus amoris frequentatos; ad implorandam B. V. M. protectionem & assistentiam passuro, sicut astitit pro toto mundo patienti Filio.

VIII. Super omnia autem Reo bene inculcare illud D. Pauli: *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* ne dejiciatur animo propter infamiam, quia Reo ad Dei amorem excitato & ad perfectum dolorem, mors & supplicium non ad infamiam coram Cælitibus, sed ad gloriam reputabitur. Nam sicut mors naturalis, etsi sit stipendium originalis reatus eam cum supernaturali resignatione acceptantibus, non amplius stipendium peccati, sed dilectionis est martyrium; sic etiam mors violenta & in patibulo, etsi sit publica delictorum vindicta, acceptantibus eam tamquam juste sibi debitam, cum supernaturali resignatione, & profunda altissimorum Dei consiliorum adoratione, hæc tacita divinitatis & latissimi Dei dominii in vitam & mortem hominis & justissimæ ejus vindictæ & sanctitatis confessio, ipsum patibulum sanctificat, mortemque coram Deo glorificat: quia per hanc, ultimo suo fini per dilectionem unitur; sicque patibulum, quomodolibet opprobriosum, in die judicii, non infamiæ, sed subitæ in hoc mundo pro peccatis publicæ pœnitentiæ gloriosum erit trophæum, sicut Crux Latroni in fine vitæ converso.

IX. Ad hæc superaddere ferventem ad Deum orationem & meditationem: multo enim talibus assistens indiget & lumine superno, & charitatis ardore: *& in meditatione mea exardescet ignis.*

TAB CLXVII. *De Confessione invalida, et ejus Revalidatione.*

Confessio

- **I. Invalida dicitur, dum ipsi deest aliquod essentiale requisitum ad valorem: quod oriri potest vel ex parte**
  - * **Confessarii, ut si hic**
    1. Præditus non esset potestate Ordinis vel Jurisdictionis, aut hæc impedita fuisset per censuram.
    2. Formam absolutionis omisisset, aut substantialiter eam vitiasset, vel non intendisset pœnitentem absolvere.
    3. Nullum omnino peccatum intellexisset.
    4. Si adeo simplex fuisset, ut ignorasset discernere inter lepram & lepram, juxta aliquos: quamvis alii probabilius & verius doceant, quod hujusmodi ignorantia non obstet per se valori Sacramenti, nisi talis ignarus Confessarius data opera quæsitus fuisset; sed tunc defectus se teneret potius ex parte ipsius pœnitentis.
  - ** **Pœnitentis, ut si hic**
    1. Non habuisset sive culpabiliter sive inculpabiliter debitum dolorem ac propositum, juxta dicta in Tab. CLI.
    2. Mortaliter negligens fuisset in examinanda sua conscientia, ratione cujus omisisset, aut se exposuisset periculo non confitendi aliquod peccatum mortale.
    3. Scienter & malitiose tacuisset peccatum aliquod mortale, aut in re gravi ac necessaria mentitus fuisset, sive verum negando, sive falsum dicendo, juxta dicta in Tab. CLIII.
    4. In ipsa confessione peccatum aliquod mortale committeret.
- **II. Revalidanda quacumque ex parte fuerit invalida sequenti modo**
  1. Si ultima solum confessio fuit invalida, aut de ejus valore practice prudenter dubitetur, repetenda est tota.
  2. Si ex prioribus aliqua vel aliquæ fuissent invalidæ, aut de valore earum practice dubitetur, posteriores vero bona fide peractæ fuissent cum debitis requisitis; e. g. si in posterioribus, post diligens examen, peccati reticiti in antecedentibus, oblivisceretur inculpabiliter, priores solum invalidæ repetendæ sunt, non vero posteriores, utpote, quæ supposita bona fide & aliis requisitis fuerunt validæ.
  3. Si posteriores mala fide peractæ fuissent, prout contingeret, si cum advertentia invalidæ vel sacrilegæ confessionis antecedenter peractæ, quia, v. g. ex damnata verecundia aliquod peccatum reticuisset, aut malitiose non sincere expressisset, tam priores, quam posteriores repetendæ sunt; præsertim si posteriores peractæ fuissent cum advertentia ad novum sacrilegium ex reticentia secuturum ac propterea ad invaliditatem earum.
  4. Si repetitio fiat apud Confessarium, cui ordinarie solet confiteri, & hic haberet saltem confusam memoriam peccatorum sibi antecedenter confessorum, non opus esset denuo omnia omnino peccata sigillatim exponere, sed sufficeret in compendio, generatim de omnibus sese accusare, dicendo, v. g. me accuso de omnibus peccatis Reverentiæ Vestræ confessis a prima confessione invalida vel sacrilega ante decem vel viginti annos peracta.
  5. Si repetitio fiat apud alium Confessarium, in tali casu omnes confessiones mala fide peractæ repetendæ sunt, & hinc a Confessario interrogandus talis pœnitens, 1. a quot annis in prima confessione peccatum illud reticuerit, si defectus consisteret in reticentia malitiosa peccati, uti plerumque contingit, 2. quoties circiter circa hoc tempus confessus fuerit & communicaverit, inculcando ei quod toties quoties duplex sacrilegium commiserit, ac ostendendo quod omnes præteritæ confessiones fuerint invalidæ & nullæ.

  N. B. *In his ultimis casibus optimum erit inducere pœnitentem ad Confessionem generalem, cui præmittenda veniunt, ad dubia & scrupulos præcidendos, illa peccata, & sacrilegia in numero & specie, quæ fuerunt reticita, & causa principalis Confessionis generalis faciendæ.*

TAB. CLXVIII. *De satisfactione sacramenti, seu Pœnitentia a Confessariis injungenda Pœnitentibus.*

Satisfactio sacramentalis est *executio pœnitentiæ a Confessario injunctæ ob peccata legitime confessa ad compensandam pœnam temporalem pro peccatis debitam*, quæ a Confessario injungi debet

I. Non solum vindicativa ordinata ad tollendam pœnam temporalem debitam peccatis, sed & medicinalis ordinata ad præservationem relapsuum, cum Confessarius agat non solum Judicem, sed & Medicum, *ex Tridentino Sess.* 14. *cap.* 8.

II. Pro vindicativa injungi debent opera honesta & moraliter bona, & quidem, quæ sint incommoda & molesta corpori in hoc statu naturæ corruptæ, quæ generatim ex Benedicto XIV. *Constit. quæ incip.* Ex quo primum, *Tom.* 4. *Bull. ejusd. fol.* 226. *edit. Venet.* §. 48., reducuntur ad tria, nempe Orationem, Jejunium & Eleemosynam: quod si injunget celebrationem Missarum, non debet eas in se suscipere celebrandas, ne inde aliqua suboriatur avaritiæ suspicio, ut recte advertit Benedictus XIV. *Syn. Diœc. lib.* 10. *cap.* 9. *n.* 2., qui pariter advertit, ne sola eleemosyna pro pœnitentia præscribatur, sed simul orationes atque aliæ pœnæ corporis afflictivæ.

III. Limitata ad opus externum, ad quod aliunde pœnitens obligatur, v. g. auditio sacri die festivo, in quo casu omittens tale opus duo peccata specie distincta committeret, unum contra præceptum Ecclesiæ, aliud contra obligationem ortam ex hoc Sacramento; ordinarie tamen & seclusa causa non debent injungi opera aliunde debita, sed supererogatoria.

IV. Et potest consistere in actibus mere internis, ut meditatio, qui fient sensibiles quatenus a Confessario injunguntur, & a pœnitentibus acceptantur.

V. Omnibus sub præcepto & non tantum sub consilio, saltem quoad totam, licet quoad partem, attentis circumstantiis, injungi possit solum sub consilio.

VI. Sub mortali, non solum si confessio sit mortalium, sed etiam si sit venialium, aut mortalium jam confessorum, *juxta probabiliorem;* ne Sacramentum mutilum & imperfectum relinquatur; quidquid aliqui excusent a mortali Confessarium nullam injungentem pœnitentiam confessis solum venialia vel mortalia jam confessa; excipe casum moribundi, juxta dicta in Tab. CLXV., & infra dicenda.

VII. Omnibus proportionatas peccatis & statui, seu dispositioni pœnitentis, *ex Tridentino ibid.*, & ideo

VIII. Pro gravioribus peccatis ordinarie injungi debet gravis, qualis modernis temporibus censetur jejunium, auditio Missæ, gestatio cilicii, flagellatio, recitatio Rosarii vel Psalmorum Pœnitentialium: quod si absque justa causa levissima pro gravibus peccatis injungatur, est peccatum mortale, *pro quo vide ad calcem Tab. seq.* B.

IX. Pro levioribus seu venialibus, ordinarie levis injungi debet, qualis censetur recitatio unius, alteriusve psalmi, quinque Pater & Ave &c.

X. Etiam Pœnitenti, qui post absolutionem datam redit ad confessionale subjiciens novum aliquod peccatum mortale, in quo tamen casu potest levis aliqua injungi, vel prior nondum executa expresse extendi ad posteriorem confessionem.

XI. Etiam moribundis, respectu quorum proportionata erit invocatio SS. Nominis Jesu & Mariæ, tunsio pectoris, oblatio infirmitatis ac dolorum Deo; ob graviora exposita peccata prudentia dictet & aliam graviorem sub conditione reconvalescentiæ injungendam.

XII. Pro publicis publica; secus vero pro occultis: imo pro his nec talis, quæ posset præbere occasionem violentis ac sinistris suspicionibus.

XIII. Ordinarie ante absolutionem, licet injuncta etiam post absolutionem non vitiet actum.

XIV. Et injuncta a Confessario, quæ & sacramentalis dicitur, in re exhibita habet rationem partis integralis sacramenti, nactaque remittere pœnam temporalem debitam peccatis, & quidem ex opere operato, seu ex institutione Christi.

XV. Quæ mitigari debet aut potest dum

- Prævidetur prudenter, quod gravitate sua sit vel causatura in Pœnitente horrorem confessionis retrahentem ipsum a frequentiori & utili confessione, vel ab eo non implenda: in quo tamen casu præmitti debet admonitio, quod longe major pro talibus peccatis deberetur.
- Occurrit indulgentiarum tempus, aliqua tamen injungenda est saltem opera pro indulgentiis acquirendis præscripta, exemplo Urbani VIII., *ut refert Glossa in Extrav.* Antiquorum *S. de Pœnit. & Remiss.* dum concesserat jubilæum.
- Cum magno & extraordinario dolore peccata confitetur, exemplo Clementis VIII., qui mulieri propter incestum a se commissum & publice confessum, injunxerat Pater & Ave.
- Pœnitens solitus est multa bona præstare, in quo casu reflexe dicenda sunt illa verba: *quidquid boni feceris &c.*, ac si auctoritative prolata essent, & vi illius reflexæ prolationis opera sequentia bona elevantur ad vim satisfactoriam ex opere operato, juxta plures Doctores.
- Injungitur Pœnitenti aliqua obligatio, v. g. restituendi, reconciliandi, vitandi occasiones &c.
- Confessarius vult in se suscipere onus satisfaciendi ad exemplum S. Francisci Xaxerii, de quo legitur quod quam sceleratissimo militi per quindecim annos non confesso, tantum Pater & Ave injunxerit, reliquum in se susceperit persolvendum.

XVI. Et quidem pro medicinali præscribi possunt omnibus (exceptis plebeis & idiotis) piæ meditationes Passionis Dominicæ, æternitatis, vitæ brevitatis, Sanctorum librorum lectiones, quotidianum conscientiæ examen, actus amoris Dei, & contritionis, exercitia, confessionis frequentia sub pio doctoque Confessario, propositorum in dies singulos innovatio, jaculatoriæ preces, & id genus similia.

XVII. Et pro qua nequit Confessarius pro peccatis licet gravioribus, injungere pœnitentias, quæ in primitiva Ecclesia imponebantur quibusdam peccatis per canones Pœnitentiales insertos Juri Canonico post Gratiani decretum, utpote jam a multis sæculis sublatos; recommendatur tamen Confessariis eorum notitia, & frequens lectio a Benedicto XIV. *Syn. Diœc. lib.* 11. *in ins. cap. tit.*, ut data occasione possint pœnitentibus insinuare, quæ pœnitentiæ olim injungebantur peccatis, de quibus nunc pœnitentes se accusant.

TAB. CLXIX. *De Poenitentia acceptanda, et exequenda a Poenitente.*

Pœnitentia Sacramentalis a Confessario injuncta

I. Debet

1. Acceptari a quovis pœnitente, & acceptata impleri si sit rationabilis: quod si pœnitens sentiret se nimis gravatum, posset Confessarium rogare ut mitiorem, & sibi magis convenientem injungat, cui annuendum est ex Tridentini textu, *Sess.* 14. *cap.* 8. (*A*)

2. Impleri
   1. Tempore præfixo a Confessario: ultra quod diu, judicio prudentis, differens sine rationabili causa, peccat mortaliter: secus vero si ad breve tempus. Hinc obligatus singulis mensibus confiteri & communicare, si ad octo dies post mensem differat, non videtur peccare mortaliter.
   2. Quamprimum moraliter fieri potest, si nullum tempus sit præfixum, cujus culpabilis dilatio ad mensem non videtur excedere culpam venialem, bene vero diuturnior.
   3. Sub peccato mortali, si sit rationabilis & gravis, pro peccatis videlicet gravibus injuncta.
   4. Sub peccato veniali, si sit levis, licet pro peccatis gravibus.
   5. Cum omnibus circumstantiis adjectis, & quidem sub mortali, si circumstantiæ illæ sint graves, ut jejunium in pane & aqua.
   6. Non tamen ante, si sit vindicativa, sed post absolutionem, qua conficitur Sacramentum; alias non haberet suum effectum *ex opere operato:* bene vero si sit medicinalis injuncta a Confessario ad explorandam, probandamque propositi constantiam; uti quandoque fit cum constitutis in occasione proxima, consuetudinariis, recidivis &c. *Vide propos. ab Innoc. XI. damnatam die* 7. *Decemb.* 1690. *

II. Si non potest

pleri
   1. Integre & totaliter ob superveniens impedimentum, tenetur ad partem sibi possibilem, si sit divisibilis.
   2. Ob superveniens impedimentum, vel ob naturalem oblivionem, licet culpabilem, expedit ut accedat Confessarium, & ab eo petat vel commutationem, vel repetitionem ejusdem, in quo casu si ab eodem Confessario petat, qui etiamnum confusam notitiam habet prioris confessionis, non obligatur; si vero Confessarius fuisset totaliter ejusdem oblitus, vel ab alio Confessario id peteret, obligaretur ad repetendam confessionem.

III. commutari

1. Potest injuncta pro peccatis reservatis etiam a non habente potestatem in reservata, juxta probabiliorem, quidquid aliqui in contrarium sentiant, quia eorum reservatio per primam absolutionem jam fuit sublata.

2. Non potest
   1. Extra Sacramentum pœnitentiæ, juxta probabiliorem, quia extra confessionem subrogari non potest pœnitentia, quæ sit sacramentalis, & ex opere operato remittat pœnas pro peccatis debitas, sitque per consequens pars integralis Sacramenti, cum tale sit solum *ex opere operato*.
   2. Propria auctoritate, neque in melius, saltem extra casum oblivionis, vel moralis impossibilitatis, ob probabilem opinionem asserentium in his duobus casibus non adesse obligationem aliam substituendi.

IV. Non tollit totam pœnam temporalem, eo quod nullus Confessarius injungat, vel injungere possit sine errore clavium pro peccatis gravioribus multiplicatis pœnitentiam ipsis adæquate correspondentem, seu tantam, quanta requiritur ad satisfaciendum pro tota pœna.

V. Tollit solum partem pœnæ peccatis debitæ, majorem, vel minorem; non solum pro majori, vel minori pœnitentia injuncta; sed etiam pro majori vel minori dispositione & fervore, quo impletur a pœnitente.

VI. Impleta in statu peccati mortalis inducit peccatum veniale, nec suum consequitur effectum, remissionem scilicet pœnæ temporalis: bene vero sublato per pœnitentiam obice, juxta plures.

(A) Cum superiori Tabula CLXVIII. num. VII. dicitur: Confessarium debere injungere pœnitentias proportionatas peccatis, statui, seu dispositioni pœnitentis, & num. VIII. sub mortali culpa eum debere pro gravioribus imponere gravem: superius autem 1. I. dicatur *si sit rationabilis*, debereque annuere ex Tridentini textu pœnitenti petenti minorem, nequaquam intelligas semper parendum, vel judicio pœnitentium relinquendam discretionem pœnitentiæ: nam si delicatulas & molles personas, quæ nihil sciunt corpori subtrahere, interroges, quidquid corpori est molestum, indiscretum recitabunt: hinc si injunxeris talibus, assuetis curru vehi, visitare Ecclesiam nonnihil sed discrete distam pedibus, vel flexis genibus partem Rosarii recitare, vel integram Missam audire, videbitur iis Jansenisticus rigor. Sed tu confer statim, quæ illis irrationabilia & indiscreta ad satisfaciendum pro peccatis videntur, cum longissimis deambulationibus per hortos, vineas, topiaria cum suis amasiis (ubi passim præparatur per frequentissimos lapsus & relapsus materia confessionis remota), ad effugiendos vel domesticorum, vel conversantium oculos: ubi debilitas nulla sentitur, etsi defatigatæ sæpius revertantur. Hoc Confessario pro exemplo; frequens enim est in petitione commutationis pœnitentiæ iniquitatem sibi mentiri. Non igitur semper judico parendum, attamen magna cum circumspectione & discretione procedendum.

(B) Non Discretio, sed abusus auctoritatis dicendus eorum, qui pro gravissimis & subinde centuplicatis peccatis levissimas imponunt pœnitentias, ea persuasione ducti, melius esse cum parva pœnitentia mittere ad purgatorium, quam cum magna ad infernum: Confessarii quippe sunt *Ministri* solum, & *Dispensatores mysteriorum Dei*, inter quos *quæritur*, ait Apostolus, *ut fidelis quis inveniatur*, qui limites dispensationis non excedat, & in despotismum ministeriale non effundatur. Ecclesia divinæ voluntatis interpres, & Sacramentorum depositaria in SS. Tridentina Synodo in Spiritu Sancto congregata pro gravitate peccatorum proportionatas peccatis præcipit dictari pœnitentias. Hæc Confessariorum regula, non quorumdam Casuistarum placita. Unde illa rigoris, & indulgentiæ disparitas, ut incomptis & rudibus pro aliquibus mortalibus peccatis graves pœnitentias imponant, & e converso delicatulis mundanis nobilioribus onustis subinde fœdissimis peccatis, nec quid reprehendant inveniunt, nec quid dictent pro pœnitentia? Quinque Pater & Ave. En commensuratam peccatis pœnitentiam. Mirumne igitur, si vulgares per gravem pœnitentiam deterritæ a relapsu retrahuntur: hæ vero liberius effusæ fiant societati in offensionem & scandalum?

* P. D. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi Lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.*

TAB. CLXX. *De Indulgentiis, earumque Divisione.*

Indulgentia, quæ est *relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis, quoad culpam jam remissis, debitæ, per applicationem Thesauri Ecclesiæ*

I. Dividitur in

1. Localem, quæ alicui loco, Templo, Altari conceditur in ordine tamen ad personas in tali loco orantes, aut alia opera peragentes.

2. Realem, quæ conceditur rebus mobilibus v. g. granis, numismatibus, crucibus, imaginibus, rosariis, aut hujusmodi in ordine ad homines, quæ quidem secum habere, non tamen manibus gestare tenentur; quæ si sint alterius non prosunt aliis, imo aliis ad usum concedendo Rosaria Birgittina, amittunt indulgentias, *ex Alexandro VII.*, *Innocentio XII.*, *& Clemente XI. die* 4. *Decembris* 1714., qui sub pœna nullitatis prohibuit ne coronæ Birgittinæ vendantur, vel aliis commodentur: *vid. Luc. Ferraris verb.* Indulgentia *art.* 1. *n.* 20., non tamen amittunt fractione funiculi, vel deperditione aliquorum granorum, pro quibus alia substituuntur.

3. Personalem, quæ directe conceditur alicui personæ determinatæ, vel toti Religioni, aut communitati.

4. Partialem, qua solum pars pœnæ temporalis remittitur, quæ subdividitur in
   1. Septenam, seu septem annorum, per quam intelligitur relaxatio tantæ pœnæ, quanta remitteretur, si peragerettur pœnitentia septem annorum olim per sacros canones sancitæ, jejunando videlicet singulis sextis feriis, vel ter in hebdomada.
   2. Quadragenam, seu quadraginta dierum, per quam intelligitur relaxatio tantæ pœnæ, quanta remitteretur, si quis perageret pœnitentiam quadraginta dierum jejunii ordinarii.
   3. Carenam, per quam intelligitur relaxatio tantæ pœnæ, quanta remitteretur si quis perageret pœnitentiam quadraginta dierum jejunii in pane, & aqua.
   4. Mille, vel plurium annorum, per quam intelligitur relaxatio tantæ pœnæ, quanta remitteretur, si quis perageret pœnitentiam debitam, secundum rigorem canonum pœnitentialium pro tot peccatis mortalibus, ut singulis corresponderent septem anni pœnitentiæ.

   * Ex quo sequitur quod per indulgentias partiales non significetur quod totidem dies vel anni purgatorii remittantur.

5. Plenariam, per quam tota pœna temporalis debita pro peccatis, quoad culpam remissis, tollitur, quarum omnium prima fuit concessa ab Urbano II. anno 1096. iis qui Religionis causa ad recuperandam terram sanctam militaturi se contulissent, *ex Bened. XIV. Syn. Diœc. lib.* 13. *cap.* 18. *n.* 6. *& Const.* Celebrationem, *tom.* 3. *Bull. ejusd. fol.* 154. §. 14. *edit. Venet.*

II. Non remittit culpam nec quidem venialem, sed solum pœnam temporalem debitam peccatis, quoad culpam jam remissis, vel totam, vel partem ex opere operato, *ex Benedicto XIV. Syn. Diœc. loc. cit. num.* 2.

III. Remittit pœnam temporalem per applicationem thesauri Ecclesiæ, quo nomine veniunt merita & satisfactiones tum Christi, tum sanctorum superabundantes in mente divina existens usque dum aliis indigentibus Ecclesiæ membris opportune communicentur, prout communicantur per Indulgentias.

IV. Plenaria

1. Concessa visitantibus aliquam Ecclesiam sine affixione diei, uti censetur concessa his, & similibus terminis: *quicumque visitaverit Ecclesiam N. quocumque anni tempore &c.*, toties quoties, interruptis tamen moraliter vicibus, visitatur talis Ecclesia, ac reliqua præscripta peraguntur, lucratur. Hinc Indulgentia, dicta Portiunculæ, concessa Ecclesiæ Postiunculæ, seu Sanctæ Mariæ Angelorum prope Assisium ab Innocentio XII., toties quoties acquiri potest.

2. Affixa diei, qualis censetur, quæ conceditur his, vel similibus terminis: *quicumque visitaverit Ecclesiam N. a vesperis diei talis, usque ad occasum sequentis diei*, non nisi semel acquiri potest, *ex Decreto Innocentii XI.*, *apud Bened. XIV. in sua Constit. quæ incipit* Præteritos, *tom.* 3. *fol.* 98. *edit. Ven.* §. 84., & hinc Indulgentia Portiunculæ concessa aliis Ecclesiis Fratrum Minorum, extra Ecclesiam Portiunculæ, nonnisi semel acquiri potest, quidquid aliqui velint, toties quoties acquiri posse, quibus non favet Rescriptum replicatum Sacræ Congregationis *servetur solitum*, quia his verbis voluit Sacra Congregatio servari, quod ad indulgentiam Portiunculæ, de qua fuit propositum dubium a Celsissimo Episcopo Latacensi, servandum esse circa indulgentias affixas diei quod declaravit Innocentius XI., *de Apocryphis indulgentiis die* 3. *Martii* 1678., & non quod solitum erat practicari a Plebe, *S. Congreg. die* 17. *Jul.* 1700., *& die* 4. *Decembr.* 1723. *apud nostrum Combinatorem Bullarum, Tom.* 7. 350.

3. Quæ non absolvit Confessarium ab obligatione imponendi pœnitentibus Pœnitentiam Sacramentalem tum ob reverentiam Sacramenti, tum quia raro admodum acquiritur Indulgentia Plenaria.

4. Ut acquiratur, requiritur immunitas ab omni culpa veniali; quod si quis affectum haberet ad aliquod veniale, non acquireret plenariam, imo juxta plures nec partialem, vi concessionis Indulgentiæ Plenariæ.

V. Concedi potest tam pro vivis, quam pro defunctis, sed illis per modum judicii & absolutionis, defunctis vero solum per modum suffragii & solutionis, scilicet accipiendo ex thesauro Ecclesiæ satisfactionem, qua defuncti indigent, eamque viventibus tradendo, ut supremo Deo offerant, quod Deus pro sua benignitate acceptans, pœnas debitas immediate remittit.

VI. Non omnis Indulgentia prodest defunctis, sed solum illa quæ a Summo Pontifice conceditur cum potestate eam defunctis applicandi, *ex D. Thoma*, quæ cum primario ac directe concedatur vivis, si quis eas sibi applicet, nequit applicare defunctis, *in supplem. quæst.* 71. *art.* 10.

VII. Concessa

1. Cum facultate eam applicandi pro defunctis juxta aliquos habet suum effectum ex liberali Dei benignitate & misericordia, adeoque non infallibiliter; alii tamen volunt, quod sive pro vivis, sive pro defunctis concessa, justa de causa prosit infallibiliter, explicantes illa verba: *quodcumque solveris super terram &c.* hoc modo: *quamcumque solutionem in terris præstiteris sive viventium, sive defunctorum, rata erit in cœlis.*

2. In forma jubilæi, quæ olim solebat concedi ad indicandum majorem affectum concedentis, & motivum concedendi, abrogata fuit a Clemente VIII. *teste Benedicto XIV.*

TAB. CLXXI. *De Requisitis ad concedendas, et acquirendas Indulgentias.*

Requisita ad concedendas, & acquirendas indulgentias

I. Potestas in dispensante, quæ reperitur in

1. Summo Pontifice, qui tanquam Vicarius Christi potest potestate accepta a Christo Domino illis verbis: *quodcumque solveris super terram &c.* dispensare tum Plenarias, tum Partiales, tam pro vivis, quam pro defunctis; sede tamen vacante, nequit concilium, etiamnum Generale, concedere Indulgentias *juxta probabiliorem*.

2. Nuncio Apostolico, qui in tota Provincia suæ Legationis potest pro quocumque pio opere concedere partiales, centum vel plurium dierum, semper tamen minus, quam annum, pro Templo vero vel Capella septem annorum & septem quadragenarum.

3 Archiepiscopo pro tota Archidiœcesi, etiam extra tempus Visitationis, qui tamen non potest plus quam Episcopus, nequit tamen extra suam Provinciam concedere Indulgentias sibi non subditis, bene vero suis subditis.

4. Episcopo de jure communi, quæ tamen non se extendit nisi ad diem Dedicationis Ecclesiæ, pro qua potest concedere partiales unius anni & ad Anniversarium Dedicationis, & aliis casibus, in quibus potest solum concedere partiales 40. dierum.

5. Generalibus & Provincialibus Ordinum Mendicantium in visitationibus ex delegatione summorum Pontificum.

6. Capitulo, aut Vicario Capitulari Sede Episcopali Vacante non competit facultas concedendi indulgentias, *ex Benedicto XIV. in Syn. Diœc. lib. 2. c. 9.*

* Potestas dispensandi indulgentias pertinet ad facultatem jurisdictionis, quæ non nisi in subditos exerceri potest, delegari tamen potest aliis.

II. Executio operum injunctorum, qualia sunt

1. Confessio actualis quæ necessario requiritur non solum ex suppositione, quod volens lucrari Indulgentias sit in statu peccati, sed etiam respectu aliorum, qui non sunt conscii alicujus peccati mortalis, *ex Benedicto XIV. in sua Constit.* Inter præteritos. *Tom. 3. fol.* 98. §. 5. 6. *&* 7. *Bull. ejusd. edit. Ven., & Clemente XIII.:* si tamen quis solitus esset confiteri qualibet hebdomada, legitime non impeditus, vi talis confessionis posset, existens alias in statu gratiæ, acquirere Indulgentias, *ex eodem Clemente XIII.* Confessio autem hæc etiam pridie fieri potest, *ex Clemente XII.*, cujus tamen declaratio non extenditur ad Indulgentias tempore Jubilæi concessas, *ex Rescripto Sacræ Congregationis de anno* 1763. 9. *Decemb.*

2. Communio, quæ saltem pridie ad concessas indulgentias fieri debet, *ex Clemente XIII. Tom.* 1. *Bull. Capuc. fol.* 219., non tamen necessario peragi debet in Ecclesia, in qua concessæ sunt indulgentiæ, excepta communione generali.

3. Visitatio Ecclesiæ, in qua sunt indulgentiæ; in jubilæo omnes assignatæ visitari debent, & quidem eadem die, nisi aliter disponatur, vel fiat commutatio, quæ tamen esse debet in opus aliud æquivalens, alias non alio titulo debitum, *ex Benedicto XIV. loc. cit.* §. 75.

4. Oratio septem, vel quinque Pater & Ave, (nisi determinata in breve assignetur) quæ debet fieri in Ecclesia, in qua lucrandæ sunt indulgentiæ, etiam pridie, & ante præmissam confessionem & communionem, ad intentionem Ecclesiæ, & quidem cum debita attentione.

5. Jejunium tempore Jubilæi diebus præscriptis, scilicet Mercurii, Veneris, & Sabbati, quod peragi debet intra eamdem hebdomadam, more tamen solito, a quo nullus omnino eximitur, nisi physice, vel moraliter impotens per commutationem in opus æquivalens factam a Confessario intra, vel extra confessionem.

6. Eleemosyna corporalis tempore jubilæi, sub quo nomine veniunt omnia septem opera misericordiæ corporalis, de quibus in Tab. XXII., quæ tamen fieri debet pauperibus. Nihil omnino possidentes petere debent commutationem, si non necessitatis, saltem securitatis gratia.

N. B. *Præter opera præscripta non requiritur ad lucrandas indulgentias, ut exerceantur etiam alia opera pœnalia & laboriosa*, ex Benedicto XIV. lib. Instit. Eccles. Instit. 52. §. Hujus, *quidquid aliqui velint exigi.*

2. *Non valens tempore Jubilæi opera præscripta peragere, potest a Confessario petere commutationem in aliud pium opus æquivalens, nam ordinarie solet in jubilæis concedi Confessariis potestas commutandi jejunium, eleemosynam, & visitationes, imo sub Benedicto XIV. facta fuerat potestas commutandi communionem respectu puerorum, qui nondum ad primam communionem admissi erant.*

3. *In executione operum præscriptorum non est necesse, ut servetur ordo, qui servatur in Bulla requirente talia opera: & hinc visitatio Ecclesiæ, quæ alias consulendum, ut fiat ultimo loco, prout ponitur in Indulto: potest tamen absolute præmitti ad confessionem & communionem*, ex Benedicto XIV. 5. in relat. Constit. loc. & §. cit., Clemente XIII. die 19. Maji an. 1059.

III. Intentio opera præscripta præstandi in ordine ad lucrandas Indulgentias, saltem interpretativa & habitualis quamvis consulenda sit actualis, vel virtualis: & si concessa sit cum potestate eam applicandi defunctis, debet expresse haberi talis intentio.

IV. Status gratiæ procuratus vel per confessionem, vel, hac semel peracta, per contritionem, qui tamen non est necesse, ut in Jubilæo præcedat omnia opera præscripta, sed sufficit, ut ultimum opus peragatur in statu gratiæ, *ex Benedicto XIV.:* & quamvis aliqui velint requiri statum gratiæ non minus pro acquirendis indulgentiis concessis cum facultate eas applicandi defunctis, alii tamen negant requiri.

N. B. *Semel tantum potest quis intra tempus concessum lucrari Jubilæum, præsertim quoad indulgentias, imo juxta probabiliorem cui adhæsit Benedictus XIV. concedendo Jubilæum, etiam quoad alios favores, scilicet absolutionem a reservatis, ac commutationem votorum, quæ tempore Jubilæi fieri potest etiam sine justa causa, & extra confessionem, etiam ab eo, cui quis non cogitat confiteri, quamvis hoc ultimum ab aliis negetur.*

2. *Tam absolutio a peccatis, & censuris, quam commutatio votorum tempore Jubilæi fieri potest ante omnia alia opera, & facta tenet, dummodo pœnitens habuerit animum cætera præscripta pro Jubilæo lucrando exequendi, quamvis postea ex negligentia, seu pigritia cætera non adimpleat*, ex Benedicto XIV. in sua Constit. quæ incip. *Benedictus Deus*, Tom. 5. fol. 119. edit. Roman. §. 6.

TAB. CLXXII. *De Sigillo Sacramentali, ejusque Obligatione, et Violatione:*

Sigillum Sacramentale, seu obligatio servandi sub secreto audita in Confessione Sacramentali

I. Oritur ex jure

1. Naturali; cum recta ratio dictet servandum esse secretum sibi commissum.
2. Divino positivo; nam Christus, dando fidelibus præceptum de confitendis peccatis etiam mere internis, dedit etiam Confessariis implicitum præceptum de servando Sacramenti sigillo. *Ex constanti Ecclesiæ traditione.*
3. Humano, revelationem, vel fractionem sigilli prohibente sub pœna depositionis a munere Sacerdotali, perpetuæque pœnitentiæ in arcto monasterio, vel perpetuo carcere.
4. Ex sola confessione Sacramentali, seu facta in ordine ad obtinendam absolutionem, etiam incompleta; secus si fieret sollicitandi causa Confessarii ad turpia.

II. Urget pro omni casu excogitabili

1. Confessarium ipsum, sive verum, sive fictum excipientem Confessionem Sacramentalem: si tamen scienter facta fuisset Clerico, vel Laico, hic non obligaretur ad sigillum sacramentale.
2. Audientes, vel ab ipso Confessario, seu concilium, seu facultatem absolvendi a reservatis, petente, juxta probabiliorem; vel a Pœnitente actu confitente peccata sua, sive casualiter, sive ex industria, sive mediate, sive immediate; item interpretes pœnitentium.
3. Legentes ex charta tempore, quo vel pœnitens peccata perlegit Confessario, vel Confessarius ex eadem sibi a pœnitente porrecta; secus extra hos casus, ut si quis eam chartam inveniret; excipe si nomen esset appositum.

N. B. *Pœnitens ad nullum sigillum Sacramentale tenetur: tenetur tamen sub sigillo naturali servare ea quæ sibi sub secreto a Confessario dicuntur; sicut & defectus ipsius Confessarii, nisi aliter exigeret vel bonum privatum, vel casus sollicitationis.*

III. Involvit omnia quæ nacta sunt reddere confessionem odiosam, & vel ideo subsunt eidem

1. Peccata mortalia omnia tam in genere, quam in specie, licet publica, per confessionem hausta; item
2. Peccata venialia omnia in specie, secus vero in genere, dicendo, e. g. eum sibi peccatum veniale fuisse confessum, quod suapte natura confessio connotat; nam aliunde persuasum, quod opera bona non sit confessus.
3. Complices in iisdem peccatis cogniti per confessionem sibi factam, juxta dicta in Tab. CLV.
4. Pœnitentia præsertim gravis, quæ sit signum culpæ lethalis sibi confessæ.
5. Negatio absolutionis, extra casum quo adderetur ex eo quia non habeat materiam absolutionis, in praxi vero caveto.
6. Defectus naturales, vel morales, reddentes pœnitentem odiosum, ex sola confessione cogniti.
7. Qualitates indifferentes, si a pœnitente manifestentur sub obligatione silentii.
8. Virtutes, Gratiæ, ac Dona sive naturalia, sive supernaturalia, sub eadem conditione in confessione expositæ.
9. Scrupuli, juxta aliquos, secus juxta alios, utpote signum timoratæ conscientiæ.

* Directe, cum expresse manifestantur audita in actu Sacramentalis Confessionis, quæ cadunt sub sigillo, nisi eorum notitia etiam extra confessionem habeatur, sive ante, sive post; aut fiat de licentia libere, sponte, ac expresse a pœnitente data.

IV. Violatur

* Indirecte sive verbis, sive signis deducentibus alterum ad cognitionem peccati confessi: uti contingeret

1. Utendo notitia, ex sola confessione comparata, cum aliquo pœnitentis gravamine.
2. Recusando, vocatus, accedere ad confessionale, vel domum in ordine ad excipiendam confessionem pœnitentis, quem ex confessione scit non velle tollere occasionem peccati.
3. Injungendo pro occultis publicam pœnitentiam; aut dicendo, se huic, vel illi in particulari, vel magnam dictasse pœnitentiam, vel denegasse absolutionem.
4. Negando schedam non absoluto, si publice petit, vel aliis dare solet.
5. Negando Euchatistiam, vel aliud Sacramentum publice petitum ob indispositionem ex sola Sacramenti confessione cognitam; imo etiam occulte petitam, *juxta probabiliorem.*
6. Concipiendo aversionem erga pœnitentem sibi confessum, aut ea de causa severiorem vultum ei ostendendo, aut minus polite eum alloquendo.
7. Manifestando tertio Confessario illius pœnitentem ordinarium sibi, vel alteri clam fuisse confessum.
8. Laudando e. g. *Cajum*, & tacendo de *Titio*, vel aliis, si fiat cum relatione ad hunc vel alios.
9. Loquendo extra confessionem cum pœnitente de auditis in confessione sine licentia, & quidem expressa ipsius pœnitentis. *Ex Bened. XIV. in Syn. Diœc. l. 7. c. 11. n. 16.* Per hoc tamen non negatur posse loqui cum pœnitente, etiam non petita licentia, post absolutionem datam, adhuc existente in confessionali, de auditis in confessione, interrogando eum e. g. de specie, & numero peccatorum, si prius fuisset oblitus; imo juxta alios, etiam in subsequa confessione potest loqui cum pœnitente de auditis ab eo in præcedenti; quamvis consultius sit petere licentiam.
10. Loquendo cum aliis de auditis in confessione etiam consilii gratia, dum ex tali locutione audientes possent venire in cognitionem peccatoris; secus si ita circumspectus sit, ut absit omne periculum dignoscendi reum talis delicti.
11. Utendo notitia confessionis de licentia pœnitentis injuste extorta, imo & data ad instantiam Confessarii, cum plerumque detur ex metu reverentiali.
12. Utendo ea ad externam gubernationem subditorum per actus ingratos & molestos, saltem immediate versantes circa ipsas personas confessas, his licet non advertentibus, *ex Clem. VIII. & Innocent. XI. an.* 1682. Potest tamen uti notitia confessionis, tum ad propriam sui personalem directionem & instructionem, tum ad utilitatem pœnitentis, si id fieri possit absque alio ejusdem gravamine.
13. Corrigendo complicem ex notitia accepta per confessionem alterius, præsertim si id fiat sine licentia pœnitentis sponte & libere data. Imo rectius faciet Confessarius si neque de ejus licentia in confessione obtenta id faciat. Ubi tamen urgeat rationabilis id præstandi causa, & pœnitens ipse instaret, in tali casu consulunt Doctores ut Confessarius inducat pœnitentem ad rem & causam sibi extra Sacramentum aperiendam.

N. B. *Violans Sigillum Sacramentale peccat mortaliter duplici peccato, uno opposito justitiæ, ratione contractus, & pacti mutui inter Pœnitentem, & Confessarium, nec non damni secuti ex iniqua revelatione, ad cujus proinde compensationem tenetur; alio opposito Religioni, ratione irreverentiæ Sacramento irrogatæ. Et licet respectu malitiæ justitiæ oppositæ possit esse solum veniale, si videlicet reveletur aliquid leviter lædens famam proximi: respectu tamen malitiæ Religionis oppositæ, supposita sufficienti advertentia non admittit materiæ parvitatem.*

TAB. CLXXIII. *De Institutione, Ministro, Subjecto, et Necessitate suscipiendi Sacramentum Extremae Unctionis.*

Extrema unctio est *Sacramentum Novae Legis, quo partes corporis infirmi inunguntur oleo benedicto sub praescripta verborum forma,* cujus

I. Institutio facta est a Christo Domino, saltem completive, post resurrectionem, & quidem illis verbis, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, cum nacta sit remittere peccata, ex dicendis in sequenti Tabula.

II. Minister

1. Sacerdos quivis valide administrat; secus vero, non Sacerdos, ne quidem ex commissione Summi Pontificis.

2. Parochus solus (a fortiori Episcopus) licite administrat, qui ex justitia tenetur suis subditis, praesertim petentibus, administrare, antequam sensibus destituantur; & hinc ut evitetur periculum tarde ipsum administrandi, consultum est ut quoties Viaticum infirmo administratur, statim ei administretur etiam extrema unctio, cum aliunde in Ecclesia Latina hodie conferri debeat postquam infirmus sacramenta Poenitentiae & Viatici sumpsit, *ex Benedicto XIV. in Syn. Dioec. lib. 8. c. 7. num.* 1. 2. *&* 3.

3. Parochus tenetur administrare Extremam Unctionem etiam peste infectis, *ex Benedicto XIV. ibid.*, quidquid aliqui contrarium senserint pro casu quo tales sacramenta Poenitentiae & Viatici suscepissent.

4. Praelatus Regularis, qui non solum suis Religiosis infirmis, sed & suis familiaribus, ac commensalibus saecularibus in Monasterio infirmis, imo & Hospitibus in Monasterio infirmatis, potest administrare extremam Unctionem, *ex Privilegiis*, quidquid aliqui velint exceptos hospites.

5. Sacerdos quivis ex delegatione Parochi expressa, vel rationabiliter praesumpta; Episcopo tamen infirmo administranda est a prima Dignitate.

N. B. 1. *Administrans extremam Unctionem sine licentia, saltem tacita, vel praesumpta Parochi, aut Episcopi, peccat mortaliter, nullam tamen incurrit excommunicationem; excipe Religiosum id facientem non urgente necessitate, qui ex cap. Religiosi* inter Clementinas de Privilegiis, *eam administrans Clerico vel Laico (secus Religioso alterius Ordinis) incurrit excommunicationem.*

2. *In Ecclesia Latina ab unico dumtaxat Sacerdote administrari debet sub peccato mortali, quamvis si administretur a pluribus, non vitietur factum: imo si in necessitate plures adhibeantur Sacerdotes (uti contingere posset pro casu quo vel Minister inter ungendum deficeret, vel timeretur infirmus decessurus antequam perficiantur ab eodem omnes unctiones), ita ut singuli diversos sensus inungerent, & adaptatam formam proferrent, licet id fieret etiam in Ecclesia Latina*, ex Benedicto XIV. Syn. Dioec. lib. 8. cap. 4. n. 1.

3. *In Ecclesia Graeca etiamnum de facto retinetur antiqua consuetudo septem adhibendi Sacerdotes in hujusce Sacramenti collatione, vel si septem praesto non sunt, tres saltem*, ex Benedicto XIV., *qui asserit, certum esse, quod olim etiam in Ecclesia Latina plures adhibiti fuerint Sacerdotes in administratione hujus Sacramenti.*

4. *In casu necessitatis, & deficiente omni alio Sacerdote (uti contingere posset in Parocho residente in montanis, nullum in vicinitate habente Sacerdotem, repentino morbo correpto), posset sibi ipsi ministrare extremam Unctionem*, ex Clericato de Extrema Unctione decis. 75. n. 4. & seqq. *quidquid aliqui negent.*

III. Subjectum

* Capax est

1. Homo quivis viator baptizatus rationis compos, periculose decumbens, licet recenter baptizatus, *ex Communi & Benedicto XIV. Syn. Dioec. lib. 8. c. 5. n. 5.*, secus catechumenos.

2. Adultus, licet sensibus destitutus, si semel habuit perfectum usum rationis, cum ad hoc Sacramentum sufficiat intentio interpretativa, quae censetur haberi, eo ipso, quod supponatur Christianus & Christiane vixerit, *ex Rituali Romano.*

3. Furiosi & Amentes, si absit periculum irreverentiae.

4. Senibus, qui prae decrepita aetate, licet nulla alia speciali afficiantur aegritudine, in dies morituri creduntur, conceditur communiter a Theologis posse administrari, *ex Rituali Romano ex Bened. XIV. ibid. cap. 1. n. 2.*

** Incapax

1. Adultus non infirmus, imo non periculose decumbens, *ex praxi Ecclesiae*, & hinc etiam ex hoc capite negant aliqui Beatam Mariam Virginem suscepisse hoc sacramentum, licet alii affirment, & Benedictus XIV. rem indecisam reliquerit.

2. Existentes in periculo mortis ex causa aliqua extrinseca, ut damnati ad mortem a Judice, vel foeminae partui propinquae, *ex Benedicto XIV. loc. cit. n. 1.*, nisi alia insuper eisdem accesserit extraordinaria & lethalis aegritudo.

3. Infantes ac perpetuo amentes, *ex praxi Ecclesiae et Benedicto XIV.*, qui advertit, non esse denegandum hoc Sacramentum pueris, qui septimum annum attigerunt, etsi nondum communicassent; neque pueris, in quibus malitia supplet aetatem, etsi septenarii non sint.

* Si dubitatur num infirmus e vivis decesserit, neque veritas explorari posset absque periculo manifesto, omittendi unctionem, non absolute, sed sub conditione, saltem mente retenta, ungendus est; quod si inter ungendum infirmus expiraret antequam omnium sensuum unctiones complerentur, debet Sacerdos ab aliis unctionibus abstinere.

** Necessitas suscipiendi Sacramentum extremae unctionis nulla est, unde sine peccato, saltem gravi, potest omitti, *ex Communi sententia, et Benedicto XIV.*, dummodo absit contemptus, aut scandalum, quidquid aliqui velint adesse obligationem gravem ipsum suscipiendi.

TAB. CLXXIV. *De Materia, forma, Caeremoniis, Effectibus et Iteratione Sacramenti Extremae Unctionis.*

Extremæ unctionis

I. Materia

1. Remota est oleum olivarum ab Episcopo benedictum (*Trid. sess.* 14. *c.* 1.) simplex non mixtum, quod

1. Potest ex commissione Papæ etiam ab alio Sacerdote benedici; uti practicatur in Ecclesia Orientali *ex Benedicto XIV.* 2. *lib.* 8. *c.* 1. *n.* 4. *Syn. Diœc.*, quidquid aliqui negent, volentes, de necessitate Sacramenti debere ab Episcopo benedici, seu consecrari.
2. Singulis annis debet renovari, adeo quod extra necessitatem utens oleo prioris anni, peccet mortaliter, *ex Bened. XIV. Instit. Eccl.* 81. §. *Nec quicquam.*
3. Deficiente oleo sacro, potest ei commisceri, etiam sæpius, successive tamen, aliud non consecratum, dummodo quantitas residua olei consecrati sit major & superet quantitatem olei non consecrati, quod affunditur, *ex Benedicto XIV. loc. mox cit.*
4. Oleum sacrum infirmorum nequit adhiberi pro unctione aliqua curativa, uti olim permissum erat; si quis eo uteretur, graviter puniri deberet, *ex Bened. XIV.*
5. Oleum sacrum debet asservari in sacculo violacei coloris in Ecclesia, & retinens ipsum semper domi in cubiculo sine licentia Episcopi non excusatur a mortali.
6. Oleum sacrum accipi debet, etiam a Regularibus, ab Episcopo Diœcesano, *ex Benedicto XIV. ibid.* §. *Cum.*

2. Proxima

1. Unctio oleo prædicto facta, saltem una, cujuscumque partis corporibus sub unica forma exprimente omnes corporis sensus, quæ est de necessitate Sacramenti.
2. Unctiones quinque semper sunt faciendæ, extra necessitatem, sub adaptata cuilibet unctioni forma, *ex Rituali Romano*, & quidem sub mortali, adeo quod vel unicam omittens voluntarie sine necessitate, peccet mortaliter, *ex Benedicto XIV. ibid.* 8. *c.* 3. *n.* 5.
3. Unctiones septem, & consequenter pedum & renum, honestatis, aut commoditatis gratia omittendæ in Religiosis & fœminis, *ex Rituali Romano.*
4. Unctio pectoris, loco prædictarum duarum partium, nempe pedum & renum, non est facienda, *ex Rituali Romano;* excipe ubi adest consuetudo in viris.
5. Unctio, vel unctiones fieri debent per modum Crucis, non quidem ex necessitate Sacramenti, sed præcepti, *ex Rituali Romano*, cujus omissio voluntaria inducit juxta alios solum veniale.
6. Instante, & urgente necessitate, sufficit unctio unius partis corporis sub unica forma, omnes tamen corporis sensus exprimente & in hoc eventu consultius est ut unctio fiat in capite, *ex Benedicto XIV. ibid.;* cessante autem illa necessitate vel denuo omnes repetendæ, vel supplendæ omissæ, præsertim si infirmus aliud sacramentum suscipere non posset.

II. Forma est: *Per istam sanctam unctionem* ✠, *& suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum &c. deliquisti*, cujus sensus est: conferat tibi Deus gratiam de se remissivam peccati, vel ejus reliquiarum: quæ omnia verba debent sub mortali proferri & quidem modo deprecativo, *ex Benedicto XIV. ibid. c.* 2. *n.* 2., qui tamen advertit quod si proferantur modo indicativo, v. g. ungo te oleo sanctificato, non obstaret sacramento.

III. Cæremoniæ

1. Superpelliceum & stola, sine quibus extra necessitate administrare est peccatum mortale.
2. Socius Clericus, vel juxta consuetudinem Æditus præcedens cum lumine, sub veniali.
3. Preces antecedentes & subsequentes, sub mortali, nisi periculum esset in mora, in quo casu omissæ supplendæ essent, si infirmus adhuc superviveret, *ex Rituali Romano.*
4. Confessio, vel saltem contritio perfecta in suscipiente in peccato mortali.
5. Unctio, vel unctiones partium assignatarum in Rituali, quæ, juxta dicta, debent fieri in modum Crucis, ordine & modo præscripto in Rituali Romano, nec non duplex in geminis partibus, incipiendo semper a dextera.
6. Abstersio partium inunctarum globulis bombicynis, vel alia re simili, ac eorum combustio.

N. B. *Tempore sævientis pestis possunt unctiones fieri mediante virga oblonga, vere tamen oleo tincta, quæ peracta unctione comburi debet, vel asservari ad similem usum*, ex Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib. 13. c. 19. n. 3.

IV. Effectus

1. Gratiæ sanctificantis augmentum, imo per accidens etiam primæ gratiæ collatio; venialium peccatorum remissio & quidem ex opere operato.
2. Reliquiarum peccatorum abstersio, per quas, juxta D. Thomam, intelligitur animi languor, torpor, mœror, tristitia, fastidium, anxietas & similes pravæ affectiones, quæ plerumque ex peccatis præteritis, eorumque recordatione oriri solent & inducere in desperationem
3. Auxiliorum specialium collatio ad
   - Superandas tentationes in periculo mortis.
   - Spem & confidentiam facilius & firmius in Deum erigendam.
   - Morbos & morbi molestias majori cum patientia ferendas.
4. Sanitatis corporalis collatio, quando saluti animæ expedit, *ex Tridentino sess.* 14. *c.* 2.

V. Iteratio

1. Illicita, imo & nulla, durante eodem periculo proximo mortis.
2. Licita, superveniente novo moraliter interrupto periculo, judicio Medicorum sive ex eadem, sive ex alia infirmitate, & quidem toties quoties fidelis in novum incidit morbum, & in diversum adducitur vitæ discrimen, *ex Tridentino sess. cit. c.* 3. *de Extrema Unctione.*
3. Censetur autem novum supervenisse periculum, si in eadem infirmitate diu durante, v. g. in hydropisi, phtisi, notabiliter varietur morbi status, ita ut æger evadat e periculo mortis, licet non e morbo, & relabatur in tale periculum, *ex D. Thoma in supplem.* 3. *partis quæst.* 33. *art.* 1.
4. Dum agitur de iteratione extremæ unctionis, non debent Parochi scrupulose se gerere, sed si dubitent an revera morbi status sit mutatus, seu num idem vel diversum sit vitæ periculum, in quo ægrotus versatur, expedit ut ad sacramenti iterationem propendant, *ex Benedicto XIV. lib.* 8. *c.* 8. *n.* 4. *Synod. Diœc.*

TAB. CLXXV. *De Institutione, Divisione Ordinum, Officio, Materia, Forma singulorum, ac Tonsura.*

Ordo est *Sacramentum, quo spiritualis potestas confertur ordinato ad aliquod ministerium circa Eucharistiam digne exhibendum, cujus*

I. Institutio facta est a Christo Domino in ultima cœna illis verbis: *hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis Christus præcepit Apostolis ut consecrarent Corpus, & Sanguinem, & simul Sacerdotes eos constituit, & cum ordines omnes sub Præsbyteratu comprehendantur, hinc Christus eodem tempore potestate suæ excellenter contulit omnes septem ordines, supposito quod omnes habeant rationem veri Sacramenti, de qua infra.

II. Divisio in Ecclesia latina est in

* Minores quales sunt

1. Ostiariatus, quo Clericus præficitur sacræ Ecclesiæ suppellectili curandæ, Deique domui custodiendæ; cujus materia est traditio clavium per manus Episcopi; forma, verba Episcopi.

2. Lectoratus; quo confertur potestas legendi in Ecclesia Scripturam divinam, & SS. Patrum doctrinam; cujus materia est traditio libri Prophetarum; forma, verba Episcopi.

3. Exorcistatus, quo confertur potestas imponendi manus super Energumenos, seu obsessos a dæmonibus, & super eos invocandi nomen Domini, & legendi Exorcismos in ordine ad dæmones arcendos; cujus materia est traditio libri exorcismorum; forma, verba Episcopi.

4. Acolytatus, quo confertur potestas luminaria Ecclesiæ accendendi, ac præparandi ampullas vini, & aquæ ad Missæ sacrificium; cujus materia est traditio candelabri cum cereo extincto, ac urceoli vacui; forma vero, verba Episcopi.

* Prædicti quatuor ordines dicuntur non sacri, tum quia remotius ad confectionem Eucharistiæ concurrunt, tum quia non habent annexam obligationem recitandi Breviarium, & servandi castitatem.

** Majores, quales sunt

1. Subdiaconatus, quo confertur potestas sacra vasa, Calicem, & Patenam ad usum Sacrificii præparandi, & ad altare deferendi, Diacono in Altaris ministerio inserviendi, in Missa Epistolam solemniter cantandi, & pallas Altaris, nec non corporalia, calices, & patenas abluendi; cujus materia est traditio tum Calicis vacui cum Patena, tum liber epistolarum; forma, verba Episcopi.

2. Diaconatus, quo confertur potestas Sacerdoti in Missæ sacrificio immediate assistendi, ei ministrando panem & vinum ad conficiendam Eucharistiam, Evangelium in Missa solemniter cantandi, de Parochi licentia solemniter baptizandi, & ex facultate Episcopi Verbum Dei populo prædicandi; cujus materia est tum impositio manus dexteræ Episcopi, tum traditio libri Evangeliorum: forma vero, verba Episcopi, quæ in utraque actione proferuntur.

3. Presbyteratus, quo confertur potestas consecrandi corpus Christi, & remittendi peccata, cujus materia est tum traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia, tum impositio, non quidem prima vel tertia, sed secunda manus Episcopi dicentis: *Oremus Fratres, &c.*

** Prædicti tres Ordines dicuntur sacri tum quia habent annexas obligationes recitandi Breviarium, & servandi castitatem, ratione cujus quodammodo Deo consecrantur; tum etiam, quia propius ad Sacramenti Eucharistiæ confectionem concurrunt, quamvis Subdiaconatus non nisi ab anno 1031. ab Urbano II. in Concilio Beneventano inter sacros Ordines numeratus sit.

III. Colliges

1. Ex prædictis septem ordinibus omnes habere rationem veri Sacramenti, quamvis unicum unitate finis constituant, ut aliqui volunt, & ferme modernis temporibus communiter. Alii tamen non nisi Diaconatum, & Presbyteratum esse vera sacramenta contendunt, priore quinque esse solum sacramentalia quædam ad Sacerdotis Ordinem præparatoria, non a Christo, sed postea vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia adinventos & institutos ad majorem venerationem & obsequium Ordinis Sacerdotalis; cui sententiæ videtur adhærere *Benedictus XIV. Syn. Diœc. lib.* 8. *Cap.* 9. *n.* 12.

2. Ex posteriori hac sententia sequitur quod solus Diaconatus, & Presbyteratus imprimant characterem proprie talem, secus vero priores quinque, quamvis ex ordinatione Ecclesiæ nequeant iterari.

3. Quamvis de fide divina certum sit, Presbyteratum habere rationem veri Sacramenti, *ut inquit Benedictus XIV. lib.* 8. *Syn. Diœc. c.* 9. *n.* 2., non tamen ita certum est de Diaconatu, quia plures non exigui nominis doctores negant, fide divina constare.

4. Negantes primos quinque Ordines esse vera sacramenta contendunt materiam adæquatam Ordinum Diaconatus & Presbyteratus, esse solam manus Episcopi impositionem, cum ei correspondentibus verbis tamquam forma; & ita fuisse collatos dictos duos Ordines in primitiva Ecclesia per annos ad minimum nongentos in universa Ecclesia: & solum ante septingentos, vel octingentos annos in Ecclesia Latina invectam esse traditionem instrumentorum asserunt: & huic sententiæ videtur adhærere *Benedict. XIV. ibid. cap.* 10. *n.* 7.

5. Nihilominus pro casu quo in collatione Ordinum Diaconatus, vel Presbyteratus omissa fuisset sive traditio instrumentorum sive impositio manus, tota Ordinatio quoad substantiam supplenda esset sub conditione ob probabiliorem alterius sententiæ, prout declaravit Sacra Congregatio, *apud Bened. XIV. ibid. n.* 15.

6. In Ecclesia Græca quatuor tantum habentur Ordines, nempe Lectoratus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, *ex Benedicto XIV. ibid.*

7. Tonsura Clericalis consistens in rasione capillorum, & formatione Coronæ seu Clericæ, juxta Canonistas habet rationem veri Ordinis numeranda inter minores, imo & Sacramenti, secus juxta Theologos, sed est mera dispositio ad Ordines, quatenus homo vi Tonsuræ segregatus a statu laicali, & in statum Ecclesiasticum translatus redditur habilis, ut in aliquod Altaris obsequium consecrari possit, adeoque est Ritus ab Ecclesia institutus.

TAB. CLXXVI. *De Episcopatu, ejus excellentia, institutione et ad ipsius collationem requisitis.*

Episcopatus est Ordo supremus, quo datur potestas Presbytero conferendi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, qui

I. Juxta

1. Aliquos, est Ordo specie & numero distinctus a Presbyteratu, faciens tamen unum genere Ordinem; & præsupponere debet ex institutione Christi Presbyteratum, ac imprimere novum & distinctum characterem: atque adeo volunt esse Sacramentum distinctum a Sacerdotio, & ita sentiunt Pellegrinus Tournely, Charmes.

2. Alios, non est Ordo distinctus a Presbyteratu, sed extensio tantummodo characteris Sacerdotalis ad novum officium, novam & ampliorem potestatem, ac dignitatem, ita ut Episcopus alius non sit, quam Sacerdos perfectus, qui apicem Pontificatus adeptus est: & hi consequenter negant esse Sacramentum distinctum a Sacerdotio, & ita præter plures alios sentiunt D. Bonaventura, D. Thomas, *in supplem. quæst.* 40. *art.* 5. *ad* 2., imo aliqui videntur velle, ipsum omnino exclusum a ratione Ordinis & Sacramenti proprie talis.

3. Tertiam sententiam est verus Ordo & sacramentum quidem, sed solum incomplete & partialiter distinctum a Sacerdotio: in quorum sententia sequitur, quod per Episcopatum non imprimatur novus character, sed character sacerdotalis extendatur per novum modum superadditum, cujus virtute potest Episcopus conferre aliis Sacramenta Confirmationis & Ordinis, ac cætera munia episcopalia obire; & quamvis in illa extensione characteris sacerdotalis datur nova gratia, attamen consecratio Episcopalis non est Sacramentum distinctum ab Ordine Presbyteratus, sed est hujus Ordinis complementum: ita præter alios sentit Clericatus.

* Quænam ex mox adductis tribus sententiis dicenda probabilior, vel cui adhærendum? Non est facile decidere: quælibet adducit solida fundamenta: Benedictus XIV. videtur favere primæ, vel certe tertiæ, cum in sua Synodo Diœcesana *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 2. dicat: *inter Theologos communiter convenit, veram rationem sacramenti participare Episcopatum & Diaconatum: quinimo de Episcopatu, etiamsi ab aliquibus non censeatur Ordo diversus a Sacerdotio (cujus tamen juxta omnes extensio est, perfectio & complementum), id esse pariter de fide affirmat Petrus Soto, aut saltem non posse sine periculo & gravis erroris nota hoc tempore negari asserunt Medina & Vasquez.*

II. Facit Episcopos Superiores Presbyteris potestate tum Ordinis, tum Jurisdictionis, & id fide divina credendum, *ex Tridentino* anathematizante contrarium sentientes, *Sess.* 23. *can.* 7.

III. Est a Christo immediate institutus

2. Estque veritas de fide divina tenenda ex definitione Tridentini fundata tum in illo Apostoli: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei:* tum in alio ejusdem: *ipse dedit quosdam Apostolos,* Episcopi vero successerunt in locum Apostolorum, *ex Tridentino Sess.* 23. *Sacram. Ord. can.* 6.

2. Post Resurrectionem, quando dixit Christus *Joan.* 20. *v.* 21.: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos;* nam his verbis Apostolos creavit suos Vicarios, orbisque Doctores, ac consequenter suum officium & auctoritatem, scilicet omnem potestatem Ecclesiasticam eis communicavit, ac proinde eos creavit Episcopos: ita sentiunt SS. Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Augustinus. *Apud Cornel. a Lap.* 12. *Cap. Joan.* 20. *v.* 21.

IV. Conferri

1. Debet Cæremoniis & Ritibus in Pontificali Romano præscriptis, juxta quod ad consecrationem Episcopi tres debent adesse Episcopi, quorum unus vocatur Consecrator, alii duo dicuntur Assistentes: aliæ autem cæremoniæ præscribuntur pro Ecclesia Latina, aliæ pro Ecclesia Græca in consecratione Episcopi: utriusque Ecclesiæ cæremonias referunt Tornellus, & Clericatus *de Sacram. Ordinis Decis.* 36. *n.* 11.

2. Potest & solet de jure communi die Dominico: attento vero Pontificali Romano etiam in Natalitiis Apostolorum: & hinc Benedictus XIV. consecraverat Episcopum Justinopolitanum Romæ in festo Apostolorum Simonis & Judæ.

V. Valet collatus

1. Ab uno dumtaxat Episcopo, etiam sine dispensatione Papæ: valida quidem est, sed illicita collatio, *ex Benedicto XIV. In epist. ad P. Angelbertum Abbatem Monast. Campidon. quæ incipit:* Ex his precibus. *In Append. ad Tom. IV. Bull. ejusd. fol.* 12. *edit. Venet.*, quidquid aliqui pronunciaverint absolute invalidam, alii invalidam si fiat sine indulto Pontificio; & hinc factum, quod plures Summi Pontifices exigente necessitate indulgent ut ab uno tantum Episcopo, assistentibus duabus dignitatibus, vel duobus simplicibus sacerdotibus, consecratio Episcopi fiat.

2. Ab uno quoque dumtaxat Episcopo, licet in indulto Pontificio exigitum fuisset ut fiat ab uno Episcopo, assistentibus tamen duobus sacerdotibus, quamvis in hoc casu illicita esset, *ex Bened. XIV.*

N. B. *Circa materiam, & formam Episcopatus assignandam ab illis qui volunt ipsum esse Ordinem, & Sacramentum distinctum a Presbyteratu, variant Theologi: & Clericatus adfert octo distinctas opiniones, ac tandem indecisam relinquit quæstionem, asserendo, sibi satis fuisse fundamenta uniuscujusque opinionis allegasse, atque objecta, quæ in unaquaque fieri possunt, retulisse, ac resolvisse; Tornellus tamen vult quod sola impositio manus cum Codice Evangeliorum supra caput ordinandi videatur esse materia essentialis adæquata ordinationis Episcopalis tum apud Græcos, tum apud Latinos; forma vero, oratio invocans Spiritum Sanctum: Charmes vero vult, solam impositionem manus Episcopi habere rationem materiæ adæquatæ, formam vero esse verba impositioni manus correspondentia* accipe Spiritum Sanctum &c., *cætera autem esse solum ritum accessorium, & integritatem ab Ecclesia adjunctam ad majorem dumtaxat significationem & expressionem collatæ potestatis.*

TAB. CLXXVII. *De Ministro Sacramenti Ordinis.*

Minister sacramenti Ordinis

I. Ordinarius est solus proprius ordinandi Episcopus, *ex Tridentino*, qui tamen debet esse consecratus, qui consecratione supposita posset valide conferre ordines omnes, etiam illum vel illos, quos ipse non accepisset, ut si per saltum factus fuisset Sacerdos, eo quod character sacerdotalis eminenter in se continet omnes alios inferiores ordines, quamvis aliqui velint, quod talis non posset conferre ordines, quos non suscepisset.

II. Extraordinarius

1. Cardinales Presbyteri, qui ex recepta consuetudine possunt tam suis familiaribus, quam etiam aliis sibi subditis conferre primam Tonsuram, & Minores Ordines.

2. Abbates infulati, seu Mitra, & Baculo utentes, possunt suis subditis Religiosis, etiam Novitiis, conferre primam Tonsuram, & Minores Ordines, ex diversis Privilegiis Juri Canonico insertis, *ex Benedicto XIV. in sua Constit. quæ incipit.* Ad audientiam nostram *tom. 4. Bull. ejusd. fol. 136. edit. Venet.* §. 16., nequeunt tamen sive aliis Religiosis sibi non subjectis, seu alterius Religionis, seu Congregationis, licet hi comparerent cum litteris dimissorialibus suorum Superiorum Regularium, & consensu Ordinariorum, intra quorum Diœcesum fines ipsi Regulares existunt, sive sæcularibus, licet suæ jurisdictioni subjectis, quantumvis haberent litteras dimissoriales a suis Ordinariis, prædicta conferre, *ex Tridentino Sess. 23. de Reform. c. 10., & Benedicto XIV. Syn. Diœces. lib. 2. c. 11. n. 12.* prædictam autem facultatem exercere nequeunt cum suis Religiosis antequam ab Episcopo benedictionem obtinuerint, præciso aliquo speciali privilegio, *ex Benedicto XIV. ibid. n. 9.*

3. Sacerdos quivis ex delegatione tamen solius Papæ, potest conferre primam Tonsuram, & Minores Ordines, imo & subdiaconatum, in opinione præsertim eorum qui negant esse sacramentum, sine qua delegatione simplex Sacerdos invalide dicta conferret: simplici autem Sacerdoti, nequidem a Papa delegari potestas conferendi sive Diaconatum, sive Presbyteratum, quidquid aliqui concedant quoad Diaconatum.

III. Nequit, *ex Trident. Sess. 14. de Reform.* licite conferre Ordines nisi sibi subditis

1. Ratione originis ipsius Ordinandi, vel Patris, si Ordinandus extra locum domicilii Patris casualiter, & ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis &c. natus fuisset, vel Matris, si sermo sit de illegitimis, ex accidenti in aliquo loco natis, *ex Innocentio XIV. in sua Constit.* Speculatores Domus Israel *4. nov. 1694. apud Luc. Ferraris Verb. Ordo art. 3. n. 11.*

2. Ratione veri domicilii in loco contracti, quod censetur contrahi per habitationem in aliquo loco animo perpetuo ibi manendi: non vero per aliquos etiam annos plures, *ex Innoc. XI.*

3. Ratione beneficii in Diœcesi aliqua obtenti ac pacifice possessi, ad congruam Clerici sustentationem per se, & secluso quocumque alio adminiculo, etiam Patrimonii pinguis, sufficientis, *ex Innocentio XII. loc. cit.* §. 8.

4. Ratione triennalis familiaritatis, & servitii præstiti alicui Episcopo; ad quod requiritur ut per triennium continuum & completum Ordinandus commoratus fuerit cum Episcopo, ejusque expensis, tanquam commensalis domesticus, continuo sustentatus; cui intra terminum unius mensis a facta ordinatione debet Episcopus conferre beneficium, etsi ipsi solum contulisset primam tonsuram, *ex Tridentino, & Innocentio XII.* Id autem non competit Episcopo solum titulari, imo hic nemini potest conferre Ordines nisi de licentia tum sui, tum ipsius Ordinandi, *ex Tridentino Sess. 23. de Reformat. c. 9.*

* Ordinatus ab Episcopo Originis vel Domicilii in Minoribus posset ab Episcopo beneficii promoveri ad alius Ordines, dummodo ab illo habeat litteras testimoniales de vita & moribus, *ex Innocentio XII. ibid.*

** Regulares possunt ordinari ab Episcopo illius Diœcesis, in qua eorum Conventus existit: quod si Diœcesanus abesset, vel ordinationes non teneret, possent a quocumque catholico Antistite ordinari, *ex Clemente VIII., & Benedicto XIV. Constit. quæ incip.* Impositi nobis. *Tom. 2. Bull. ejusd. fol. 109. edit. Venet. §. Demum*; excipe Regularibus qui per speciale privilegium nominatim ac directe, & non per viam communicationis, a Sede Apostolica post Tridentinum concessum fuit, ut a quolibet catholico Antistite Ordines suscipere possint, uti concessum legitur Religiosis Congregationis S. Joannis Evangelistæ, & olim Jesuitis.

IV. Et ideo jure sancitum, ut

1. Regularis ordinandus ab aliquo Episcopo pro casu quo proprius abesset, vel tenere nollet ordinationes, debet in Dimissorialibus sibi a suo Prælato concedendis inserere absentiam proprii Episcopi, vel quod non sit habiturus ordinationes, & id debet constare per authenticam attestationem vel Vicarii Generalis, vel Cancellarii, vel Secretarii ejusdem Episcopi Diœcesani, *ex Benedicto XIV. in cit. Constit. §. Præterea.*

2. Episcopus ordinans Regularem in sua Diœcesi domicilium non habentem solis ipsius superioris dimissorialibus litteris contentus sine adjuncta præfata authentica attestatione, incurrit pœnas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint, de quibus infra, *ex Benedicto XIV. ibid. §. Porro.*

3. Superiores Regulares, qui contra decretum Clementis VIII. subditum mittunt ordinandum ad alium Episcopum, peccant mortaliter & incurrunt pœnas latas *tum in decreto Clementis VIII. tum in decreto Benedicti XIV. ibid.*, scilicet amissionem suorum officiorum & dignitatum, nec non vocis activæ & passivæ, Ordinati vero suspensionis pœnam.

Ordinans scienter alienum subditum sine licentia sui superioris, per annum continuum est suspensus ipso facto a collatione Ordinum, & Ordinatus pariter existit suspensus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, *ex Tridentino* eandem quoque pœnam incurrunt inferiores Prælati habentes facultatem conferendi suis subditis primam Tonsuram & Minores Ordines, si hæc sibi non subditis conferant, *ex Innocentio XII. in allata sua Constit.* Speculatores &c.

N. B. *Ordinationes factæ ab Episcopis Hereticis, Schismaticis, Simoniacis, aut Excommunicatis ritu legitimo a Christo præscripto, valide sunt, quoad substantiam, licet factæ contra canones & leges Ecclesiæ, quidquid olim non pauci Theologi contrarium senserint, fundati in antiquis canonibus, qui pronunciarunt irritas, et invalidas tales ordinationes, qui deponi debent de functione, exeqiutione et exercitio: ex quo sequitur quod tam Photius fuerit valide ordinatus quoad substantiam a Gregorio Syracusano, tam quod ordinationes ab ipso factæ fuerint valide quoad substantiam.*

TAB. CLXXVIII. *De Potestate dandi litteras Dimissoriales.*

Dimissoriales ad suscipiendos Ordines ab alieno Episcopo

- I. Dare possunt
  - 1. Papa omnibus omnino Christi Fidelibus tum generales in ordine ad suscipiendos Ordines a quocumque Catholico Antistite, sive omnes Ordines, sive aliquos duntaxat, tum speciales ad suscipiendos ordines a determinato Episcopo, omnes vel aliquos.
  - 2. Episcopus suis subditis, sive sint subditi ratione originis, sive ratione domicilii, sive ratione beneficii, sive ratione triennalis familiaritatis, & commensalitatis, tum generales, tum speciales ad unum vel plures, vel omnes Ordines suscipiendos.
  - 3. Vicarii Capitulares sede Episcopali vacante, & quidem
    - 1. Infra annum a die vacationis, sed arctatis solum vel ratione beneficii jam suscepti, a quo urgentur Ordines suscipere tamquam assumpti ad regimen Ecclesiæ Parochialis: vel ratione Beneficii suscipiendi, quales censentur, qui habent jus, vel saltem sunt vocati ad aliquod Beneficium vacans, seu Capellaniam, quod tamen requiri actu certum Ordinem, quem necdum habent, *ex Tridentino Sess.* 7. *de Reform. c.* 10.
    - 2. Ante lapsum anni Episcopo extero licentiam conferendi ordines exteris Clericis habentibus litteras suorum Episcoporum, non tamen subditis Sedis vacantis, *ex Decreto Sacræ Congregationis;* potest tamen concedere dicto Episcopo extero licentiam, ut intra annum ordinet Regulares, quidquid aliqui negent.
    - 3. Post annum a die vacationis Sedis Episcopalis potest dare dimissorias quibuscumque suis subditis, etiam non arctatis, *ex Tridentino & Sacra Congregatione.*
    - 4. Expedire intra annum vacationis illas Dimissorias, quas Episcopus defunctus nominatim concesserat ante obitum & morte præveniente non expedierat, *ex Declaratione Sacræ Congregationis.*
    - * Concedentes Dimissorias infra annum Sedis Vacantis non arctatis incidunt in pœnam interdicti, *ex Tridentino*, non vero in pœnam Suspensionis per annum; quod verum est etsi obtinens dictas litteras iis usus non fuisset, *ex Decreto Sacræ Congreg.*
    - N. B. *Dicta de Vicario capitulari procedunt etiam de Capitulo Sede Episcopali vacante, antequam processerit ad electionem Vicarii Capitularis.*
  - 4. Prælati Regulares Infulati suis subditis Religiosis in ordine ad suscipiendam primam Tonsuram & Minores Ordines, non quidem directas ad alium similem Prælatum Regularem, propter dicta in priori Tabula, sed ad Episcopum Diœcesanum.
  - 5. Prælati Regulares sive Infulati sive non Infulati, sive Ordinis exempti sive non exempti, possunt Religiosis sibi subditis, etiam Novitiis (quidquid aliqui velint excipiendos Novitios, utpote volentes, quod tam Ordines suscipere, quam dimissorias concedere pertineat ad Episcopum loci, ubi Novitius agit Novitiatum) dare litteras dimissoriales directas ad Episcopum loci, ubi Novitius agit Novitiatum) dare litteras dimissoriales directas ad Episcopum Diœcesanum, *ex Clemente VIII.* 15. *Martii* 1596., *Tom. VI. Bull. Capucc. fol.* 374., imo pro casu absentiæ Diœcesani vel recusantis tenere ordinationem, saltem temporibus alias solitis, etiam generales ad quemcumque Episcopum, observatis tamen dictis in priori Tabula.
- II. Non possunt
  - 1. Abbates quicumque sint dare litteras dimissoriales suis subditis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, etsi verum esset quod proprium territorium haberent a qualibet Diœcesi avulsum, & segregatum cum Clero & populo, in quem pleno jure exercerent jurisdictionem quasi Episcopalem; sed id spectat ad Episcopum viciniorem, *ex Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib.* 2. *c.* 11. *n.* 14. *&* 15.
  - 2. Vicarius Generalis Episcopi nequit concedere litteras Dimissoriales, nisi vel habuerit specialem licentiam ab Episcopo, vel Episcopus in remotis ageret, *ex cap. Cum nullus* 3. *de Temporibus ordinationum* 126. Censetur autem in remotis agere dum est extra Diœcesim, vel abest duas Dietas, seu 20. milliaribus italicis.
- III. Semel ab Episcopo concessæ per mortem ipsius concedentis non extinguuntur, nisi a Successore revocentur, quæ revocatio debet significari, sicut nec concessæ a Vicario Capitulari Sede Episcopali Vacante sive post annum sive intra annum a die vacationis in casu permisso, de quo supra, quæ expirant per ingressum novi Episcopi.
- IV. Non debent extradi a proprio Episcopo, nisi prius examinato & approbato Ordinando, *ex Tridentino Sess.* 23. *de Reform. c.* 3., quamvis ex causa possit & examen demandari Episcopo, ad quem dirigitur ordinandus, *ex Decreto Sacræ Congregationis apud Barbosam De Offic. & potest. Episcopi Allegatione* 7. *n.* 19.
- V. Non impediunt quominus dimissus pro ordinibus suscipiendis ad alium Episcopum, licet prius examinatus, possit ab alio examinari, extra tamen casum, quo examinatus a proprio mittatur pro Ordinibus suscipiendis ad Episcopum solum Titularem; nam hic nequit probatos & examinatos a proprio Episcopo denuo examinare, *ex Bened. XIV. Syn. Diœc. lib.* 12. *c.* 8. *n.* 7.

TAB. CLXXIX. *De Tempore et Loco, quibus conferri possunt et debent Ordines, ac de Interstitiis.*

Conferendorum Ordinum

I. Tempus

1. Prima Tonsura, quavis die, hora & loco honesto, etiam extra Missarum solemnia.

2. Minores non solum temporibus, quibus de jure permissæ sunt Ordinationes generales, de quibus infra, sed etiam diebus Dominicis & Festivis per annum, *ex cap. De eo* 3. *de Temporibus Ordinationum*; dies autem Festivi debent esse non solum Chori, sed & Fori.

3. Majores Ordines nequeunt, attento jure communi, conferri nisi in sex Sabbatis sequentibus, nempe in Sabbatis Quatuor Temporum, in Sabbato ante Dominicam Passionis, dicto *Sitientes*, & in Sabato sancto, *ex citato texto juris*.

4. Prò casu ob multitudinem ordinandorum, vel ob eorum, aut Episcopo supervenientem infirmitatem, aut ob aliam rationabilem causam, non posset terminari die Sabbati Ordinatio, posset Episcopus partem differre ad diem sequentem Dominicum, *ex Can. Quod a Patribus* 4. *dist.* 75., in quo tamen casu Episcopus debet continuare jejunium, non quidem naturale, ut aliqui volebant, sed Ecclesiasticum, quod tamen non admittit solitum prandium, sed solum aliquam collatiunculam, cum hoc jejunium vocetur Magnum.

5. Ex Privilegio concesso a Sede Apostolica, sive Episcopis, uti concessum Episcopis Germaniæ praxis suadet, sive ipsis Ordinandis, uti concessum habetur ipsis Regularibus a diversis Summis Pontificibus, etiam post Tridentinum, præsertim Benedictus XIII., & XIV. *in Constit.* Impositi nobis §. *Præterea*, possunt conferri Ordines etiam Sacri extra dicta tempora diebus Dominicis, vel Festivis Fori.

6. Minores Ordines, licet absolute conferri possent extra Missarum solemnia, attamen convenit ut non nisi intra Missarum Solemnia conferantur, *ex Bened. XIV. Syn. Diœc. lib.* 8. *cap.* 11. *n.* 4.

7. Majores Ordines nequeunt sine gravi culpa conferri extra quam Missam ipse conferens Ordines debet celebrare, *ex Benedicto XIV. loco cit.*

8. Ordinans & Ordinatus extra tempora statuta absque privilegio peccant graviter, & Ordinans præterea incurrit post sententiam pœnam Suspensionis respectu collationis Ordinum illicite collatorum, ipse vero Ordinatus incurrit suspensionem ab executione Ordinum, & quidem ipso facto, *ex cap. Sane* 2. *de Temporibus Ordinationum adjuncta constitutione Pii II.*

II. Interstitia

1. Vi quorum

1. Prima Tonsura & Minores Ordines possunt simul eodem die conferri, ex consuetudine recepta.

2. Minores Ordines simul cum Subdiaconatu eodem die conferri nequeunt, sed observari debent interstitia unius anni a susceptis Minoribus Ordinibus, *ex Tridentino Sess.* 23. *de Reform. c.* 8., præciso tamen privilegio, vel consuetudine, si in aliquo loco viget, qua subsistente non incurreret ita ordinatus suspensionem, *ex Declaratione Sacræ Congregationis*.

3. Duo sacri Ordines eodem die conferri nequeunt, nequidem Regularibus alias privilegiatis, *ex cap. Dilectus* 15. *de Temporibus Ordinationum, & Tridentino:* & conferens eodem die duos sacros Ordines, præter peccatum mortale, suspenditur a collatione utriusque Ordinis ad arbitrium Sedis Apostolicæ, & suscipiens illos ab executione ultimi Ordinis: quod etiam procedit de conferente, & suscipiente duos sacros ordines duobus diebus, nempe Sabbato & Dominica, continuato jejunio Sabbatino.

4. Suscipiens duos sacros ordines non eadem die, sed distinctis v. g. tribus diebus Dominicis vel Festivis intra annum, & consequenter non servatis interstitiis, unius anni saltem Ecclesiastici, absque privilegio vel dispensatione, peccant quidem mortaliter tam suscipiens, quam conferens, nullam tamen pœnam incurrunt.

2. In quibus dispensare

Potest

1. Episcopus ex Tridentino *ibid. c.* 11., sed solum cum suis subditis, quare nequit dispensare cum Ordinando non subdito comparente cum Dimissorialibus proprii Episcopi, nisi in illis exprimatur quod ab eo fuerit dispensatus quoad interstitia, uti censeretur, si Dimissoriales exprimerent eum posse ordinari etiam non servatis interstitiis: imo nec cum Familiaris potest dispensare, quamvis illum possit ordinare juxta dicta in Tab. CLXXVII.

2. Vicarius quoque Generalis Episcopi, hoc absente; nec non Capitulum, & Capitularis Vicarius Sede Episcopali vacante.

Non possunt

1. Prælati sine justa & rationabili causa, pro qua inter Subdiaconatum, & Minores sufficit necessitas, vel utilitas Ecclesiæ: inter Subdiaconatum & Diaconatum quælibet rationabilis causa arbitrio Episcopi: inter Diaconatum & Presbyteratum requiritur, cum necessitas, tum utilitas Ecclesiæ. *Ex Trid. ibid. c.* 11.

2. Prælati Regulares cum suis Religiosis sine speciali privilegio, quo tamen gaudent Religiosi Mendicantes, utpote qui ex Privilegiis concessis post Tridentinum a Gregorio X. Constit. quæ incipit *Pium & utile* edita an. 1582. PP. Societ. Jesu & Clemente VIII. Constit. *Ratio Pastoralis* & Bened. XIII. Const. *Summe decet.* Minoribus, *apud Ferraris verb.* Interstitia n. 16., possunt tribus continuis, vel interpolatis diebus Dominicis vel Festivis, adeoque non servatis interstitiis, ordinari.

3. Consecratus in Presbyterum die sabbati quatuor temporum potest sequenti die Dominico consecrari in Episcopum, ex Glossa; quod verum est, sive jejunium fuerit continuatum, sive non: consecratus tamen in Presbyterum die Dominico mane, nequit eodem die consecrari in Episcopum etiam in sententia quod Episcopatus non sit Ordo distinctus, eo quod utriusque consecratio fieri debeat cum Missa, & nullus possit eodem die duas Missas celebrare.

III. Locus

1. In generalibus Ordinationibus *Constit.* impositi ad audientiam *Tom.* 4. *Bull. ejusd. f.* 1.55. *cum Ver.* §. 18. Ordines Majores conferri debent, vel in Cathedrali si in Civitate, vel in Ecclesia digniore, si in alio loco Diœceseos conferuntur. *Trid. Sess.* 23. *de Reform. c.* 8.

2. Extra Generales Ordinationes Ordines Majores possunt subinde ex justa causa aliquibus conferri privatim in Sacello Episcopii. *Ex mox laud. Pontif.*

TAB. CLXXX. *De Subjecto Sacramenti Ordinis, et requisitis ad valide et licite ipsum suscipiendum.*

Sacramenti Ordinis suscipiendi

- **I. Subjectum capax sunt**
  - 1. Omnis & solus masculus: & ideo fœmina, vel Hermaphrodita, qui æque, vel magis de fœmineo sexu participat, nequit valide ordinari.
  - 2. Omnes, & solus masculus baptizatus; & ideo cathecumenus, vel infidelis nequit valide ordinari, adeo quod si quis bona fide putans se baptizatum, suscepisset Sacerdotium, comperto postea errore, deberet, suscepto prius baptismo, gradatim per omnes Ordines ad Sacerdotium promoveri, & ita decisum legitur *Cap.* veniens. 3. *de Presbytero baptizato.*
  - 3. Infantes etiam ante adeptum usum rationis absolute loquendo de valore: nequaquam vero de liceitate, ex Communi Thologorum & expressa Benedicti XIV. *Const.* Eo quamvis *T.* 1. *Bull. ejusd. fol.* 512. *edit. Ven.* §. 20. contra quosdam negantes: quod procedit etiam de ipso Episcopatu, juxta probabiliorem, licet alii velint ipsum exceptum: unde nequit quis ordinari ante adeptam plenam discretionem: & *Cap.* Nullus. 4. *De Temporibus Ordinat.* prohibetur conferri prima Tonsura Infantibus: sed ad minimum requiritur septennium.
- **II. Requisita**
  - *** Ad liceitatem**
    - 1. Probitas vitæ, & hic qui prava consuetudine peccandi contra castitatem inquinatus esset, suadendum est ei pro posse, ut desistat a proposito pro casu quo attentis omnibus putaret se non posse in illo statu castitatem servare ob pravum lasciviæ habitum, quo se implicatum bene noscit, prout suggerit Benedictus XIV. *Syn. Diœc. lib.* 11. *c.* 2. §. 8.
    - 2. Status gratiæ per confessionem sacramentalem procuratus etiam respectu Minorum Ordinum & Subdiaconatus, etiam in sententiam negantium ipsos esse sacramenta, ratione Eucharistiæ, quam solent Ordinandi recipere ab Episcopo ordinante.
    - 3. Intentio debita non solum suscipiendi Ordines, quæ in adultis requiritur ad valorem juxta dicta in Tab. CXXVII., sed insuper suscipere volens primam Tonsuram & minores Ordines debet habere intentionem eligendi statum clericalem, ut Deo fidelem cultum præstet: quare suscipiens dictos ordines solum animo fruendi privilegiis Clericorum & postea retrocedendi, juxta aliquos peccat mortaliter: venialiter solum juxta alios, nisi id fiat postquam contra ipsum gravis aliqua causa incœpta esset apud sæculare judicium, de quo solum casu procedere prohibitionem Tridentini ait Benedictus XIV. *Syn. Diœc. lib.* 12. *cap.* 3.; quod si vero quis vellet initiari dictis ordinibus sine intentione ascendendi ad superiores ordines, non videretnr condemnandus de ullo peccato.
    - 4. Susceptio Sacramenti Confirmationis *ex Tridentino*, quod tamen non videtur sub gravi obligatione voluisse id exigere, quidquid aliqui contrarium sentiant. *Vid. dicta in Tab.* CXXXV.
    - 5. Ætas legitima,
      - 1. Quæ est pro
        - Prima Tonsura & Minoribus, usus rationis, seu septennium, *ex Bened. XIV. in Const.* Eo tempore, *fol.* 512. *edit. Ven.* §. 19.
        - Subdiaconatu, vigesimus primus completus. — Diaconatu, vigesimus secundus completus. — Presbyteratu, vigesimus quartus completus. } *ex Tridentino Sess.* 2. *de Refor. cap.* 12.
        - Episcopatu, trigesimus completus ex dispositione Concilii Lateranensis relati, *Cap.* Cum in cunctis *de electione & electi potestate*; excipe postulatum, postulatio enim alicujus in Episcopum fieri potest dummodo postulandus expleverit vigesimum septimum ætatis suæ annum, *ex dispositione juris.*
      - 2. Super quam dispensare potest non solum Papa, sed & ex privilegio Episcopi Germaniæ ad suscipiendum sacrum Presbyteratus Ordinem, sed non nisi urgente necessitate, vel utilitate Ecclesiæ & super defectu unius dumtaxat anni.
      - 3. Antequam,
        - Ordinans scienter aliquem, suspenditur post sententiam a collatione omnium Ordinum, & Ordinatus ipso facto suspensus est, & quidem non solum usque ad legitimam ætatem, sed perpetuo, donec beneficium absolutionis consequatur.
        - Ordinans, & Ordinatus bona fide ante legitimam ætatem, sicut non peccarunt, ita nec incurrerunt ullam pœnam: si tamen post susceptum bona fide ordinem veniret in cognitionem erroris, non posset licite ministrare in suscepto ordine, donec ad legitimam ætatem perveniret: & ministrans peccaret quidem mortaliter, nullam tamen inde incurreret irregularitatem; superveniente autem legitima ætate, cessat absque ulla dispensatione impedimentum ratione ordinati bona fide.
    - 6. Scientia proportionata cuilibet Ordini, scilicet pro
      - 1. Prima Tonsura, fidei rudimenta, legere & scribere; *ex Trident. Sess.* 23 *c.* 4.
      - 2. Minoribus præterea linguam latinam callere, *ex Tridentino ibid. c.* 11., excipe homines Religionis Illyricæ, *ex declaratione S. Congregationis in annexis ad Tridentino.*
      - 3. Subdiaconatu & Diaconatu, esse instructum in litteris & iis quæ ad ordinem suum exercendum pertinent, *ex Tridentino ibid. cap.* 13.
      - 4. Presbyteratu, ut possit populum instruere in necessariis ad salutem & Sacramenta administrare, *ex Tridentino ibid. cap.* 14.
      - N. B. *In Religioso ordinando minor scientia requiritur, nam ex Glossa in can. Legis epistola* 36. *Causa* 16. *quæst.* 1. *ad Verbum Instructio ait:* sufficit Monacho quod tantum bonus sit, licet illiteratus.
    - 7. Titulus legitimus honestæ sustentationis, de quo Tabula sequenti.
    - 8. Ordo debitus & carentia omnis canonici impedimenti, de quibus Tab. CLXXXII.
  - **** Ad fructum & securitatem**
    - 1. Exercitia spiritualia decem dierum, quæ ab initiandis Sacris Ordinibus præmitti debent, ex Decretis S. Congregationis, quæ referuntur a Benedicto XIV. *tit. Instit. Eccl. Instit.* 104., quæ quamvis respiciant solam Italiam & Insulas adjacentes, attamen Episcopi etiam extra Italiam idipsum ab ordinandis observari mandant; & merito quidem pro status gravitate & periculis, ne Ordinandi viam sanctitatis ingredientes a via salutis aberrent: imo bene perpendentes Ministerii celsitudinem & quanta Ecclesiasticum deceat puritas, quanta innocentia, vires pensent num suffecturæ sibi ad se continendum inter arctos boni Ecclesiastici limites.
    - 2. Divina Vocatio, ut positus quis eat & fructum afferat, & ejus fructus permaneat. *Vide ad calcem* Tab. CLXXXII. (A)

TAB. CLXXXI. *De Titulo sustentationis requisito ad suscipiendos licite sacros ordines.*

Titulus ad Ordines licite suscipiendos

I. Requiritur jure tam antiquo, quam novo Tridentini ad honestam Clerici sustentationem pro suscipiendis Sacris Ordinibus (pro suscipiendis enim Minoribus nullus titulus exigitur): quod si Episcopus aliquem ordinaret sine certo titulo, tamdiu ei necessaria subministrare deberet, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiæ Clericalis assignaret, nisi talis Ordinatus aliunde haberet, quo honeste sustentari posset, *ex cap.* Cum secundum 16. *de Præbendis & dignitatibus, et cap.* Si Episcopus 31. *de Præbendis* 126.

II. Debet esse quid perpetuum, immobile non revocabile, distinctum a lucris quotidianis: hinc nequit quis ordinari intuitu stipendii ex Missis, Musica, vel instructione puerorum percipiendi, vel ex Vicariis, seu Capellaniis temporalibus.

III. Est quadruplex

Beneficium ecclesiasticum

1. Pacifice possessum sufficiens ad honestam Clerici sustentationem, sive juxta taxam Synodalem, sive ea deficiente juxta morem Regionis, detractis oneribus, *ex Tridentino, et Innocentio XII.* An vero detrahi etiam debeant onera Missarum, ultimo declaratum fuit a Sacra Congregatione, id relinquendum esse conscientiæ, & arbitrio Ordinatiorum, *ut refert Benedictus XIV. Syn. Diœc. lib. 12. c. 9. n. 6.*

2. Tenue suppleri potest additione Patrimonii ex declaratione Sacræ Congregationis in causa Seguntina an. 1519. apud Bened. XIV. *Instit. Eccles.* 26. §. *Itaque rejectis, & inter declar. annexas Trident.*, sine contradictione prohibitionis factæ ab Innocentio XII., de qua in Tabula CLXXVII., quia illa solum respicit Episcopum ordinantem aliquem ad titulum beneficii in aliena Diœcesi obtenti, *ex Bened. XIV. Syn. Diœces. lib.* 12. *c.* 9.

3. Ad cujus titulum quis ordinatus est, nequit resignari, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admitti potest, nisi prius constet, quod aliunde commode vivere possit sub nullitate actus, *ex Tridentino Sess.* 21. *de Reform. c.* 2.

4. Quo abutens seu conveniens cum Collatore beneficii, vel cum illo, qui resignare ipsi vult suum beneficium, quod fructus beneficii minime velit percipere, ut hoc modo faciliorem sibi viam sternat ad obtinendos ordines, talis ipso jure est suspensus, adeo quod nec ad superiores Ordines ascendere possit, nec in suscepto ministrare, nisi obtenta a Sede Apostolica dispensatione, *ex Benedicto XIV. Instit. Eccles.* 26. §. *Pro ulti.*

Patrimonium

1. Ex Concilio Lateranensi approbante Tridentino, qui tamen titulus ille admitti non debet, nisi pro casu quo judicaret Episcopus necessarium esse pro necessitate, vel utilitate suarum Ecclesiarum, *ex Tridentino, adjuncta declaratione Sacræ Congregationis*, sub Innoc. XI. 13. maii an. 1679. *relat. a Bened. XIV. Instit.* 26. §. *Temporis autem.*

2. Ad cujus titulum quis ordinatur, quod nequit sine Episcopi licentia alienari, aut extingui, aut remitti, nisi vel ordinatus beneficium ecclesiasticum sufficiens statui suo sit adeptus, vel aliunde habeat unde vivere possit, *ex Tridentino:* imo licentia Episcopi requiritur etiam respectu illius, qui beneficium sufficiens ad honestam sustentationem postea acquisivisset, *ex Declar. Sacræ Congr. apud Bened. XIV. Instit. ad* §. *Qui patrimonium; et Syn. Diœc. lib.* 12. *c.* 9. *n.* 1.

3. Cujus alienatio, propria auctoritate facta, vel etiam de licentia Episcopi, non facta mentione in instrumento alienationis, quod ejus titulo fuerit ordinatus, ipso jure nulla est, *ex Declar. Sac. Congr.:* quod & provenit de permutatione ipsius cum aliis bonis. *Apud eumd. Syn. Diœc. loc. cit.*

4. Quo abutens, id est conveniens cum Patrono de Patrimonio non utendo, vel eo post susceptos ordines restituendo, vel illo ad certos tantum annos habendo, vel de fructibus ejus alteris cedendis, peccat mortaliter, nec tenetur stare tali conventioni & pacto.

Mensa

1. Ubi viget consuetudo ordinandi Clericos cum solo titulo Mensæ, uti viget in Germania, & in quibusdam aliis Regionibus, vi cujus vel Princeps territorialis, vel Civitas quædam aut Monasterium per litteras sese obbligat præstare in subsidium tali Clerico necessaria alimenta, quando hic præ infirmitate, vel decrepita ætate, vel alia de causa amplius se sustentare non posset.

2. Pro casu Ordinatus titulo solius Mensæ reduceretur ad impotentiam, & sublevari non posset ab illo qui titulum Mensæ constituit, teneretur talem providere Episcopus de bonis Ecclesiarum, *ex cap.* 2. 4. *et* 16. *de Præbendis et Dignitatibus.*

3. Suscipiens Ordines sacros sine vel cum ficto titulo, ipso jure est suspensus, *ex Can.* 1. *et* 2. *Distinct.* 20.

4. Ordinatus in subdiaconum sine titulo vel cum titulo sive Beneficii, sive Patrimonii, quem postea amisit, non potest ad altiores ascendere, nisi prius acquirat & obtineat sive beneficium, sive patrimonium, sive titulum Mensæ.

5. Ordinatus titulo Patrimonii vel Mensæ debet instrumentum desuper confectum exhibere Episcopo, & publicari in Ecclesia in aliquo die festo quando magnus habetur concursus populi inter Missarum solemnia, & admoneri populus, ut sibi etiam secreto pateat, si forte ... vertatur quod bona illa non sint illius naturæ, nec eum fructum afferant

Paupertas Religiosa

1. Quo titulo solent omnes Religiosi professi ordinari, *ex Pontificali Romano.* Novitii autem, vel solum ad certum tempus professi nequeunt ordinari ad titulum paupertatis, & hinc si Novitius aliquis promoveri vellet ad sacros Ordines, deberet habere titulum vel Patrimonii, vel Beneficii, vel Mensæ.

* Expulsum a Religione debitis modis & firmis, Religiosum professum in sacris constitutum non tenetur Religio alere, eo plane modo, quo Episcopus non tenetur alere Clericum jure privatum suo beneficio, ad cujus titulum fuit ordinatus, nec Societas Jesu tenebatur olim alere dimissum a Religione, *ex Declaratione Benedicti XIII.*, manet tamen suspensus donec provideatur de titulo, *ex Eodem.*

TAB. CLXXXII. *De Reliquis requisitis ad suscipiendos licite Ordines, et Obligationibus ortis ex susceptione eorum.*

Suscipiens Ordines

I. Debitum ordinem

1. Servare debet, non suscipere Ordines per saltum, idest non suscipere superiorem, omisso inferiore, adeo quod præsumens per saltum ordinari peccet mortaliter, & incurrat suspensionem & quidem, *juxta probabiliorem*, ipso facto, in qua manere debet donec ab Episcopo dispensetur, ut ordinem prætermissum suscipiat & in suscepto ministrare possit, *ex cap. Tua littera ; de Clerico per saltum ordinato.*

2. Non observasset & ordinatus per saltum præsumpsisset præterea ministrare in ordine per saltum suscepto, seu ordinis superioris munia exercere, peccasset mortaliter & incurrisset irregularitatem ob violatam suspensionem; si tamen occculte id factum fuisset, posset cum tali Episcopus dispensare, eumque absolvere, *ex Tridentino:* imo etsi bona fide in ordine per saltum suscepto ministrasset, ad cautelam absolvendus & cum eo dispensandum, *ex quadam resolutione Sacræ Congregationis die* 5. *decembr. an.* 1744. *apud Ferraris verb.* Ordo *art.* 2. *n.* 32.

3. Præteriens & suscipiens sive minores, sive majores Ordines, non suscepta Tonsura, peccat quidem mortaliter, & defectus suppleri debet; nullam tamen incurrit censuram, quia non dicitur per saltum ordinatus, cum Tonsura non sit Ordo per dicta in Tab. CLXXV.

II. Carere debet omni impedimento Canonico, unde

1. Si innodatus irregularitate aliqua sive ex delicto, sive ex defectu, præsumeret vel suscipere Ordinem aliquem, vel in suscepto ministrare, gravissimi peccati reus esset, non tamen incurreret novam irregularitatem.

2. Accedens ad ordinationem innodatus aliquo impedimento canonico valide ordinatur, non obstante prohibitione præmissa, juxta Pontificale Romanum ab Episcopo, ne quis aliquo impedimento Canonico irretitus audeat accedere & suscipere sacros ordines, quia non obstante tale prohibitione Episcopus habet & retinet intentionem tales etiamnum ordinandi.

3. Si Episcopus sive per publicum edictum, sive oretenus in ipsa ordinatione protestaretur, se non intendere ordinare innodatos aliquo impedimento Canonico (quod tamen facere prohibetur), in tali casu ordinatio innodati impedimento canonico invalida esset, *ex Declarationibus Sac. Congreg.*, vel certe dubia, & ideo sub conditione repetenda, *ex Benedicto XIV. Syn. Diœc. l.* 8. *c.* 11. *n.* 2.

4. Innodatus aliqua censura, vel alio impedimento canonico præsumens ad altiorem ordinem ascendere, reus est gravis sacrilegii, nullam tamen incurrit irregularitatem, *ex Benedicto XIV. ibid. lib.* 12. *c.* 4. *n.* 7.

III. Sacros obligationem contrahit

1. Recitandi Divinum Officium, juxta dicta per extensum Tabula XXVII.

2. Recitandi certas preces ab Episcopo injunctas in ipsa Ordinatione, ad quas, juxta aliquos tenetur sub mortali: juxta alios tamen & forte probabiliorem, solum sub veniali, quia non constat de intentione Episcopi graviter obligandi.

3. Servandi castitatem

- In Ecclesia Latina ortam vel immediate ex voto tacite emisso in susceptione Ordinis Subdiaconatus vel ex præcepto Ecclesiæ; si tamen quis ordinatus fuisset ante usum rationis, non obligaretur servare castitatem, nisi pro casu quo post adeptos annos pubertatis, ratam haberet ordinationem sui factam ante usum rationis, sive verbo, sive facto, utendo nimirum Ordine Sacro, *ex Benedicto XIV. Constit. quæ incipit* Eo quamvis. *Tom.* 1. *Bull. fol.* 225. *edit. Rom.* §. 20.
- In Ecclesia Græca vero
  - In Minoribus constitutis permissum est contrahere matrimonium, & uxore retenta ad majores Ordines, etiam Presbyteratum, ascendere, *ex Benedict. XIV. Constit.* Constit. eadem, *tom.* 1. *Bull. ejusd.* §. 35. *fol.* 2005. *edit. Rom.*, si tamen in statu cœlibe sacris ordinibus fuerint insigniti, non permittitur eis contrahere matrimonium. *Ex eod. ibid.*
  - Sacris Ordinibus initiati contrahentes matrimonium, invalide illud contrahunt, *juxta probabiliorem*, & expressam Benedicti XIV. *in relat. Const.* §. 38., quidquid aliqui velint, illicitum quidem, validum tamen esse tale matrimonium.

IV. Regularis

Potest fieri Episcopus, excipe Fratres Minores, qui non nisi de licentia sui Ministri Provincialis, aut speciali mandato Sedis Apostolicæ, possunt fieri Episcopi, *ex Constitutione Alexandri III. Constit. quæ incipit* Petitio tua, *apud Rodericum in suo compend. Privileg.*

Assumptus ad Episcopatum

1. Tenetur deferre habitum suæ Religionis; excipe Clericos & Canonicos Regulares, *ex Bened. XIV. in sua Constit. quæ incip.* Biennium. *Tom.* 5. *Bull. ejusd.* §. 3.

2. Tenetur ad tria vota substantialia emissa in professione religiosa, *ex D. Thoma* 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 8., & ideo vi voti obedientiæ tenentur specialiter obedire Papæ, tanquam omnium Religionum Generalissimo; vi voti paupertatis nequit sine licentia Papæ testamentum condere; vi voti castitatis tenetur perfectiori modo continenter vivere.

3. Non tenetur nisi ex quadam decentia & honestate ad observantias regulares sive Regulæ, sive Constitutionum; imo nec tenetur ad alia vota, si quæ in professione religiosa emisisset, uti solent emittere Fratres Minimi de vita quadragesimali.

4. Tenetur post renunciationem factam Episcopatus redire ad Religionem, præciso speciali indulto Pontificio, *ex Bened. XIII. Const. quæ incip.* Custodes, *& XIV. Syn. Diœc. lib.* 12. *c.* 16. *n.* 4.

(A) Divina vocatio, quæ sicut prima conditio est absolute requisita in subjecto Ordinum, ita maxime exploranda, & precibus & jugibus lacrymis poscenda: huc enim maxime collimant gravissima Apostoli verba: *Probet autem seipsum homo &c.*, indifferentia quippe, qua potior pars statum Ecclesiasticum amplectitur, connotat multos non alium sibi ejusdem formare conceptum, quam rei, quæ sub nullius potestate constituta est primo occupantis, vel fundi alicujus feudalis, qui præter aliquod extrinsecum obsequium, nullam importet obligationem; vel viæ ad dignitates & divitias congerendas; vel portæ liberrimæ vitæ patentis. Unde sine vocatione, sine proposito sanctioris vitæ ineundæ, mirumne si post 40. annos in ordinibus consumptos, eadem aliqui, qua in adolescentia, vitiorum lege vivant, in ignorantia marcescant, intelligantque vix, quæ perfunctorie in Missa & Officio deblaterant, nihilque aliud sciant, quam scientiam palponum, ut beneficia & dignitates aucupentur, amicitias, protectiones sibi adsciscant victuri in multorum & multarum ruinam?

TAB. CLXXXIII. *De Sponsalibus et requisitis ad eorum valorem et liceitatem.*

Sponsalia, quæ sunt *promissio de futuro matrimonio contrahendo*

I. Ad valorem exigunt promissionem, quæ debet esse

1. Vera, seria, ac deliberata deliberatione, quæ sufficiat ad meritum, vel demeritum, unde si quis ficte promitteret, peccaret quidem mortaliter, & ad resarciendum damnum obligaretur, si quod inde secutum fuisset; sponsalia tamen nulla forent, & consequenter non adesset obligatio ea exequendi, extra tamen casum, quo quis sub ficta promissione matrimonii copulam extorsisset, præsertim a persona, quæ non potuit advertere fictionem, uti contingere solet inter personas æqualis conditionis, vel etiam inæqualis, addito juramento, nam in tali casu ficte promittens obligatur vi contractus innominati, *do ut des, facio ut facias.*

2. Facta ab ipsis, qui intendunt simul matrimonium inire, unde si parentes contraherent pro liberis, nullus est contractus; excipe casum, quo parentes præsentibus liberis & tacentibus, pro ipsis promittant, *ex cap. Si infantes, de Desponsatione impuberum in* 6., si tamen parentes contrahentes pro liberis absentibus, aut ignorantibus, & hi rescientes factum a parentibus ipsum ratificarent tacite vel expresse, valida essent sponsalia, *ex textu mox citato.*

3. Signo externo manifestata adeo, ut utrique parti sufficienter innotescat: illis autem signis, universaliter loquendo, censetur manifestari promissio sponsalitia, per quæ concurrentibus circumstantiis, juxta communem intelligentiam, usumque & consuetudinem loci, voluntas, seu consensus contrahendi exprimitur & manifestari potest, v. g. acceptatione & immissione annuli in digitum.

4. Ab altera parte acceptata: acceptatio enim ita necessaria est, ut hac secuta promissio matrimonii alteri facta nullam firmitatem habeat, sed revocari pro libitu promittentis possit, etsi hic jurasset, quamvis peccaret contra juramentum.

5. Mutua, seu reciproca, idest ut altera etiam pars repromittat: & licet aliqui velint censeri reciprocam, eo ipso quod ab altera parte sit acceptata, alii tamen, & quidem probabilius, negant, quia per illam acceptationem puella v. g. solum acceptat fidem ab altero præstitam, si ipsa voluerit, non autem absolute acceptat matrimonium, seu non repromittit.

6. Non inductiva scandali, si enim ex matrimonio ineundo prævideretur probabiliter secuturum scandalum, uti prudenter prævideri possit, si quis ex honestis parentibus natos, vellet inire matrimonium cum persona vilis conditionis, sponsalia inter tales personas nulla forent, *& ita decisum fertur a Sacra Congregatione anno* 1723. *&* 1725.

7. Facta inter personas ætatem sufficientem habentes, qualis tam respectu maris, quam fœminæ est septennium completum, *ex cap.* 3. 4. *&* 5. *de desponsatione impuberum*, nisi malitia, vel melius prudentia suppleat ætatem, in quo casu valida essent sponsalia contracta ante septennium, *ex Glossa in cap. Juvenis* 3. *de Sponsalibus & verbum Dubia*, & hinc si parentes contraherent pro liberis minoribus septennio, nulla forent sponsalia, nisi liberi facti septennio majores ea ratificarent; *ex cap. si Infantes; de Desponsatione impuberum in* 6.

8. Inter personas nullo impedimento sive impediente, sive dirimente irretitas, & hinc si contrahentes essent invicem consanguinei, vel affines, aut unus eorum voto simplici castitatis ligatus, nulla essent contracta inter ipsos sponsalia, etsi contracta fuissent sub conditione: si Papa dispensabit; & quidem juxta probabiliorem, etiam pro casu in quo agatur de impedimento, super quo Papa dispensare solet, & adsit causa, in quorum opinione sequitur, quod obtenta etiam dispensatione possint tales resilire a sponsalibus, reluctante etiam parte altera.

N. B. *Facta concurrentibus mox dictis valida sunt, & inducunt per se loquendo obligationem gravem ineundi matrimonium*, ex cap. Præterea 1. de Sponsalibus, *etsi contracta essent sine consensu Parentum, juxta probabiliorem fundatam in Can. Sufficiat* 2. *Causa* 27. *qu.* 3., *ubi dicitur, quod sufficiat consensus eorum, de quorum conjunctionibus agatur, quod extra dubium est, etiam in Statu Austriaco, si puella vel juvenis esset majorennis, seu complesset annum ætatis* 24.

II. Ad valorem sponsalium non requiritur ut sint contracta in præsentia aliorum, *ex communi Doctorum, & expressa Bened. XIV. tum lib. Instit. Eccles.* 46. §. Hac vero, *& Syn. Diœc. lib.* 12. *c.* 5.

III. Contracta ex metu gravi injuste incusso vel nulla sunt, vel subsunt irritationi, *ex cap. ex Litteris* 11. *de Dispensatione impuberum.*

IV. Valide contracta si alterutra pars renuat implere absque legitima causa, potest a Judice Ecclesiastico compelli primo monitione & comminatione, *ex cap. Præterea* 2. *de Sponsalibus*, dein potest progredi ad pœnam corporalem, v. g. carceres, ac tandem spiritualem videlicet censuram, *ex cap. Litteris* 10. *de Sponsalibus*: quod si his omnino adhibitis adhuc renuat, non est ultra cogendus, *ex cap. Requisivit* 17. *de Sponsalibus*, potest tamen renuens adigi ad compensationem pecuniariam exigente parte, etsi hæc damnum nullum pateretur, ex dissolutione sponsalium, *ex probabiliori.*

V. Suscipiunt valide & licite adpositionem pœnæ conventionalis solvendæ ab eo qui injuste resilit, quidquid aliqui contrarium sentiant.

VI. Ut filii, vel filiæ licite contrahant, debent prævie petere consilium a parentibus, vel aliis, sub quorum cura existunt, natura dictante, quod negotium summe arduum non sit aggrediendum sine consilio & consensu eorum, *ex Benedicto XIV.*

VII. Debent adimpleri tempore præfixo, vel quam primum moraliter fieri potest, si nullum tempus sit præfixum, *ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii.*

TAB. CLXXXIV. *De Dissolutione Sponsalium alias valide contractorum.*

Sponsalia

I. Dissolvi possunt

1. Ex mutuo consensu, si supponantur facta inter puberes, quod verum est, licet fuissent juramento firmata, dummodo consensus iste fuerit liber a fraude, dolo, vel metu gravi injuste incusso. Inita autem inter impuberes nequeunt infra annos pubertatis mutuo consensu dissolvi, *ex cap. de illis* 6. *de Dispensatione impuberum;* quod si pubes cum impubere contrahat, pubes nequit resilire, bene vero impubes post adeptam pubertatem, nisi ratificaverit sponsalia.

2. Quando una pars a sponsalibus sive juste sive injuste recedit, etiam altera pars recedere potest, sive dein verbis, sive facto recedat: si tamen injuste quis recederet, pars innocens potest injuste resilientem tenere obligatum.

3. Si alteruter sponsus, inscia, vel contradicente parte, alio proficiscitur, *ex cap. de illis* 5. *de Sponsalibus &c.*, & licet jus civile velit biennium expectandum, jure tamen Pontificio nullum tempus ad expectandum præscribitur, quamvis Bened. XIV. *Instit. Eccles.* 46. §. *Attamen*, velit in mox dicto casu recurrendum ad Episcopum, qui absenti tempus aptum constituat, quo redire debeat, qui si non redierit, liberum erit parti eligere quod voluerit.

4. Dum quis ultra terminum ab initio præfixum sine legitima causa differt contrahere matrimonium, in hoc enim casu respectu utriusque dissolvuntur sponsalia; quod verum est, sive dilatio supponatur culpabilis, sive inculpabilis, *juxta probabiliorem:* quod si vero contracta sint sponsalia sine præfixione temporis, ad judicem pertinebit decidere, an & quanta mora sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia.

5. Per ingressum alterutrius sponsi in Religionem, respectu remanentis in sæculo, adeo quod hic statim possit alteri nubere; secus vero respectu ingredientis religionem, et si ingressus egrediatur, & remanens in sæculo velit illum habere; tenetur adimplere sponsalia: a fortiori autem per ipsam professionem religiosam dissolvuntur sponsalia, extra tamen casum quo quis ingressus fuisset Religionem, & in ea professus in fraudem, ut si post defloratam virginem sub vera, vel facta promissione Matrimonii ingrederetur & profiteretur, quia in tali casu nulla foret professio, nisi damnum aliter recuperari posset.

6. Per susceptionem Ordinis sacri, qui tamen nequit licite suscipi post inita sponsalia, *juxta probabiliorem*, quidquid aliqui contrarium sentiant: per susceptionem autem minorum Ordinum non dissolvuntur sponsalia, nisi respectu partis alterius, si hac inscia, invita, alter susciperet minores Ordines.

7. Per votum emissum post contracta sponsalia respectu partis non voventis, *ex cap. Veniens* 5. *Qui Clerici, vel voventes &c.*, respectu tamen voventis non dissolvuntur sponsalia, quidquid aliqui contrarium sentiant; quamvis tam votum suscipiendi Ordines sacros, quam votum continentiæ emissum post contracta sponsalia adimpleri debeant, vel consentiente altera parte, vel mortua comparte, vel abstinendo se a petendo debito donec dispensetur.

8. Per Matrimonium subsequens contractum cum alia persona, *ex cap. Si inter virum* 31. *de Sponsalibus &c.*, & id verum est, licet subsequens matrimonium invalidum esset; reviviscunt tamen priora sponsalia, tum pro casu, quo Matrimonium subsequens nullum foret, tum pro casu, quo Matrimonium morte uxoris solveretur, adeo quod teneatur priori, si hic, vel hæc velit adhærere, *juxta probabiliorem.*

9. Per sponsalia posteriora contracta cum alia persona, saltem respectu partis, quæ non resilivit, nec præbuit occasionem resiliendi; secus vero respectu illius, qui resilivit, etsi in posterioribus inter sponsos conscios priorum sponsalium intervenisset copula carnalis, etiam sub spe Matrimonii.

10. Per Fornicationem

- Sponsæ, sponsalia præcedentem, si fornicatio illa antecedenter ignorata fuisset a sponso, *ex communi;* quia talis fornicatio notabilem mutationem causat ex parte sponsæ & inducit ex parte sponsi irregularitatem bigamiæ; quod si vero sponsus conscius fornicationis antecedenter commissæ a sponsa contraxisset sponsalia, ratione illius non posset retrocedere, *ex capite Quemadmodum* 5. *de jurejurando juncta Glossa ad verbum Præcedentem.*
- Sponsæ, subsequentem ad contracta sponsalia, licet sponsalia fuissent juramento firmata, *ex textu mox cit.*, quod verum est, etsi sponsa post contracta sponsalia violenter oppressa fuisset, *ex can. Raptor* 33. *Causa* 27. *qu.* 2., quia per talem fornicationem redditur sponsa notabiliter vilior, eamque ducenti probrosum est.
- Sponsi, commissam post contracta sponsalia, *ex textu Quemadmodum supracit.;* si tamen sponsa non obstante fornicatione sponsi vellet huic nubere, non posset resilire sponsus. Per fornicationem vero sponsi commissam ante contracta sponsalia non dissolvuntur sponsalia, saltem extra casum, quo sponsus ex fornicatione haberet prolem alendam.

11. Si parentes juste contradicant, prout juste contradicere possunt, si futurum inter sponsos Matrimonium vergeret in opprobrium parentum, ac dedecus Familiæ, Parentesque inde multum indignarentur, offenderentur, contristarentur, *ex Bened. XIV. ibid.* §. *Itaque*, quod verum asserit, etsi sponsalia fuissent juramento firmata.

12. Si inita sint, licet inter æquales, vel saltem non multum inæquales, contra voluntatem parentum protestantium se velle usque ad legitimam exhæredare filium; aut filiæ recusarent dare ultra dotem id, quod alias dedissent, si alteri nubere vellet; in hoc enim casu pars minas non patiens potest resilire, saltem extra casum, quo antecedenter id non prævidisset, aut præscivisset: altera vero pars minas patiens non posset resilire, recusante altera parte; sola tament contradictio parentum non videtur causa sufficiens dissolvendi sponsalia.

13. Per supervenientem notabilem mutationem in bonis corporis, fortunæ, animi, *ex cap. Quemadmodum* 25. *de jurejurando*, & hinc si inter sponsos supervenirent extraordinariæ animorum aversiones, possent a sponsalibus resilire.

14. Per superveniens impedimentum dirimens, ut si sponsus carnaliter cognoscat consanguineam in primo, vel secundo gradu, v. g. sororem sponsæ: in quo casu sponsa innocens potest resilire, licet nocens vellet obtinere dispensationem; in casu quo tamen innocens, non obstante tali impedimento, nollet nocenti dare libertatem, teneretur hic ad exigentiam partis petere dispensationem, etsi magnis expensis procuranda esset.

Ex mox relatis & similibus motivis possunt dissolvi sponsalia etiam juramento firmata, *ex cap. De illis* 6. *de Desponsatione impuberum:* ad quorum dissolutionem per se loquendo nulla requiritur Judicis sententia, sive sponsalia sint publica, sive occulta, quando causa dissolvendi est certa; si vero sit dubia, debet intercedere sententia Judicis.

II. Dissoluta

- Obligant injuste resilientem ad restitutionem Arrhæ, quam in contractu sponsalium accepit; quod si & ipse resiliens Arrham reciproce dedisset parti, quam deserit, suam amittit, & restituere tenetur quam accepit.
- Juste resilientem non privant jure repetendi & recuperandi Arrham, quam dedit: quo non obstante tenetur restituere quam accepit.

TAB. CLXXV. *De Denunciationibus praemitti solitis Matrimonio de praesenti.*

Denunciationum praemitti solitarum ad matrimonium

I. Obligatio

1. Ut præmittantur a proprio contrahentium Parocho, vel ejus substituto sub peccato mortali, *ex Concilio Lateranensi & Tridentino Sess. 24. de Reform. Matrim. c. 1.*
2. Tribus continuis diebus festivis fieri debent, qui juxta probabiliorem debent esse interpolati saltem ab una alterave die feriali, quidquid aliqui negent, necessario exigi talem interpolationem, adeoque Tridentinum exigens tres continuos dies festivos, solum vult, ne aliquis dies festivus, v. g. ne aliqua Dominica ab incœpta prima publicatione omittatur, quamvis omissio unius dumtaxat diei Dominicæ non inducat mortale.
3. In Profesto aliquo fieri possunt, dum magnus populi concursus habetur, quæ fieri possunt tum intra Ecclesiam, etiam extra Missarum solemnia, v. g. post vel ante concionem, aut etiam functionem Ecclesiasticam, tum extra Ecclesiam, ubi fideles essent in festo congregati.
4. In utraque Parochia fieri debent, si sponsi sint diversæ Parochiæ, *ex Rituali Romano;* imo etsi unus, derelicta Parochia, habitare cœpisset alterius sponsi Parochiam, saltem extra casum, quo per plures annos propriam Parochiam deseruisset.
5. Si intra quatuor menses, imo juxta Rituale Romanum, si intra duos menses a denunciationibus factis non contrahatur Matrimonium, debent repeti vel omnes, vel duæ, vel una arbitrio Ordinarii, *ex Declaratione Sacræ Congregationis apud Clericatum de Matrim. Decis. 24. n. 14.*
6. Si a principio omissæ fuissent ob timorem, & probabilem suspicionem, ne malitiose impediretur matrimonium, si publicaretur, debent fieri ante consummationem Matrimonii, *ex dispositione Tridentini ibid.*

II. Omissio inducit

1. Peccatum grave tam respectu Parochi omittentis vel unicam, juxta probabiliorem, quam respectu contrahentium: non tamen inducit nullitatem matrimonii.
2. Pœnam suspensionis ab officio per triennium respectu Parochi omittentis sine necessitate vel dispensatione, quam pœnam incurrit Parochus post sententiam, a qua intra triennium non posset absolvi ab Episcopo, *juxta aliquos relatos a Bened. XIV. Syn. Diœc. lib. 2. c. 6. n. 2.*
3. Duplex peccatum mortale respectu contrahentium & simul consummantium matrimonium saltem prima vice, imo respectu dubitantium de impedimento toties quoties consummant, cum extet præceptum Tridentini tum ne contrahatur omissis denunciationibus, tum, ut pro casu quo contractum sit, ante consummationem matrimonii fiant.
4. Ademptionem spei impetrandæ dispensationis, casu quo inter contrahentes intercederet impedimentum dirimens, *ex Tridentino ibid. Sess. 24. de Reform. Matrim. c. 1. & 5.*
5. Illegitimationem, seu quod proles procreatæ ex matrimonio contracto omissis denunciationibus reputentur illegitimæ, si sint procreatæ a parentibus aliquo impedimento dirimente ligatis, quamvis parentes ignorassent impedimentum, *ex Concilio Lateranensi relato cap. Cum inhibitio 3. de Clandestina Dispensatione, et Tridentino ibid.*
6. Condignam aliquam pœnitentiam imponendam ab Ecclesia subeundam ab ita contrahentibus, ob contemptum mandati Ecclesiæ, *ex Concilio Lateranensi rel. cap. Inhibitio 3. de Clandest. Desponsat.*

III. Finis, ut Ordinario, vel Parocho reveletur impedimentum, sive dirimens, sive impediens, licet occultum, casu quo contrahere volentes, essent aliquo innodati: ad quod quivis sciens tenetur sub mortali, etsi sub secreto naturali, juramento firmato, accepisset, saltem extra casum, quo ex revelatione sequi deberet infamia ipsius revelantis, aut scandalum, vel prævideretur quod monitio privata sit profutura, & hinc in casu quo frater sponsi prius carnaliter cognovisset ipsam sponsam, non teneretur id manifestare, sed satisfaceret suæ obligationi, si sponsam sui complicem admoneret impedimenti, aut procuraret occulte dispensationem pro fratre.

IV. Dispensatio

Competit

- Episcopo, ejusque Vicario generali *ex Tridentino ibid.*, & Sede Vacante Episcopali, Vicario Capitulari.
- Abbatibus populum cum territorio separato subjectum habentibus & in eum jurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus sine ulla subjectione ad aliquem Diœcesanum.
- Archiepiscopo tempore visitationis, aut in causa appellationis respectu subditorum sui Suffraganei.
- Nulli Parocho competit, licet, urgente necessitate, possit non præmissis denunciationibus assistere matrimonio utendo Epicheja.

V. Causa

- Prædicti nequeunt dispensare sine legitima causa, *ex Bened. XIV. Constit. quæ incipit* Satis vobis. *Tom. 1. Bull. ejusd. fol. 40. edit. Rom.* §. 5., & hinc antequam dispensent, debet se diligenter informare super legitima & justa causa, ac super libertate sponsorum, & quod inter ipsos nullum extet impedimentum.
- Supposita justa & legitima causa, tenentur prædicti dispensare, & pro casu quo injuste denegaretur dispensatio, posset appellari ad Metropolitanum.
- N. B. *Episcopus loci, in cujus Diœcesi celebratur matrimonium, dispensat ex praxi, etsi sponsi essent ex diversis Diœcesibus, quamvis utriusque Episcopus dispensare cum ambobus sponsis possit.*

* Matrimonia conscientiæ a Germanis vocata *Morganatica*, valida quidem sunt, utpote contracta coram Parocho & duobus saltem testibus, in occulto tamen, atque adeo omissis denunciationibus: facile tamen non esse admittenda, inquit Benedictus XIV. *Syn. Diœc. l. 13. c. 23. n. 12.*, tum propter scandalum, quod vix evitari potest, tum propter damna, quæ prolibus obveniunt, & a Sacro Pœnitentiariæ Tribunali, eo solum casu admittuntur, quo vir & fœmina in figura matrimonii publici degentes & de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverant, & quamvis laudatus Pontifex non neget admitti posse talia matrimonia occurrentibus similibus, vel etiam urgentibus casibus, aliqua tamen præscribit in sua prælaudata Constitutione, quæ incipit *Satis vobis*, sedulo admadvertenda ab Ordinariis.

TAB. CLXXXVI. *De Constitutivis intrinsecis matrimonii.*

Matrimonium est *legitimus ac indissolubilis contractus inter virum, et fœminam, quo traditur et acceptatur mutua corporum potestas, cujus*

I. Institutio in ratione contractus est a Deo facta dum Adam, & Evam creavit, quod a Christo Domino elevatum est ad rationem, & dignitatem Sacramenti: dum asserens, *quod Dei conjunxit, homo non separet*, sustulit libellum repudii, & polygamiam, seu pluralitatem uxorum.

Ratio Sacramenti est inseparabilis a ratione contractus in matrimonio contracto inter fideles baptizatos, adeo quod fideles baptizati nequeant verum matrimonium contrahere, & non Sacramentum *juxta probabiliorem*, ex quo fit, quod matrimonia hæreticorum, seu inita inter duas personas hæreticas habeant rationem contractus, & sacramenti, nisi inter ipsos obstet aliquod impedimentum: e contra matrimonium infidelium habeat solum rationem contractus, neque Sacramentum evadat, dum uterque ad fidem convertitur, *juxta probabiliorem*.

II. Constitutivum intrinsecum & formale est mutuus contrahentium consensus verbis, vel nutibus expressus, *ex Can. Sufficiat* 2. *causa* 27. *quæst.* 2., *& cap. ad locum* 14. *de Sponsalibus*, adeo quod corpora contrahentium habeant rationem materiæ remotæ, traditio vero ipsorum corporum, seu mutuus consensus contrahentium habeat rationem materiæ proximæ: forma vero sunt verba sive virtualia illam traditionem significantia, seu est idem consensus prout habet rationem acceptationis.

III. Consensus signis, vel nutibus externis expressus

1. Ordinarie debet esset absolutus, nec permittendum ut sub ulla conditione præsertim de futuro, contrahatur ob plures inconvenientias, & si admitteretur sine justa & gravi causa, tam Parochus assistens permittendo, quam contrahentes eam apponendo peccarent mortaliter, *ex Clericato:* quamvis absolute loquendo præstitus sub conditione sive de præterito, sive de futuro non obstet valori, dummodo non repugnet substantiæ, seu bonis matrimonii.

2. Præstitus sub conditione de futuro contingenti possibili, & honesta, præsentibus Parocho, & Testibus, eveniente conditione, statim transit in absolutum, etiam sine novo consensu, & Parochi, ac Testium præsentia, *juxta communiorem, & veriorem*.

3. Præstitus sub conditione nunquam petendi, vel reddendi debitum, aut perpetuam servandi continentiam, vel ingrediendi Religionem, nullus est, supposito quod conditio deducta sit in pactum, *ex Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib.* 13. *c.* 22. *n.* 10., secus si conditio illa solum mente retenta esset: & hinc matrimonium contractum a B. Virgine voto virginitatis adstricta cum S. Josepho, validum fuit, quia votum illius virginitatis corde conceptum, & quidem sub conditione, nisi Deus aliter disposuerit cum ipsa, solum postquam genuit filium simul cum viro labiis expressit, *ex Can. B. Maria* 3. *caus.* 27. *quæst.* 2., *& Bened. XIV.*

4. Præstitus sub conditione de futuro turpi, vel impossibili repugnante substantiæ matrimonii, aut ejus bonis, nullus est, *ex cap. Si conditiones* 7. *de Conditionibus appositis, et Bened. XIV. ibid. n.* 6., supposito quod conditio deducta fuerit in pactum; validus autem si non repugnet substantiæ matrimonii, aut non si deducta in pactum.

5. Præstitus sub conditione turpi, vel impossibili de præsenti, vel præterito, validus est, si conditio subsistat, invalidus si non subsistat, nisi revalidetur cognita non subsistentia ipsius.

6. Præstitus mediante Procuratore, Nuncio, vel Epistola (præsentibus tamen Parocho, & Testibus) valet etiam in quantum habet rationem Sacramenti, *juxta probabiliorem, et veriorem*, quidquid aliqui velint, solum ratione contractus subsistere præstitum per Procuratorem.

N. B. *Conditiones, quæ de jure insunt contractibus, ut si Religionem intravero, non sunt natæ ipsum matrimonium suspendere, nec faciunt conditionatum, sed absolutum consensum, et consequenter non obstante illa conditione absolute contrahitur obligatio carnalis conjunctionis, quæ per conditionem aliam appositam ab ipsis contrahentibus tolleretnr, uti dictum.*

IV. Divisio est in

1. Legitimum, quod scilicet legitimo consensu inter personas non impeditas constitutum est, quod solvi potest favore fidei, dum ex duobus conjugibus infidelibus, alteruter convertitur ad fidem, utpote significans solum conjunctionem Dei cum anima fideli per gratiam.

2. Ratum, quod juxta Innocentium III. dicitur: quatenus legitimo illo contractui addit rationem Sacramenti, quo majorem firmitatem, & stabilitatem indissolubilem acquirit: juxta communem vero aliorum ratum dicitur, quousque copula maritalis non intercessit inter legitime contrahentes, & hoc solvi potest favore professionis religiosæ, ac per dispensationem Papæ, significatque conjunctionem Christi cum Ecclesia per gratiam, *ex Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib.* 13. *t.* 21. *n.* 4.

3. Consummatum, quod per carnalem copulam completur ac perficitur, quod solvi nequit, quoad vinculum, utpote significans conjunctionem Verbi cum natura humana per Incarnationem, *ex Bened. XIV. ibid.*

V. Minister, sunt ipsi contrahentes, non vero Parochus, vel alius Sacerdos: utpote qui solum habet rationem testis authentici, *justa probabiliorem, et expressam Benedicti XIV. Syn. Diœc. lib.* 8. *c.* 13. *n.* 3., quidquid aliqui velint, Ministrum matrimonii, quatenus habet rationem Sacramenti, esse Sacerdotem. Quare in priori sententia verba illa *conjungo vos*, quæ profert Sacerdos conjungens sponsos faciunt hunc sensum: *ego tanquam testis necessasius, declaro vos conjunctos, seu firmo, et ratam habeo conjunctionem vestram.*

VI. Substantialia bona sunt

1. Bonum fidei, consistens in obligatione servandi fidem thori conjugii: & hinc qui contraheret hoc modo: *contraho* tecum, si adulterium cum aliis committes, altera parte acceptante, nullus esset contractus.

2. Bonum prolis, consistens in obligatione suscipiendi, nutriendi, & educandi prolem: & hinc qui contraheret hoc modo: *contraho tecum, si generationem prolis evitabis etc.*, nullus esset contractus.

3. Bonum Sacramenti, consistens in indissolubilitate vinculi pro tempore vitæ utriusque. Unde qui contraheret hoc modo: *contraho tecum, donec inveniam aliam te ditiorem, vel pulchriorem*, nullus esset contractus.

4. Indissolubilitas autem matrimonii non solum provenit ex Sacramento, quatenus significat conjunctionem Verbi cum natura humana, sed a præcepto divino positivo, cum Christus, dixerit, *quod Deus conjunxit, homo non separet.*

VII. Finis est

1. Conjunctio animorum, aut sanctificatio conjugum, si sermo sit de matrimonio contracto in ordine ad solam obligationem copulæ, prout fuit matrimonium Beatæ Mariæ Virginis.

2. Generatio prolis, si sermo sit de matrimoniis, quæ ordinarie contrahi solent, scilicet non solum quoad obligationem, sed & quoad executionem copulæ, per respectum ad quem est finis primarius.

3. Evitatio incontinentiæ, quod si primario ob hunc finem contrahatur, erit ad summum veniale, si contrahentes sint tales, qui possint prudenter primarium intendere, secus nec veniale, ut in senibus, & prægnantibus.

* Divitiæ, voluptas, bonum nomen, honesta familia, aliique extranei nequeunt habere rationem finis primarii absque peccato veniali.

N. B. *Benedictio solemnis nuptialis, quæ fit, ut præscribitur in Missa votiva pro Sponsis, non est sub obligatione, etiamnum veniali, præmittenda ad consummationem matrimonii*, ex Benedicto XIV. Instit. Eccles. Instit. 80. §. Sed jam, *quidquid aliqui velint adesse obligationem gravem, quamvis hortandi sit Sponsi, ut ante benedictionem non cohabitent*, ex Tridentino ibid.

Impedimenta impedientia Matrimonii, seu, quae faciunt ut valide quidem, sed illicite, contrahatur, sunt quatuor

Sequentibus versibus expressa: *Sacratum, tempus vetitum, sponsalia, votum*
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

I. Sacratum tempus; quod censetur a

1. Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniae inclusive, *ex Tridentino Sess. 24. de Reform. Matrim. c. 10.*

2. Feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive, *ex Tridentino ibid.*

N. B. 1. *Isto tempore prohibentur ex jure solum solemnes nuptiae, secus vero privatae: solemnes autem censentur, dum Nuptiae solemniter benedicuntur, traducitur Sponsa in domum Sponsi, cum plausu, comitatu & strepitu, celebrantur convivia, choreae, & similia, ex* Benedicto XIV. Lib. Instit. Eccles. 80. §. Postremo loco.

2. *Si in aliqua Dioecesi introducta esset consuetudo, quae haberet vim legis, ut etiam sine solemnitatibus dictis temporibus non celebretur Matrimonium sine dispensatione Episcopi, non possent dictis temporibus etiam privatae nuptiae celebrari,* ex Benedicto XIV. ibid. Instit. 80. §. Quid igitur.

II. Vetitum tempus, ad quod pertinet

1. Directe prohibitio facta ab Episcopo, vel ejus Vicario, aut a Parocho, & a fortiori Papa, vel hujus Delegato; & hinc si aliqua Dioecesi cautum esset, ne copulentur Sponsi ignorantes Doctrinam Christianam, seu rudimenta fidei, antequam instruantur, eaque addiscant, prout in quadam Synodo Bononiensi confirmata a Sacra Congregatione statutum fuit, standum esset prohibitioni.

2. Reductive, tum interdictum illud juris naturae, ne insciis & invitis Parentibus contrahatur, juxta dicta in Tabula CLXXXIII., tum aliud interdictum juris communis, ne contrahatur omissis denunciationibus, juxta dicta in Tabula CLXXXV.

* Contra primam prohibitionem contrahentes, praeter peccatum mortale, puniendi sunt ab Episcopo, & ad tempus separandi, *ex cap.* Litterae 1. *de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae*, & Parochus assistens tali Matrimonio ad triennium ab Officio suspendendus, *ex cap.* Cum inhibitio. 3. *de Clandestina desponsatione.*

** Si Papa interdicat alicui Matrimonium simpliciter, stante tali prohibitione contrahens illicite quidem contrahit, valide tamen: Si vero cum clausula irritante, prout interdictum legitur *cap.* Ad dissolvendum 13. *de Desponsatione impuberum*; stante tali prohibitione contrahens illicite, & simul invalide contrahit; solus autem Papa potest Matrimonia cum clausula irritante interdicere, *ex cap.* Ex litteris. 2. *de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae.*

III. Sponsalia, seu promissio antecedenter alteri facta de futuro Matrimonio, in quo impedimento nequit dispensare sive Episcopus, sive Papa, non consentiente comparte, eo quod neuter possit dispensare contra jus tertio quaesitum.

IV. Votum simplex

1. Castitatis, quod reddit contractum illicitum (licet fieret sine consensu in copulam quoad executionem, seu sine animo consummandi Matrimonium) in primo bimestri impedit petere, ac reddere debitum; semel vero consummato, aut elapso bimestri tenetur reddere, non autem petere potest sine dispensatione Episcopi, vel aliorum habentium talem facultatem.

2. Virginitatis, quod reddit illicitum contractum, & ejus consummationem prima vice; secus vero aliis vicibus, licet ad petitionem illius voventis factam.

3. Caelibatus, seu non nubendi, quod reddit illicitum contractum; & ideo si post tale votum quis contraheret Matrimonium, posset sine ulteriori peccato persistere in Matrimonio, ipsumque consummare; mortua tamen comparte reviviscit, & consequenter non posset denuo nubere sine dispensatione.

4. Religionem intrandi, quod reddit illicitum tum contractum, tum primam ejus consummationem, quia primo bimestri non potest sive petere, sive reddere debitum; bene vero elapso bimestri; & si in primo bimestri consummasset Matrimonium, posset postea intra bimestre petere, & reddere debitum, nec extinguitur per consummationem Matrimonii, & ideo mortua comparte tenetur vovens ingredi Religionem, vel petere a Papa dispensationem.

5. Ordines sacros suscipiendi, quod reddit illicitum contractum; non vero ejus consummationem, etiam in primo bimestri; mortua autem comparte, reviviscit.

N. B. 1. *His quatuor aliqui volunt addendum etiam quintum Catechismi, quo nomine ajunt venire caeremoniam, quam Patrinus tenens ad ipsam januam puerum baptizandum respondet interrogationibus Parochi sive ante collationem Baptismi, sive dum supplentur in Ecclesia caeremoniae. Ast alii negant, quod re facto Catechismus habeat rationem impedimenti impedientis.*

2. *Super impedimentis impedientibus potest non solum Papa, sed & Episcopus dispensare, loquendo cum exceptione impedimenti tum orti ex sponsalibus, super quo, comparte invita, nec Papa potest dispensare juxta superius dicta: tum orti ex voto sive ingrediendi Religionem, sive castitatis servandae, in quibus Episcopus nequit dispensare cum sint reservata Summo Pontifici juxta dicta in Tab. XLIX.*

TAB. CLXXXVIII. *De Impedimentis dirimentibus Matrimonium in genere; et Potestate ea statuendi.*

Impedimenta dirimentia, quibus irretiti nec valide possunt contrahere Matrimonium

I. Potest

1\. Inducere Ecclesia, potestate a Christo accepta, dum dixit: *Pasce oves meas*, quibus verbis ipsi Petro, & Successoribus dedit potestatem condendi illas leges, quæ necessariæ sunt ad optimum Reipublicæ Christianæ regimen; & quoniam ad hoc opportunum & necessarium visum est Ecclesiæ statuere aliqua impedimenta dirimentia matrimonium, hinc illa fuere de facto inducta. Contrarium vero asserentes, id est Ecclesiam non habere talem potestatem, vel in statuendis impedimentis dirimentibus errasse, anathemate percussit Tridentinum, *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. Can.* 4. Quod renovavit PIUS VI. in damnatione Synodi Pistoriensis. *Constit. Dogmatica:* Auctorem Fidei.

2\. Solus Papa inducere & statuere impedimenta dirimentia matrimonium. *Ex Communi Theol. Canonist. & expressa Bened. XIV. Syn. Diœc. lib.* 12. *c.* 5. *n.* 2. *&* 3.

3\. Concilium Generale legitimum, utpote quod includens Pontificem tamquam Caput, repræsentat Ecclesiam universalem.

4\. Consuetudo legitime introducta & præscripta, quatenus solum includit tacitum saltem Summi Hierarchiæ consensum.

II. Non potest, vel

1\. Episcopo statuere impedimenta matrimonium dirimentia: unde validum esset matrimonium celebratum coram Parocho, cui ab Episcopo fuisset generatim interdictum assistere matrimoniis. *Bened. XIV. loc. cit. lib.* 13. *c.* 23. *n.* 3.

2\. Princeps Sæcularis statuere impedimenta dirimentia matrimonia fidelium, neque in ratione contractus juxta probabiliorem, & expressam Benedicti XIV. *Constit. quæ incipit* Singulari, *Tom.* 3. *Bull. ejusd. fol.* 4. *edit. Rom.* §. 7.

3\. Possunt tamen statuere Principes Sæculares impedimenta dirimentia matrimonia infidelium sibi subjectorum, utpote quæ solam habent notionem contractus civilis.

N. B. 1. *Leges Gallicanæ statuentes aliqua impedimenta matrimonium dirimentia, uti: si contrahatur, vel non præmissis denunciationibus, vel a filiis familias minoribus* 30. *annis absque parentum consensu, in tantum olim vim habebant, in quantum eas ratas habuit Ecclesia, ut advertit Bened. XIV.* Syn. Diœc. lib. 9. c. 11. n. 3., *subjungens tamen quod dictas leges pluribus sæculis ab Ecclesia vel approbatas, vel toleratas, ipsa postea correxerit, & abrogaverit. Quod evidenter colligitur ex Tridentino* Sess. 24. cap. 1. de reformatione Matrimonii, *anathemate percellente eos*, qui falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu Parentum contracta irrita esse; & Parentes ea rata, vel irrita facere posse: *nec non ex authentica receptione ejusdem Concilii facta a Clero Gallicano, uti referunt Acta ejusdem prælo mandata a Vitre an.* 1673., quam vid. apud Thom. ex Charmes in Tract. 3. de Obligation. Var. Stat. in Append.

N. B. 2. *Licet post correctionem Tridentinam lex illa Gallicana dirimens matrimonia filiorum familias sine consensu Parentum celebrata inveniatur viguisse, dicendum Facultatem Parisiensem per illam legem voluisse annullare conventiones matrimoniales quoad accessoria solum, & effectus civiles, v. g. quoad dotem præstandam, hæreditatem capiendam &c. prout Loretus Consiliarius Senatus Parisiensis respondit explicando mentem legislatoris.*

N. B. 3. *Pseudo-Canonistæ nostræ ætatis, qui ad eversionem Ecclesiæ, & Principatus, in suis Institutionibus junctis consiliis respective heterodoxis Pistoriensibus, & Ultrajectensibus Schismaticis, impia Jacobinea molimina prophetarunt, & vel ideo Principibus Sæcularibus plenum jus affirmant statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, ut subversis legibus Ecclesiæ, eversisque tandem etiam principatus fundamentis,* sicut equus & mulus *facti, in brutalia* (Republicana) *matrimonia deflecterent, nihil suffragii eos invenire in lib. Sententiarium D. Thomæ* dist. 34. quæst. 1. ad 4. Nam ibid. lib. 4. Distinct. 42. quæst. 2. art. 2. *ad objectionem* 4. *sibi factam, quod nimirum adoptio, utpote introducta a lege humana, non possit habere vim impediendi matrimonium, respondet:* quod prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret authoritas Ecclesiæ; quæ idem etiam intercidit. *Unde*

N. B: *Dato, quod S. Doctor Principibus Sæcularibus adseruisset talem facultatem, Respondendum veniret: S. Doctorem Opera sua absolvisse ante Concilium Tridentinum, quod reformavit ut supra:* Ex Benedicto XIV. *Unde in hoc S. Doctor minime sequendus esset: nam nemo ignorat quantæ sint authoritatis constituta a Generalibus Conciliis.*

III. Sunt quatuordecim, idest

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen:
Cultus Disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas;
Si sis Affinis, si forte Coire nequibis;
Si Parochi, aut duplicis desit præsentia Testis,
Raptaque sit Mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc facienda vetant Connubia, facta retractant.

N. B. *Horum aliqua dirimunt Matrimonium jure naturæ, alia vero jure solum Ecclesiastico, prout constabit ex totidem sequentibus Tabulis.*

IV. Resolves

1\. Contrahens voluntarie cum impedimento dirimente, non obtenta desuper dispensatione, peccat mortaliter contra justitiam sive commutativam, sive vindicativam; contra Pietatem, vel Religionem pro diversitate impedimentorum, in quibus matrimonium contrahitur; & matrimonium ipso jure nullum est.

2\. Contrahens matrimonium falso existimans adesse impedimentum, aliqui pro validitate, aliqui e contra stant pro invaliditate ejusdem, saltem extra casum, quo contrahens intenderet facere modo meliori.

3\. Confessarius advertens ex confessione Sponsos contrahere volentes esse irretitos aliquo impedimento dirimente ab ipsis invincibiliter ignoraro, & simul prævidens nullam esse spem profuturæ admonitionis: quin imo prudenter prævidens eam obfuturam, quia videlicet eo non obstante conscii impedimenti, ad evadendum scandalum, suspiciones, admirationem inter invitatos ex repentina dilatione nuptiarum oriturum, non solum contrahent, sed & matrimonium consummabunt, posset dissimulare nulla facta mentione impedimenti, & ipsos absolutos dimittere.

4\. A fortiori si jam contracto bona fide matrimonio, advertat pœnitentem cum impedimento dirimente contraxisse, & prævideret admonitionem non profuturam, quia videlicet non abstineret ab usu ejusdem, posset dissimulare nulla facta mentione nullitatis Matrimonii. *Ex cap.* Quo circa, 6. *de Consanguinit. & Affinit.* & Bened. XIV., qui improbat factum Parochi cujusdam, qui cum ex sermone cognovisset occultum impedimentum dirimens, quod jam palam fuerat celebratum, adeo incautus fuit, ut pluribus patefaceret, quod silentio retinendum erat; & Conjuges separaret, quos potius unitos tolerare debuisset usque dum Roma a Summo Pontifice dispensationem impetrassent.

TAB. CLXXXIX. *De Impedimentis Erroris et Conditionis servilis dirimentibus matrimonium.*

Error vel est circa

I. Substantiam personæ, qui contingit, dum quis intendens cum certa & in mente determinata persona contrahere, per errorem, dolum vel fraudem contrahit cum alia: & hic error jure naturæ dirimit matrimonium ob defectum consensus. Quod procedit etiam per respectum ad matrimonia contracta ab infidelibus cum tali errore: & hinc detecto errore vel resiliendum, vel renovandus est consensus, sive publice coram Parocho & Testibus, si error in foro externo probari potest; sive privatim, si error esset occultus, nec posset exterius probari.

II. Qualitatem personæ, qui contingit dum erratur, e. g. circa Pulchritudinem, Nobilitatem, Virginitatem, qui error non dirimit matrimonium, quamvis fuisset causa motiva ad alias non contrahendum: quia talis error non impedit consensum substantialiter requisitum. Excipe si qualitas vel

- 1. Redundet in ipsam personam, ut si
  - 1. Respiciat certam ac determinatam ab ea quæ præsens est.
  - 2. Sit unicus finis matrimonii: & hinc si puella contraheret matrimonium cum juvene, qui se finxit Regem Hispaniarum, cujus vere non erat filius, ipsa tamen filium Regis sibi in mente proposuit, in illumque directe consentire voluit, in tali casu matrimonium nullum foret.
  - N. B. *Qualitas redundans in substantiam personæ errata invalidat matrimonium, sive error personæ sit antecedens, sive concomitans, sive vincibilis, sive invincibilis: hinc si quis Mariam duceret existimans se ducere Margaritam, licet ita foret animo affectus, ut Mariam animo libentius duceret, non valeret matrimonium ob defectum actualis consensus, aliud est enim dicere consentio in talem personam, & aliud consentirem in talem personam: adeoque detecto errore, renovandus est consensus modo supradicto.*
- 3. Interne aut externe, sive actualiter, sive virtualiter (secus vero si solum habitualiter) deducatur in conditionem.
  - * Actualiter autem censeretur deducta in conditionem, si quis contrahendo dixisset: contraho tecum, si es virgo aut dives; sive dein conditio illa verbis exprimatur, sive solum mente contrahentis retenta sit.
  - * * Virtualiter censeretur deducta in conditionem, si quis antea se declarasset nolle talem in uxorem ducere, nisi sit Virgo, filia Comitis, & hoc animo non revocato, postea oblitus prioris voluntatis, absolute contraheret cum illa, quæ non est Virgo, aut filia Comitis; in hoc enim casu contractus nullus esset prout olim a Sacra Congregatione declaratum. Cum enim prior illa voluntas, utpote non revocata, adhuc virtualiter duret, æquivalet intentioni ex conditione actuali; aliud est de intentione & dispositione solum habituali non contrahendi cum persona affecta tali qualitate.

III. Fortunam, qui contingit dum quis putat se contrahere cum divite v. g. & reperit esse pauperem, de qua, sicut de errore circa qualitatem in genere, discurrendum venit.

IV. Conditionem personæ servilis, quæ

1. Dirimit matrimonium jure ecclesiastico, quando servus proprie talis, seu mancipium contrahit cum libera, aut vicissim ignorans alterius conditionem servilem, si conditio errantis fiat deterior, *ex cap. Proposit. 2. & cap. Ad nostram 4. de Conjugio servorum*, eo quod tale Matrimonium obstet tum mutuæ cohabitationi, cum possit servus vel ancilla mitti in partes remotas a domino; tum bono fidei, quia ex eodem motivo non posset pro libitu reddere debitum; tum bono prolis, quia eam alere non posset, cum omnia acquirat domino.
2. Non dirimit, si conditio errantis non fiat deterior sed melior, prout contingeret si persona, quæ est ancilla, nubat viro quem credit esse liberum, qui tamen revera servus est, *ex D. Thoma in Supplem. qu. 52. art. 1. ad 5.*, & a fortiori si servus ducat servam, quam putat esse servam, quæ tamen libera est, nam *libertas ignorata non impedit matrimonium*.
3. Non dirimit, si liber contrahit cum ancilla, sciens hujus conditionem servilem, aut e contra, *ex textibus supra citatis*, quia in tali casu liber contrahens cum ancilla cedit juri suo, quod verum est, licet servus vel ancilla contraheret inscio, vel contradicente domino suo, *ex cap.* Dignum est. 1. *de Conjugio servorum, & Bened. XIV. Synod. Diœc. lib. 9. c. 11. 4. & 5.*
4. Non permittit dominis, sine peccato injustitiæ, prohibere ne servi vel ancillæ ineant matrimonium, aut ne exerceant, matrimonio jam contracto, maritale commercium, qui tum etiam contracto matrimonio debent non minus debita & consueta servitia præstare dominis suis, *ex textu mox citato*.
5. Proles suscepta ex matrimonio contracto inter mulierem ancillam & virum liberum, omnes facit de conditione servili, sicut suscepta ex matrimonio contracto inter mulierem liberam & virum mancipium, omnes facit liberas, quia ex jure: *partus sequitur ventrem*, intellige quoad servitutem & ingenuitatem, seu libertatem; quia quoad Familiam, nobilitatem, dignitatem & honores, proles legitime natæ ex tali matrimonio sequuntur conditionem patris, *ex jure Civili ex Leg.* Partum 7. *c. de rei venditione*.
6. Uxorem sequi facit conditionem Mariti, ex jure civili, utpote in quo habetur lex: *Fœminæ nuptæ clarissimis personis, clarissimarum personarum appellatione continentur.* Si autem minoris Ordinis virum postea sortitæ fuerint, priori dignitate privatæ, posterioris mariti sequuntur conditionem.
7. Uxori Latinæ nubenti viro Græco unito seu Catholico, non permittit sequi maritum quoad ritum Græcum, sicut nec marito Latino sequi ritum uxoris Græcæ Catholicæ. bene vero marito Græco assentitur sequi ritum uxoris Latinæ, & uxoris Græcæ ritum mariti, in quo casu, post obitum mariti non liceret uxori ad ritum Græcum redire, *ex Benedicto XIV. Const.* Etsi Pastoralis, *inser. Tom. 1. Bull. ejusd. fol. 167. cit. §. 7. 8. & 9.*

TAB. CXC. *De Impedimentis Voti, et Ordinis Sacri dirimentibus Matrimonium.*

Votum solemne dirimit matrimonium emissum sive in

I. Religione approbata

1. Antecedens, seu jam contractum, dummodo non fuerit consummatum ex privilegio Christi Ecclesiæ intimato per Apostolos, quod est de fide cum Tridentinum, *Sess.* 24. *de Sacramento Matrimonii can.* 6. definiverit: *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius Conjugum non dirimi, anathema sit*, & quidem dissolvitur eodem modo, sicut per mortem naturalem dissolvi solet, adeo quod si quis post dissolutum matrimonium ratum per solemnem professionem obtineret a Papa dispensationem a votis in professione emissis, posset, relicta prima, cum alia contrahere; eo plane modo, quo si mortuus revocaretur ad vitam non teneretur priori uxori adhærere, sed posset aliam ducere. Hoc autem privilegium competit solum voto solemni in professione religiosa emisso, & hinc emisso a Patribus Congregationis Missionum non competit, quia eorum vota sunt simplicia, *ex Bened. XIV. Const.* Quo magis *Tom.* 1. *Bull. ejusd. fol.* 102. *ed. Rom.*

2. Subsequens seu primo contrahendum, *ex Concilio Lateranensi relato can.* Ut lex. 40. *Causa* 27. *qu.* 1., *& Tridentino loco supra cit. can.* 9. anathematizante contrarium sentientes; id tamen non competit votis emissis a Patribus Congregationis Missionum: hinc professio ab eis emissa non dirimit matrimonium etiamnum subsequens, *ex Bened. XIV. ibid.*, prout olim vota post biennium emissa a PP. Societatis Jesu dirimebant subsequens, non tamen antecedens matrimonium, *ex privilegio Gregorii XIII. Constit.* Ascendente Domino, *insert. Tom.* 1. *Bull. Cherubini fol. mihi* 72. §. 22.

3. Post consummatum semel matrimonium, & emittens solemnem professionem, contradicente aut ignorante comparte, nulla est professio, *ex can.* Placet 12. *de Conversione Conjugatorum*, licet obliget ad instar voti simplicis castitatis quoad id, ad quod poterat se obligare, scilicet in ordine ad non petendum debitum; mortua tamen comparte non tenetur denuo ingredi religionem, *ex cap.* Quidam 5. *de Convers. Conjug.*

4. Non impedit tamen quin Vir de consensu uxoris licite possit ingredi & profiteri in eadem sub conditionibus sequentibus, videlicet si

- 1. Uxor juvenis etiam ipsa ingrediatur Religionem, *ex cap.* Uxoratus. 8. *de Conversione Conjugatorum*, & quidem, juxta aliquos, in ordine ad profitendum in ea, licet textus non videatur id exigere.
- 2. Uxor senicula emittat votum castitatis in sæculo, *ex cap.* Cum sis 4. de *Conversione Conjugatorum;* quanta autem ætas exigatur, ut fœmina reputetur senicula ad effectum de quo agitur, relinquatur judicio Episcopi.
- 3. Adsit Episcopi consensus, juxta aliquos, licet id a jure non videatur exigi, saltem extra casum quo dubitetur, an aliqua sit reputanda senicula.
- * Sine mox dictis conditionibus professio emissa a viro libere consentiente uxore, valida quidem est sed illicita, *ex cap.* Ex parte 9. *de Conversione Conjugatorum*, & posset ab uxore remanente in sæculo absque voto continentiæ vir revocari, *ex cap.* Præterea. 1. *eodem titulo, & Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib.* 13. *c.* 13. *n.* 10.

N. B. *Vir de consensu uxoris ingressus & professus Religionem non observatis præfatis conditionibus, si ab illa revocatur, ea mortua, nequit ne quidem valide ad secundas nuptias transire*, ex cap. *Ex parte* cit. *eo quod professio fuerit valida.*

II. Ordinis sacri susceptione

1. Quod tamen votum dirimit solum matrimonium subsequens, seu primo contrahendum, non vero antecedens, seu jam contractum, licet non consummatum in Ecclesia Occidentali, seu Latina, etiam respectu Italo-Græcorum commorantium in Italia & Insulis adjacentibus sub jurisdictione Episcoporum latinorum, *ex Bened. XIV. Const.* Etsi pastoralis, *Tom.* 1. *Bull. ejusd. fol.* 25. *n.* 26. §. 7., & hinc si talis Italo-Græcus Subdiaconus, Diaconus vel Presbyter, post sacram ordinationem uxore mortua aliam duceret, vel si uxorem prius non habuit, ducere aliquam in uxorem vellet, nullum esset matrimonium, *ex Bened. XIV. ibid. loc. cit.*

2. Quoad Ecclesiam vero Orientalem, seu Græcos ibi commorantes, nondum a Sede Apostolica definitum: an Ordo sacer respectu illorum debeat dirimere matrimonium, *ex Bened. XIV. ibid.* Auctores pro & contra militant, quamvis probabilior, quam, teste mox laudato Pontifice, sequuntur Tribunalia Almæ Urbis, velit nulla esse.

3. Cum, *juxta probabiliorem*, ex mox dictis, matrimonia contracta in Ecclesia Orientalium inter ipsos Græcos post susceptum Sacrum Ordinem nulla sint, & juxta omnes post allatam Constitutionem Benedicti XIV. Italo-Græci post susceptum Sacrum Ordinem, contractus talis nullus & irritus sit, quamvis in susceptione talis Ordinis non emittant votum castitatis; sequitur, quod Sacer Ordo per se, & non tantum ratione voti, dirimat matrimonium.

4. Emissum sive in professione religiosa, sive in susceptione Ordinis Sacri, *juxta probabiliorem*, dirimit matrimonium solum Jure Ecclesiastico, quidquid aliqui velint dirimere jure naturali divino. Hinc factum, quod plures Summi Pontifices in utroque dispensaverint, nec ante annum 451., imo nec tempore D. Bernardi, qui obiit anno 1153. dirimebat matrimonium votum solemne Castitatis.

5. Qui quidem valide suscipi potest post consummatum matrimonium tam consentiente, quam contradicente uxore, non tamen licite: imo nec consentiente uxore licite suscipi, non servatis conditionibus supra requisitis pro ingressu uxorati in Religionem.

6. Quo de licentia uxoris suscepto, mortuo marito, illa nec licite nec valide potest ad secundas nuptias transire, etsi ea non emisisset vota continentiæ in sæculo, *ex speciali juris dispositione, quam refert Benedictus Syn. Diœc. lib.* 13. *c.* 13. *n.* 16., quæ dispositio, utpote odiosa, non extenditur ad maritum dantem licentiam uxori ingrediendi & profitendi in Religione, & hinc mortua uxore si vir transiret ad secundas nuptias, validum esset Matrimonium, *ex Bened. XIV. ibid.*, licet illicitum propter votum ab eo emissum in sæculo, uxore Religionem professa.

7. Quem si invita uxore quis susciperet, valide quidem Ordo fuisset susceptus, ast irregularis ille maneret, quin etiam dissoluto matrimonio vel per mortem uxoris, vel per ingressum uxoris in Religionem, vir neque in suscepto ordine ministrare, neque ad alium ascendere, neque ad beneficium aliquod assumi potest, nisi in Religione aliqua profiteatur, *ex Extravagante Joannis XXIII. relata cap. Antiqua de Voto, & Voti redemptione*, quod si uxor maritum, ipsa invita, ordinatum, repetat, illi reddi debet.

TAB. CXCI. *De Cognatione Naturali, et Legali dirimente Matrimonium.*

Cognatio seu propinquitas duarum, vel plurium personarum, alia est & dicitur

I. Naturalis, quæ est *vinculum personarum in sanguine communicantium,* vel in linea

1. Recta, quæ est *collectio eorum, quorum unus ab altero descendit,* ut filius a Patre, nepos a filio, quorum unus tot gradibus ab illo distat, quot generationibus ab eodem stipite descendit, & hinc filius a Patre uno gradu, & nepos ab Avo duobus gradibus distat.

2. Collaterali seu transversa, quæ est *collectio eorum, qui ab eodem quidem stipite descendunt, sine tamen eo quod unus ab alio ortum ducat:* ut duo fratres germani.

3. Æquali, si æquali gradu distent a communi stipite, ut duo fratres, qui tot gradibus inter se distant, quot distant a communi stipite, qui est Pater utriusque.

4. Inæquali, si inæqualiter distent a communi stipite, ut Patruus & Nepos: nam Patruus distat a communi stipite, qui est Avus, uno gradu, Nepos vero duobus gradibus, qui inter se distant tot gradibus, quot remotior, seu Nepos distat a communi stipite, nempe Avo, consequenter Patruus & Nepos inter se distant duobus gradibus.

* Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimit matrimonium jure naturæ, in aliis vero remotioribus gradibus solum Jure Ecclesiastico, *juxta probabiliorem & expressam D. Thomæ 2. 2. quæst. 154. ad 4.*, & quidem solum usque ad quartum gradum inclusive, quidquid aliqui sentiant, consanguinitatem in linea recta dirimere & quidem jure naturæ in infinitum matrimonium, adeo quod si Adam & Eva adhuc viverent, nulli ex hominibus possent nubere.

** Consanguinitas in linea collaterali, seu transversa dirimit jure naturæ matrimonium in primo gradu *juxta probabiliorem,* & hinc factum quod in septendecim seculis nullus unquam Pontifex, quantumvis requisitus, voluerit dispensare, *teste Benedicto XIV. in sua Epist. quæ incip.* Jam ab anni. *in append. altera ad Tom. 4. Bullarum ejusd.* §. 13., ex quo fit quod jure naturæ prohibitum sit matrimonium inter fratrem & sororem; nec verum est, quod Abraham duxerit in uxorem sororem, quia Sara non erat soror, sed neptis ipsius, utpote filia Aaram, qui fuit frater Abrahami: quod vero Cain duxerit in uxorem sororem, id factum ex necessitate ob defectum aliarum fœminarum, urgente alio præcepto naturali fortiori de conservando genere humano.

*** Consanguinitas in linea collaterali in remotioribus gradibus solum Jure Ecclesiastico dirimit matrimonium, & quamvis, attento jure antiquo, hoc impedimentum extenderetur usque ad septimum gradum inclusive, & disciplina hæc viguerit duodecim primis sæculis usque ad annum 1215., attamen in Concilio Lateranensi celebrato eodem anno restrictum fuit ad quartum gradum inclusive, quod & renovatum a Concilio Tridentino, *Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2.*

N. B. 1. *Contrahentes in gradibus prohibitis non obtenta desuper dispensatione, nullum est eorum matrimonium, atque adeo scienter contrahentes peccant graviter & insuper incurrunt pœnas sequentes, scilicet 1. Excommunicationis ipso jure, 2. infamiæ si matrimonium consummaverint, 3. filii eorum sunt illegitimi, 4. carent spe obtinendæ dispensationis ex Concilio Trid. ibid.*

2. *Attento jure civili, tot sunt gradus distantiæ inter personas, de quibus quæritur, quot sunt personæ numeratis omnibus, unica, scilicet stipite, dempta & hinc duo fratres sunt in secundo gradu.*

II. Legalis, quæ est *propinquitas personarum consurgens ex Adoptione* vel

Perfecta

1. Ad quam requiritur ut

1. Adoptans sit vir sexagenarius & absque liberis, secluso speciali privilegio, attento præcise jure civili, nam attento præcise jure gentium, etiam fœminis, præsertim alicujus conditionis, competit jus adoptandi.

2. Adoptandus
- Sive vir, sive fœmina, sit persona extranea.
- Sit sui juris, & consequenter sit emancipatus.
- Transeat in potestatem & familiam adoptantis.
- Fiat hæres adoptantis necessarius.

3. Adoptio fiat auctoritate Principis.

4. Adoptio fiat verbis a lege expressis, Princeps enim interrogare debet adoptantem hoc vel simili modo: vis habere hunc in filium, nepotem, vel pronepotem, & adoptans respondet volo; rursus interrogare debet adoptatum: vis hunc habere in Patrem, Avum, vel Proavum, & ipse respondeat: volo; ac tandem Princeps exprimit, sibi placere.

N. B. *Adoptio hæc perfecta dicitur etiam arrogatio, vel adrogatio, quia a Principe rogatur adoptans & adoptatus juxta mox dicta.*

2. Quæ dividitur in

1. Paternitatem, quæ intercedit inter adoptatum & hujus filios, ac nepotes usque ad quartum gradum, & adoptantem, constituentes lineam rectam, inducitque impedimentum dirimens perpetuum.

2. Confraternitatem, quæ intercedit inter adoptatum & filios naturales ac legitimos adoptantis constituentes lineam transversam, inducitque impedimentum dirimens sed temporaneum, scilicet, quamdiu dicti filii sunt sub potestate Patris adoptantis.

3. Affinitatem, quæ intercedit inter adoptatum & uxorem adoptantis, adoptantem & uxorem adoptati, inducitque impedimentum perpetuum, *ex Benedicto XIV. Synod. Diœc. lib. 9. cap. 10. num. 4.*

Imperfecta

1. Quæ requirit ut

1. Adoptans sit vir decemocto saltem annis senior persona adoptanda.

2. Adoptandus
- Sive vir, sive fœmina, sit persona extranea, licet infans.
- Non existat adhuc sui juris, sed sit sub patris, vel avi potestate.
- Non transeat in potestatem & familiam adoptantis.

3. Adoptio fiat auctoritate cujuscumque judicis competentis.

N. B. *Adoptatus imperfecte non est hæres necessarius, & hinc in testamento potest præteriri, quamvis ab intestato succedat adoptanti.*

2. *Jus adoptandi, licet imperfecte, attento jure, non competit fœminis.*

2. Non inducit impedimentum dirimens, *juxta probabiliorem, & expressam D. Thomæ 3. part. quæst. 57. art. 1. ad 2.*

N. B. *Adoptio ortum habet a jure gentium, & in usu fuit annis [illegible] circiter ante Christum, nempe tempore nativitatis Moysis (qui juxta Calmetum a lapsu natus fuit anno ab Orbe condito 2314.) quem filia Pharaonis septennem sibi adoptavit in filium, prout habetur Exodi 2. v. 10., legibus tamen Romanorum Imperatorum et consequenter jure civili, restaurata fuit, ad eandemque modum et formam adoptandi, vel arrogandi fiunt, deinceque saltem perfecta, a contrahendo matrimonium ex dispositione juris civilis recepta, et approbata a jure canonico per textum relatum, cap. Ita diligere 1. Causa 30. quæst. 3., & cap. Si qua 1. de Cognatione legali.*

TAB. CXCII. *De Cognatione Spirituali dirimente Matrimonium.*

Cognatio Spiritualis, quæ oritur ex sola administratione Sacramentorum Baptismi & Confirmationis, *ex cap.* Quamvis 3. *de Cognatione Spirituali in* 6. (prout insinuatum fuit in Tab. 130. & 154.)

I. Inducit impedimentum dirimens matrimonium tum ex jure antiquo *rel. lib.* 4. *Decretal. tit.* 11. *per totum & in Decret. Gratiani Causa* 30. *qu.* 1. 2. 3. & 4., tum ex jure novo Tridentini, *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 2., quod introductum fuit tum ob reverentiam debitam dictis Sacramentis, tum quia prædicta Sacramenta habent quamdam affinitatem cum cognatione naturali, atque adeo solum jure Ecclesiastico.

II. Intervenit attento jure novo Tridentini solum inter

1. Baptizantem & Confirmantem, ac baptizatum & confirmatum, hujus Patrem & Matrem, etiam in Baptismo privato collato quantumvis a Laico, v. g. Obstetrice, in necessitate; excipe Patrem in necessitate baptizantem proprium suum filium legitimum, *ex can. Ad limina* 7. *Causa* 30. *quæst.* 1.

2. Patrinos, seu suscipientes vel tenentes prolem in baptismo vel confirmatione, & susceptum & confirmatum, suscipiens propriam prolem in baptismo vel confirmatione extra necessitatem ex ignorantia juris vel facti, non contrahit cognationem spiritualem, *ex cap. Si vir vel mulier.* 2. *de Cognatione spirituali:* imo attento textu una cum Glossa ad verbum *Debitum*, idem videtur asserendum, etsi scienter quis propriam prolem extra necessitatem in baptismo vel confirmatione susciperet, aut teneret.

3. Patrinos, ac patrem & matrem baptizati vel confirmati, *ex Tridentino ibid.*

III. Quam ut Patrinus contrahat

1. Debet esse baptizatus, si vult agere Patrinum in baptismo, sicut & agere volens Patrinum in confirmatione debet esse confirmatus, *ex cap. in baptismate* 102. *de Consecratione Dist.* 4., quamvis aliqui velint quod etiam non confirmatus tenens prolem in confirmatione contrahat cognationem spiritualem, cum sit baptizatus & membrum Ecclesiæ.

* Non debet ei de jure esse prohibitum agere munus Patrini, de quibus in Tab. CXXX. Si tamen Regularis aliquis, cui alias prohibitum est agere munus Patrini, assumeretur ad dignitatem Episcopalem vel Cardinalitiam, talis posset agere Patrinum.

2. Ut in baptismo, non vero solum in cæremoniis, baptizatum suscipiat, quare tenens infantem privatim baptizatum in necessitate dum supplentur in Ecclesia cæremoniæ, non contrahit cognationem spiritualem, *ex decisione Sacræ Congregationis, apud Reiffenstuel lib.* 4. *Decretal. tit. num.* 17., saltem extra casum, quo propter dubium valoris collati privatim baptismi, denuo sub conditione infans baptizaretur.

4. Ut in baptismo solemni, non vero privato, suscipiat prolem, *juxta probabiliorem*, quia Ecclesia instituit susceptores solum in baptismo solemni, non vero in privato, & ideo in privato suscipiens non videtur agere susceptorem nisi materialiter; quamvis plures velint quod etiam in baptismo privato, seu collato in necessitate, si adhibeantur Patrini, hi contrahant cognationem spiritualem paritate desumpta a baptizante sive in solemni, sive in privato baptismo.

5. Ut teneat Prolem quando aqua baptismi ei infunditur vel ungitur Sacro Chrismate, & hinc dum infans, qui a viro tenetur ad fontem, abluendus est, vocatur fœmina matrina a Parocho, & jubetur manum ponere super humeros prolis, quæ baptizatur, ut sic contrahat & ipsa matrina cognationem spiritualem. Et casu quo Sacerdos sub actuali baptismo solus teneret infantem, ut contingebat dum per immersionem conferebatur baptismus, & forte in aliquibus locis ex consuetudine idem practicatur in baptismo collato per infusionem; tunc Patrinus ad contrahendam cognationem spiritualem debet recipere prolem baptizatam e manibus Sacerdotis baptizantis, & quidem immediate, & non sufficeret, si eam reciperet mediante Obstetrice.

6. Ut suscipiat prolem animo & intentione agendi munus Patrini secundum consuetudinem Ecclesiæ.

7. Ut sit designatus sive a parentibus, sive in horum defectu a Parocho, alias non designatus non contraheret cognationem, *ex Tridentino ibid.* Quod si plures, quam præscripti a Tridentino, designantur & suscipiant prolem, omnes contrahunt cognationem spiritualem, *ex cap. Quamvis* 3. *de Cognatione spirituali, & declaratione Sacræ Congregationis.*

N. B. *Suscipiens Prolem de sacro fonte, & etiam tenens eamdem in confirmatione, duplicem cognationem spiritualem contrahit, & hinc recurrens pro dispensatione Romam, debet id exprimere; secus vero si quis plures filios ejusdem Patris susciperet vel teneret in confirmatione; quod si quis carnaliter cognosceret eam, cum qua spirituali cognatione conjunctus erat, & recurreret pro dispensatione Romam ad effectum matrimonium contrahendi cum illa, deberet in supplicatione exprimere non solum cognationis spiritualis impedimentum, sed etiam crimen commissum,* ex Pyro Corrado.

N. B. *Cognatio spiritualis quatenus respicit Baptizantem, & Patrinos ex una parte, ex alterave parte baptizatum, dicitur Paternitas spiritualis, tanquam inter Parentes & prolem spiritualem; quatenus vero respicit baptizantem & Patrinos ex una parte, et patrem ac matrem ipsius baptizati ex altera parte, dicitur Compaternitas tanquam intra Compatres.*

TAB. CXCIII. *De Affinitate tum dirimente matrimonium, tum impediente ejus usum.*

Affinitas, seu *propinquitas personarum ex carnali copula consurgens*

I. Oritur hodierno jure inter maritum ex una parte, & consanguineos uxoris ex altera, & vicissim inter uxorem ex una, & consanguineos mariti ex altera parte, & hinc vir vi hujus commercii carnalis habiti cum uxore fit affinis omnium consanguineorum suæ uxoris, & uxor fit affinis omnium consanguineorum sui mariti: ipsi tamen consanguinei mariti & uxoris non fiunt invicem affines, *ex cap. Quod super his 5. de Consanguinitate, et Affinitate.* Unde ortum est illud effatum: *affinitas non parit affinitatem.*

II. Dirimit matrimonium

1. Si affinitas sit antecedens, seu præcesserit ipsum matrimonium, *ex cap. Si quis 1., et cap. Fraternitati 17. De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ:* ut autem dirimat requiritur copula perfecta, quæ fit

2. Si intercessit copula, quæ perficitur

1. Seminatione, saltem viri, intra vas fœmineum, cum sine tali seminatione nequeat vir & uxor fieri una caro, & unum principium, in quo fundatur propinquitas affinitatis.
2. Seminatione ipsius etiam fœminæ juxta plures, quamvis non pauci negent requiri. Et hi posteriores videntur in praxi sequendi, præsertim dum agitur de matrimonio primo contrahendo, cum aliunde vix certo secerni possit num fœmina seminaverit, nec ne?
3. Penetratione vasis fœminei juxta aliquos, licet alii, & forte probabilius, negent id requiri, dummodo semen intra vas fœmineum recipiatur, quacumque demum arte recipiatur sive ope dæmonis, sive attractione matricis fœminæ.

* His suppositis censetur copula perfecta sive exerceatur cum fœmina consentiente, sive resistente, sive ebria, dormiente, sive licite, sive illicite, seu fornicarie.

** Ex copula licita seu exercita inter conjugatos inducitur impedimentum dirimens usque ad quartum gradum inclusive: ex copula vero illicita, seu fornicaria, usque ad secundum gradum inclusive.

3. In nullo gradu jure naturæ antecedens sive orta ex copula licita, sive illicita, sed solum jure ecclesiastico, *juxta probabiliorem, et expressam Benedicti XIV. Syn. Diœc. lib. 9. c. 13. n. 4.*, quidquid aliqui velint exclusum primum gradum lineæ rectæ ex copula licita, quem volunt dirimere jure naturæ.

4. Dispensari potest a Summo Pontefice non solum in primo gradu lineæ transversæ, prout jam dispensatum fuisse legitur, sed etiam in primo gradu lineæ rectæ, *ex Benedicto XIV. in Append. altera insert. Tom. 4. Bull. §. 14.*, licet id nunquam factum, non ex defectu potestatis, sed ob defectum causæ urgentissimæ, quæ exigitur ad dispensandum in primo gradu lineæ rectæ affinitatis.

III. Impedit solum usum matrimonii

1. Si affinitas superveniat matrimonio jam legitime contracto, seu privat incestuosum jure petendi debitum a comparte, adeo quod absque peccato nequeat incestuosus petere debitum conjugale, nisi obtenta prius desuper dispensatione, *ex cap. Si quis 1., et cap. Tuæ fraternitatis 10. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ.* Quare incestuoso petenti non tenetur pars innocens reddere debitum. Imo juxta aliquos, nec potest, ne videatur cooperari iniquæ actioni petentis, quamvis alii admittunt posse, si alias pars innocens, non valens pro libitu petere vel reddere debitum, gravaretur.

2. Excipe

1. Uxorem, a qua per vim frater mariti sui extorsit copulam, *ex cap. Discretionem tuam 6. De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ*, secus vero si solum per metum, licet gravem cadentem in constantem fœminam, ab ea extorsisset copulam, cum talis metus non tollat voluntarium, sicut violentia per dicta in Tab. III., quamvis aliqui velint, etiam metum gravem excusare.
2. Uxorem incestum committentem ex ignorantia sive juris specialiter prohibentis congressum cum fratre mariti, sive facti, quod scilicet talis sit frater mariti sui, *ex cap. Si quis 1. De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ*, ubi expresse exigitur, ut *scienter* id factum sit. Si vero incestum commisisset cum scientia juris & facti, sed ignorantia solius pœnæ, ab hac non eximeretur *juxta probabiliorem*.

* His duobus casibus exceptis, conjuges incestuosi privantur jure petendi debitum in foro conscientiæ ante omnem Judicis sententiam, *juxta probabiliorem, et Glossam, in expositione canonis Non desiderat 3. Causa 20. ad verbum Non frustratur.*

** Pœna hæc privationis juris petendi debitum extenditur usque ad quartum gradum inclusive ex affinitate orta ex copula licita inter conjugatos, usque vero ad secundum gradum inclusive ex affinitate orta ex copula illicita, seu fornicaria. Hinc si quis carnaliter cognovisset consanguineam uxoris suæ in tertio vel quarto gradu, non privaretur jure petendi debitum ab uxore.

IV. Hanc constituunt

1. In linea recta ascendentium Socer, & Socrus, Vitricus, & Noverca, descendentium vero Gener & Nurus, Privignus & Privigna; nomine autem *soceri* venit pater viri vel uxoris, nomine *socrus* mater viri vel uxoris, nomine *vitrici* venit maritus matris respectu filiorum prioris conjugis ejusdem patris; nomine *generi* venit maritus filiæ, nomine *nurus* uxor filii, nomine *privigni* venit filius mariti ex alia uxore, nomine *privignæ* venit filia uxoris ex alio marito.

2. In linea collaterali, seu transversali collaterales mariti respectu uxoris, & uxoris respectu mariti, qui in eo grado fiunt affines marito, vel uxori, in quo gradu sunt consanguinei ipsi marito, vel uxori, *ex Glossa in cap. Non debet 7. de Consanguinitate, et Affinitate ad Verbum. In secundo, et tertio.*

V. Dispensare

1. Super impedimento dirimente affinitatis, præter summum Pontificem, possunt etiam ex privilegio quidam Episcopi longe ab Urbe Romana distantes, præsertim Germaniæ, sed his non conceditur facultas dispensandi, nisi cum pauperibus, & quidem solum in tertio & quarto gradu consanguinitatis, & affinitatis.

2. Super impedimento impediente usum matrimonii, seu super amissione juris petendi debitum propter incestum, præter Summum Pontificem possunt & omnes Episcopi.

TAB. CXCIV: *De Impedimento Criminis dirimente Matrimonium.*

Impedimentum Criminis est, *scelerata quædam alterutrius Conjugis, adhuc vivente comparte, conspiratio de ineundo cum alio vel alia matrimonio, medio alterutro, ex duobus crimine*

I. Homicidii, quod

1. Ut habeat rationem veri impedimenti dirimentis requiritur, ut

1. Mors veri conjugis intercedat sive physice per se ipsum ferro, veneno &c., sive moraliter per alium v. g. consilio, jussione &c., non tamen sufficit sola machinatio effectu non secuto.

2. Occisio fiat de communi utriusque partis consensu, & quidem ea intentione signis externis manifestata, ut viro, vel uxore perempta, contrahant inter se matrimonium; quare si ex alio fine, quam in ordine ad contrahendum matrimonium cum alia persona, occidatur vir vel uxor v. g. ira, odio, vindicta; aut ex fine liberius cum alia peccandi, aut aliam, distinctam tamen a complice, ducendi, non induceret impedimentum dirimens.

3. Si occisio contingat ab uno tantum conjuge fieri, altero nesciente, vel sciente quidem, & non tamen cooperante, præcesserit inter ipsos verum adulterium, & quidem ante occisionem conjugis, quod verum est, quamvis fides de nubendo alteri non fuisset data, *ex cap.* Super hoc 3. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit.*

4. Prius matrimonium contractum fuerit validum; si enim constaret de nullitate prioris matrimonii, possent interfectores inter se valide contrahere, quia in tali casu non intercessisset uxoris, vel mariti homicidium, quod Sacri Canones exigunt.

2. Supposita morte conjugis, secuta cum mox relatis circumstantiis, nihil ad effectum pendit sive uxor machinetur mortem mariti, sive maritus mortem uxoris, *ex can.* Si quis vivente 5. *Causa* 31. *quæst.* 1., utpote in quo dicitur, quod uxorem alterius cognoscens, viro ejus defuncto possit eam in uxorem ducere, *nisi forte vir aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur;* quare non sunt audiendi negantes induci hoc impedimentum dirimens, pro casu quo uxor machinetur viro suo mortem.

3. Tamen solummodo ratihabitum; seu ratihabitio mortis conjugis ab altero causatæ non inducit impedimentum dirimens, ex Glossa in textum mox citatum ad Verbum *Occidisse*, tum quia ratihabitio non est causa occisionis, cum supponat occisionem jam factam, tum quia ratihabitio solum comparatur mandato vel in rebus, quæ a propria voluntate pendent, vel in iis, quæ a jure assignantur, ut percussio Clerici.

II. Adulterii vel

1. Quod ut habeat rationem veri impedimenti dirimentis requiritur ut

1. Verum sit adulterium, & quidem formare, quare si alteruter ignorasset, alterum esse conjugatum, licet in re ambo essent conjugati, adulterium hoc non deberet inducere impedimentum dirimens, *ex cap.* Propositum est nobis 1. *De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium;* & multo minus si matrimonium prius ex aliquo capite nullum fuisset, quia in tali casu verum adulterium non intercessisset.

2. Intercesserit inter ipsos copula perfecta juxta probabiliorem, quidquid aliqui velint induci hoc impedimentum etiam ex copula imperfecta, cum in tali casu non intercessisset verum adulterium.

3. Sit conjunctum cum fide data, sive ante, sive post adulterium de nubendo alteri post mortem conjugis, *ex cap. Si quis vivente* 8. *De eo qui duxit etc.* Si tamen quis vivente legitima uxore cum alia committeret adulterium, & post mortem uxoris eidem promitteret matrimonium, impedimentum non induceretur.

4. Intercesserit inter eos vera, & non tantum ficta promissio de nubendo post mortem conjugis, juxta aliquos, licet alii probabilius velint induci hoc impedimentum etiam ex ficta promissione, saltem pro casu quo is cui facta est promissio, non potuisset advertere fictionem.

5. Promissio de nubendo alteri post mortem conjugis fuerit verbis, aut signis externis manifestata, & ab altera parte acceptata, & quidem expresse, nam in hac materia taciturnitas ejus, cui promittitur, non habetur pro tacita acceptatione, cum acceptatio vergeret in ejus præjudicium; non tamen requiritur mutua promissio, seu repromissio, *juxta probabiliorem fundatam in textibus Significastis* 6. *et veniens* 2. *De eo, qui duxit in matrimonium.*

6. Promissio antecedenter data non sit revocata ante commissum adulterium per utriusque contrahentis mutuam remissionem. Quod si post taliter revocatam promissionem secutum fuisset inter ipsos adulterium sine nova promissione; tale adulterium non induceret impedimentum, quia simul non concurrerent promissio, & adulterium.

2. Sine quo, promissio sola de nubendo alteri post mortem conjugis non inducit impedimentum dirimens, sed solum grave peccatum, ob gravia pericula similibus promissionibus conjuncta, nec inducit obligationem, *ex cap. Si quis vivente* 8. *De eo qui duxit in matrimonium etc.*

N. B. 1. *Ignorantia sive juris, sive facti, sive pœnæ, seu quod ex dictis duobus criminibus oriatur impedimentum dirimens, non excusat, cum non habeat rationem puræ pœnæ, sed inhabilitatis.*

2. *Impedimentum criminis introductum fuit solum jure Ecclesiastico per textus relatos* can. Si quis 6. Causa 31. quæst. 1. cap. Laudabilem 1. de Conversione infidelium, & cap. Significasti nobis 6. De eo qui duxit &c. *et hoc ideo ut fides intacta servetur inter conjuges, et ne unus alterius mortem machinetur*, ex D. Thoma; *et hinc si uterque contracturus matrimonium sit infidelis cum adulterium committunt, vel occasionem præstant, vel promissionem faciunt futuri conjugii, possunt valide contrahere postquam conversi sunt ad fidem.*

3 *Super impedimento criminis nunquam Papa dispensat pro foro externo, si alteruter in mortem conjugis defuncti machinatus sit; si tamen occultum sit, dispensat quidem pro foro interno sacra Pœnitentiaria, sed difficillime, et non nisi urgentissima de causa.*

4. *Super impedimento vero criminis orto ex solo adulterio nullam machinationem secum habente dispensatur pro utroque foro ex rationabili causa, imo et Episcopi Germaniæ possunt ex privilegio tam pro foro interno, quam externo.*

TAB. CXCV. *De Disparitate cultus dirimente et impediente matrimonium.*

Disparitas cultus, seu diversitas Religionis

I. Intervenit, tum dum Fidelis contrahit matrimonium cum infideli non baptizato, tum dum Fidelis contrahit cum Hæretico: utrumque prohibitum est tum jure naturali ob periculum perversionis & timorem malæ educationis prolium, tum jure Divino insinuato ab Apostolo illis verbis: *nolite jugum ducere cum infidelibus*, tum jure Ecclesiastico, quia in pluribus Conciliis relatus in decreto Gratiani Causa 28. qu. 1. prohibitum est.

II. Dirimit matrimonium dum

1. Fidelis cum infideli proprie tali, seu persona non baptizata contrahit: & hinc invalide contrahit Catholicus cum Turca, Hebræa, aliaque gentili, licet catechumena, sine dispensatione.

2. Hæreticus cum persona non baptizata contrahit, & hinc matrimonium contractum ab Hebræo cum hæretica ante susceptum ab illo baptismum, nullum est, *ex Bened. XIV. In sua Constit. quæ incip.* Singulari *Tom. 3. Bull. ejusd. fol. 4. edit. Rom.* §. 1. Matrimonium vero contractum ab hæretico cum fideli baptizata, nullo inter ipsos interveniente impedimento aliquo canonico irritante, validum est, *ex D. Thoma in 4. dist. 39. qu. 1. ad 5.*, & hinc canon Synodi Trullanæ declarans irrita talia matrimonia vel non est authenticus, vel jam per consuetudinem universalem abrogatus.

* Introductum est hoc impedimentum, quatenus dirimens, solum jure Ecclesiastico, non quidem scripto, quia nullus canon seu decretum Ecclesiæ reperitur expresse irritans matrimonia inita inter baptizatos, & infideles, sed ad summum prohibens, *ex Benedicto XIV. ibid.* §. 9. solum proinde durat jure ecclesiastico consuetudinario, communi videlicet Ecclesiæ catholicæ consuetudine suscepto atque firmato, quod pluribus abhinc sæculis viget & vim legis obtinet.

* * Consuetudo hæc universalis Ecclesiæ obligat etiam partes, in quibus contraria aliqua particularis consuetudo viget. Et ideo Benedictus XIV. *ibid.* §. 19., non approbat doctrinam Lessii volentis matrimonia Lapponiorum & Sinensium inita inter baptizatos & non baptizatos, esse rata.

III. Non dirimit, si fidelis contrahat cum hæretica persona, nullo alio impedimento, etiamnum solo jure ecclesiastico dirimente inter ipsos occurrente.

IV. Impedit tamen, & illicitum reddit contractum, si

1. Fidelis contrahat cum hæretica, licet nullum ex tali connubio subesset periculum perversionis, aut alterius peccati, utpote graviter prohibitum, tum in jure tum per binas constitutiones Benedicti XIV., alteram *quæ incip.* Magna nobis *inser. Tom. 2. Bull. ejusd. fol. 187. edit. Rom.* §. *Neque, & seqq.*, cum aliunde prohibitum sit communicare in rebus sacris & divinis cum hæreticis, licet toleratis. Neque valet adducere consuetudinem contrariam, quia hæc reprobatur a mox laudato Pontif. *Synod. Diæces. lib. 9. c. 3. n. 2.*

2. Fidelis contrahat cum hæretica, etsi hæc promitteret matrimonio contracto conversionem, & hæretica haberet causam gravem differendi conversionem primo post matrimonium, v. g. ob timorem amittendi pinguem hæreditatem, *ex Benedicto XIV. Constit.* Magnæ nobis. *Tom. 1. bull. ejusd. fol. 18. edit. Rom.* §. *His autem*, & hinc dum petitur a Sede Apostolica dispensatio ad effectum contrahendi cum hæretica, non solet concedi, nisi hac expressa lege & conditione adjecta, nimirum: *abjurata prius hæresi*, & ita factum a Clemente XI. refert laudatus Benedictus *in prælaud. Constitutione.*

*** Neque obstat praxis contraria, quia si id practicatur in locis, ubi Catholici permixti vivunt cum hæreticis, id adscribendum vel contrariæ consuetudini in illis locis introductæ, ut aliqui volunt, vel tolerantiæ Sedis Apostolicæ, prout adscribit Benedictus XIV. *Constit.* Ad tuas. *Tom. 2. Bull. ejusd. fol. 491. edit. Rom.* §. *Degunt.* Nam ecclesiastica quadam prudentia, ne majora mala enascantur, dissimulat & tacet, inquit laudatus Pontifex, ex qua tamen tolerantia & dissimulatione non sequitur, quod talia matrimonia sint licita, sed semper manent illicita si contrahantur absque dispensatione.

V. In qua Papa

1. Potest dispensare, ut catholicus contrahat tum cum infideli non baptizata, tum cum hæretica, aut vicissim, sublato omni perversionis periculo ob urgentissimam causam, v. g. ob bonum publicum Ecclesiæ, vel Regnorum pacem, & familiarum concordiam, in iis præsertim locis, in quibus hæretici permixti vivunt cum Catholicis ex Benedicto XIV., qui opinionem illorum, qui negant hanc potestatem Papæ, ut temerariam & injuriosam auctoritati Papæ, rejicit, *Syn. Diæc. lib. 9. c. 3. n. 2. & 3.*

2. Dispensando ut Catholicus cum hæretica, aut vicissim contrahat matrimonium solet apponere conditiones sequentes videlicet, 1. ut exclusum sit periculum perversionis; 2. ut sancta Religio in liberis sive maribus, sive fœminis ex eo matrimonio suscipiendis servetur, & hinc non sunt admittenda pacta, ut vel omnes vel aliquæ proles, v. g. fœmellæ sint educandæ in secta hæretica matris, & masculi in fide catholica patris, utpote iniquissima & graviter peccaminosa tum jure Ecclesiastico, *Ex cap. ex literis 2. de Conversione infidelium*, tum jure divino, vi cujus Parentes curare debent, ut proles in vera fide educentur; & ut catholica persona in se suscipiat onus hæreticam partem ad Orthodoxam Religionem amplectendam perducere, *ex Bened. XIV. loco mox cit. lib. 9. c. 3. n. 5.*

N. B. *Pro casu, quo ex dispensatione Pontificia catholicus contrahat cum hæretica, non est impertienda benedictio nec celebranda Missa in præsentia hæreticæ personæ, nec matrimonium intra Ecclesiæ ambitum celebrandum*, ex Benedicto XIV. ibid. lib. 6. c. 5. n. 5.

TAB. CXCVI. *De Impedimento Metus dirimentis Matrimonium.*

Metus seu passio orta ex apprehensione mali imminentis

I. Ut dirimat matrimonium requiritur ut sit

1. *Gravis*, seu cadens in constantem virum vel fœminam, & consequenter ortus ex malis sive absolute, sive respective gravibus, ut censetur mors, mutilatio, cruciatus atrox, diuturnus carcer aut exilium, amissio status honorifici, bonorum omnium vel magnæ partis eorum, infamia juris vel facti, excommunicatio & similia capacia movere hominem de se non facile alias movibilem. Si autem metus sit solum levis, seu ortus ex apprehensione exigui mali tam absolute, quam respective, nullo modo dirimit matrimonium, & consequenter nec pure reverentialis seu conceptus ex reverentia erga superiores, nisi sit conjunctus vel cum timore gravis alicujus mali, *ex cap. Ex litteris* 11. *de Dispensatione Impuberum*, vel saltem cum precibus importunis seu instantissimis, & sæpius repetitis & inculcatis a Patre vel alio Superiore, *ex cap. Petitio* 31. *de jurejurando;* secus si preces illæ, licet importunæ, fiant ab inferioribus vel æqualibus.

2. *Ab extrinseco incussus*, seu a causa libera, e. g. ab homine: & ideo incussus solum ab intrinseco, seu a causa aliqua intrinseca, naturali, v. g. ab infirmitate, periculo naufragii, damnationis æternæ, non habet vim dirimendi matrimonium.

3. *Injuste incussus*, seu incussus a non habente potestatem malum comminatum inferendi; unde si Pater inveniens juvenem turpiter agentem cum filia, illum sub comminatione mortis adstringeret ad sponsandam filiam a se corruptam, nullum esset tale matrimonium, cum Pater non habeat potestatem inferendi mortem, e contra si quis induceretur ad ducendam puellam vi defloratam ad evadendum, comminatione alterius delicti, cui non est annexa obligatio ducendi puellam v. g. furti, homicidii &c., validum esset; & a fortiori, si quis a judice propter delictum, cui ex jure vel statuto annexa est obligatio ducendi puellam, cogeretur eam ducere, uti cogi posset, supposito quod præcesserint sponsalia, & non adsit justa causa ea dissolvendi, *ex Tab.* CLXXXIII. *&* CLXXXIV.

4. *Incussus ab eo*, de quo prudenter timeri potest quod malum comminatum executioni mandaturus sit, ut prudenter timeri potest de eo qui alias solet comminationes suas exequi.

5. *Incussus in ordine* ad extorquendum consensum circa matrimonium ineundum, & hinc Salmanticenses cum Clericato inferunt quod Matrimonium contractum a Medico cum infirma persona, quam recusavit curare nisi ei nuberet, nullum esset, saltem pro casu quo Medicus ille esset necessarius, & alius haberi non posset. E contra si quis ad evadendum comminatam in, & ex ira mortem a parente puellæ a se defloratæ, eligeret eam ducere, validum esset matrimonium, *ex cap. Cum locum* 14. *& cap. Veniens* 45. *de sponsalibus, & Matrimonio*, ubi non nisi ille metus allegatur, qui in ordine ad extorquendum Matrimonium injuste incutitur.

6. *Persistens:* si enim sciens infirmitatem sui contractus, ratione metus, libere admitteret copulam, aut etiam consentiret diu cohabitare cum comparte, per hæc censeretur tacite ratificatum prius matrimonium, quod metum patiens facere potest, & metum incutiens acceptare tenetur, *juxta probabiliorem, ex cap. Insuper* 4. *Qui matrimonium accusare possunt, & cap. Ad id* 2. *de sponsalibus, & Matrimonio*. Unde ortum habent duo illi versus:

Effuge cum poteris, ne consensisse puteris;
Nam si perstiteris, illius uxor eris.

II. Inducit

1. Nullitatem matrimonii ipso jure, sive vere, sive ficte consentiat ex metu gravi ab extrinseco incusso, nec propterea incidit in propositionem 29. ab Innocentio XI. damnatam.

2. Peccatum

1. Veniale, si ex metu gravi injuste ab extrinseco in ordine ad extorquendum matrimonium, ficte consentiat, ob mendacium, cum aliunde per illam simulationem nulla irrogetur Sacramento injuria.
2. Nullum, etiamsi vere consentiat, dummodo contrahat sine animo illud consummandi, aut exercendi alios actus conjugatis permissos.
3. Mortale, si contrahat quis animo & intentione illud consummandi, nisi bona fide putet sibi in tali casu licere non solum contrahere, sed & consummare Matrimonium.

III. Est impedimentum introductum jure Ecclesiastico per textus *Cum locum, & Veniens* supra citatos, & ideo introductum est, quia cum matrimonium sit contractus, qui rescindi non potest ad modum aliorum, necessum fuit ad gravissima incommoda ejusmodi matrimoniis coactis evenire solita, evitanda, ut constitutione juris statim a principio vis injusta illata matrimonio impedimentum afferret, cum postea non sit locus remedio.

TAB. CXCVII. *De Impedimento dirimente Ligaminis et Transitu ad secundas nuptias.*

Ligaminis impedimentum consurgit ex Matrimonio de præsenti tam rato, quam consummato; vi cujus

- **I. Excluduntur**
  - 1. Polyviria, seu pluralitas virorum, idest quod una fœmina plures viros matrimonio junctos habeat, prohibita est omni jure, etiam naturæ, & quidem primario, utpote obstans generationi prolium, nam uxor pluribus nupta difficili admodum fœcundatur, & proles est obnoxia multis in educatione periculis, & hinc inter sanctas fœminas veteris legis nulla omnino reperitur, quæ plures maritos uno eodemque tempore simul habuerit, ex quo aliqui volunt, quod polyviria sit contra primarium jus naturæ, atque adeo indispensabilis, ut refert *Bened. XIV. Syn. Diœc. lib.* 13. *c.* 1. *n.* 1.
  - 2. Polygamia, seu pluralitas uxorum prohibita est tum jure naturali, eo quod contra rationem est, ut quod uni traditum est privative, alteri tradatur, & aliunde ex ea oriri soleant inter uxores rixæ & discordiæ prout contigit Saram inter & Agar; Liam & Rachaelem, de quibus *Genes.* 16.; tum jure divino, ex mox dicendis, quod de fide certum est, utpote definitum ab Ecclesia in Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de Matr. Can.* 2. anathematizante negantes, ulla lege divina prohibitum esse Christianis plures simul uxores habere; tum jure Ecclesiastico, per textus infra referendos: quia vero Polygamia non videtur obstare primario fini, nempe generationi prolis, prout obstare videtur Polyviria, hinc fit, quod a Deo possit dispensari; prout etiam cum Patriarchis Veteris Legis Abrahamo, Jacobo & Davide post diluvium dispensatum fuisse testantur SS. Patres fundati in ipso facto Abrahami, alias sanctissimi, non reprehensi a Deo, uti reprehensus fuit Lamech, qui omnium primus ante diluvium duas acceperat uxores Adam & Sellam.
- **II. Admittuntur**
  - 1. Monogamia, seu una uxor uni viro tantum permissa est in Lege Evangelica, Christo auferente dispensationem inspiratione facta Patriarchis Veteris Legis, & reducente ipsum matrimonium ad primævam suam originem & institutionem unius cum una, verbis illis: *propter hoc dimittet homo Patrem & Matrem & adhærebit uxori suæ* (non vero uxoribus), *& erunt duo in carne una* (non vero tres vel quatuor) & hinc sequitur, quod

    * Contrahens matrimonium cum una redditur inhabilis ad contrahendum cum altera, priore vivente, prout insinuat Apostolus verbis illis: *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro;* & hæc inhabilitas dicitur impedimentum ligaminis, quod dirimit matrimonium: *ex cap.* Licet. 3. *de Sponsa duorum*, quod verum est, etsi prius matrimonium non foret consummatum, *ex cap.* Tuas. 5. *de sponsa duorum*.
  - 2. Bigamia, seu transitus ad secundas Nuptias, post mortem primi Conjugis indubiam
    - 1. Quæ Licita est
      - 1. Per se ex communi & expressa Apostoli sententia asserentis. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino*, 1. ad Corinth. c. 7.
      - 2. Etiam intra annum luctus, *ex cap.* Super illa 4. & *cap.* Secundum Apostolum. 5. *de secundis Nuptiis*, quamvis Jus Civile aliquibus pœnis afficiat fœminam transeuntem tam intra annum luctus, quam hoc transacto, ad secundas nuptias: & jus Canonicum talem reddat irregularem, *ex cap.* Debitum Pastoralis Officii. 5. *de Bigamis non ordinandis*, ex suppositione tamen quod secundum matrimonium fuerit consummatum; ob defectum significationis Sacramenti. Talis autem transitus nonnisi postquam habita fuerit vel evidentia de morte primi conjugis, vel saltem moralis certitudo, *ex cap.* In præsentia 19. *de Sponsal. & Matrimon.*, *& cap.* Dominus. 2. *de secundis Nuptiis*.
    - 2. Quam non reddit
      - 1. Sola absentia conjugis quantumvis diuturna, ut contra jus civile, exigens solum quinquennium, declaratum est, *cap.* 12. *In præsentia* 19. *de Sponsalibus & Matrimonio*, cui unice standum in causis matrimonialibus & spiritualibus, *ex cap. Cum secundum* 5. *de secundis Nuptiis*.
      - 2. Sola fama de morte conjugis; bene vero si hæc conjuncta sit cum diuturna absentia, & ipsa fama probata sit depositione jurata duorum testium omni exceptione majorum, se a majori parte viciniæ, vel Oppidi, in quo morabatur conjux, audivisse mortem ipsius.
      - 3. Dictum unius testis cujuscumque, nisi accedant alia adminicula, conjecturæ & præsumptiones, v. g. senectus conjugis absentis, ægrotatio ipsius tempore pestis, conflictus tempore belli, longa & diuturna ejus absentia.
    - 3. Et ideo
      - 1. Transiens ad secundas nuptias cum dubio de vita prioris conjugis, peccat mortaliter & privatur jure petendi debitum, quod tamen reddere tenetur, in suppositione quod alter conjux bona fide contraxerit, saltem elapso primo bimestri, *ex cap. Dominus* 2. *de secundis Nuptiis*. Quod si uterque mala fide, seu cum dubio de vita prioris conjugis, contraxisset, neuter, stante tali dubio, posset petere, vel reddere debitum.
      - 2. Transiens ad secundas nuptias sive bona, sive mala fide, dum certam acquirit notitiam de vita prioris conjugis, tenetur a secundis recedere, *ex cap. Dominus* 2. *de Secundis Nuptiis*.
      - 3. Transiens ad secundas nuptias cum certitudine de vita prioris conjugis, incurrit pœnam infamiæ, fitque irregularis, utpote interpretative bigamus, *ex cap. Nuper* 4. *de Bigamis non ordinandis*, & intra Romanum Imperium ultimo supplicio afficiendus, quod si id fecisset judicando temerarie & pertinaciter, id sibi licere, condemnandus esset de hæresi, utpote sentiens contra definitionem Ecclesiæ universalis repræsentatæ in Concilio Œcumenico Tridentino, quod Sess. 24. de Matrimonio can. 2. definiendo dixit: *si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.*

TAB. CXCVIII. *De Impedimento Publicae Honestatis dirimente matrimonium.*

Impedimentum Publicæ Honestatis, quæ est *propinquitas quædam*,

- **I. Quæ oritur vel ex**
  - ** Sponsalibus*, quæ esse debent
    1. Valida; & ideo non oritur ex sponsalibus sive invalidis, *ex Tridentino*, sive initis a parentibus pro filiis absentibus, nec expresse aut tacite ea ratificantibus, & quidem libere, juxta dicta in Tab. CLXXXIII.
    2. Absoluta; unde si quis contractis sub conditione aliqua cum Bertha v. g. ante eventum conditionis, iniret matrimonium cum ejus sorore, illicite quidem, valide tamen faceret, *ex cap.* Ex sponsalibus, *Unico de Sponsalibus & Matrimonio* 126.
    3. Valida & absoluta inducunt impedimentum dirimens ex jure infra citando, & quidem etsi mutuo consensu dissolverentur, *ex declaratione Sacræ Congregationis approbata ab Alexandro VII.*
    4. Et inducunt solum impedimentum dirimens in primo grado, adeo ut sponsus nequeat contrahere cum Matre, Filia, aut Sorore sponsæ, & vicissim sponsa nubere non possit Patri, Fratri & Filio prædicti sui sponsi, *ex Tridentino Sess.* 24. *de Reform. Matr. c.* 3., quia hi tres primum consanguinitatis gradum occupant cum ipso sponso vel sponsa: possunt tamen tam sponsus quam sponsa contrahere cum affinibus sponsæ vel sponsi *juxta probabiliorem*, & hinc sponsus posset contrahere matrimonium cum uxore fratris sponsi, hoc defuncto, quia uxor fratris sponsi huic est solum affinis, & sponsa posset contrahere matrimonium cum marito sororis sponsi, hoc defuncto.
    5. Et non dirimuntur si valida sunt & absoluta per subsequens matrimonium invalidum contractum cum Matre, Filia, aut Sorore, dummodo non sit consummatum, juxta infra dicenda.
  - *** Matrimonio solum rato & non consummato*
    1. Sive valido, sive invalido, dummodo non sit invalidum ex defectu consensus, *ex cap.* Ex sponsalibus *Unico de Sponsalibus & Matrimonio* 126., & hinc ex matrimonio rato contracto a pueris, amentibus, & iis qui ex errore personæ contrahunt, non inducitur impedimentum dirimens publicæ honestatis, cum tale matrimonium sit nullum ex defectu consensus: inducitur vero si matrimonium ratum sit nullum, quia contractum v. g. cum consanguinea, affine &c.
    2. Dirimit usque ad quartum gradum inclusive adeo quod contrahens matrimonium cum aliqua non possit, salvo priori vinculo, contrahere cum consanguineis Uxoris usque ad quartum gradum inclusive, etsi matrimonium prius non fuisset consummatum aut invalidum, *ex S. Pio V. Constit. quæ incip.* Ad Romanum Pontificem, *Tom.* 2. *Bull. Cherubini fol.* 258. *& Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib.* 9. *c.* 13.
    3. Non dirimit priora sponsalia valida & absoluta. Hinc si quis post contracta talia sponsalia iniret matrimonium cum sorore sponsæ, matrimonio non consummato, teneretur adhærere primæ sponsæ, *ex speciali juris dispositione relata cap. Ex sponsalibus, Unico de sponsalibus & matrimonio* 126., cum matrimonium nullum fuerit ob impedimentum publicæ honestatis, quod si secundam, cum qua contraxerat matrimonium, carnaliter cognovisset, neutram accipere posset, non primam ob contractam affinitatem, non secundam propter publicam honestatem.
- **II. Introductum fuit**
  1. Jure Ecclesiastico per textus relatos *can. Si quis desponsaverit* 13. *Causa* 27. *qu.* 2. *cap. Juvenis* 3. *& cap. Sponsam* 8. *de Sponsalibus & Matrimonio:* & licet mox citati textus videantur solum loqui de matrimonio rato, intelligendos tamen esse etiam de sponsalibus advertit Glossa *in cap. Si quis cit. ad Verbum Si quis*.
  2. Ut servetur quædam honestas & decentia inter personas contrahere volentes, seu ut servetur obsequium, respectus, ac quædam reverentia erga præcendentia sponsalia, vel ratum conjugium, in quibus cum consueverint sponsi initiare matrimonium per aliquos actus ad illud spectantes, scilicet amplexus & oscula, videtur esse contra pudorem, ut sublata prima persona, cum qua fuerunt exerciti, deinde matrimonialis conjunctio ineatur cum consanguinea primæ sponsæ.
- **III. Ut relaxetur, in Supplici libello exprimi debent**
  1. An honestas publica proveniat ex sponsalibus, vel matrimonio rato.
  2. Si ortum habeat ex matrimonio rato: an antecedenter intercesserit copula: in quo casu duplex esset impedimentum, scilicet publicæ honestatis, & affinitatis.
  3. Ut adducatur causa aliqua justa v. g. angustia loci, reparatio famæ sponsæ, si forte cum habente impedimentum publicæ honestatis minus honeste conversatus fuisset, nam, cessante justa causa, Pontifex non solet dispensare.
- **IV.** Potest relaxari ab Episcopis Germaniæ per privilegium impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus; nequeunt tamen sine justa causa, etiamnum valide, id facere.

TAB. CXCIX. *De Impotentia copulam conjugalem exercendi, dirimente, vel non dirimente matrimonium.*

Impotentia, seu inhabilitas ad exercendam copulam carnalem perfectam si sit antecedens seu contingat ante celebratum matrimonium

I. Dirimit matrimonium si

1. Sit perpetua, qualis censetur, quæ absque miraculo, aut vitæ periculo aut peccato tolli nequit, *ex cap. Fraternitatis 6. de Frigidis, & Maleficiatis*, sive dein sit naturalis, & ab intrinseco, seu orta ex defectu ipsius naturæ, ut in viris potest esse vel nimia frigiditas, vel nimius calor, in fœminis vero esse potest nimia arctitudo, dum videlicet fœmina est tam arcta, ut a viro penetrari non possit, sive ab extrinseco, opere videlicet hominis, aut maleficio.

2. Sit absoluta, qualis censetur, quando quis cum nulla omnino posset habere copulam perfectam; uti contingeret in carente utroque testiculo, in habente temperamentum vel nimis frigidum, vel nimis calidum.

3. Certa certitudine sive physica, sive morali constet de impotentia perpetua absoluta, statim, nullo triennio experientiæ concesso, separandi sunt, juxta dicenda in sequenti Tabula.

4. Dubium sit, an impotentia sit perpetua? uti plerumque dubitari potest & solet, dum agitur de impotentia orta ex frigiditate, maleficio, arctitudine mulieris &c., concedendum est triennium experientiæ, *ex cap. Laudabilem 5. de Frigidis, & Maleficiatis*, hoc autem triennium inchoandum est a die attentatæ copulæ, attento jure, attamen consuetudine, & Stylo Romanæ Curiæ a decreto Judicis, respectu tamen juvenum inchoandum est a plena pubertate, quæ in viris censetur adesse completo 18. anno, in fœminis vero expleto 14.

5. Post triennium experientiæ duret impotentia: Unde separandi sunt, juxta tamen infra dicenda.

6. Ante pubertatem tum legalem (quæ a fœminis acquiritur anno 12., & a viris anno 14. completo) tum naturalem (quæ consistit in eo, quod adsit in contrahente sufficiens discretio, ac judicium ad sese obligandum, ac facultas coeundi) quis contrahat; Et nullum est matrimonium jure ecclesiastico ob defectum ætatis requisitæ a jure per textum allatum, *cap.* Ubi non est consensus. 2. *De desponsatione impuberum juncta Glossa ad Verbum Canonibus*, extra tamen casum, quo vel impubes esset pubertati proximus, seu non distaret a pubertate ultra sex menses, *ex cap.* Continebatur. 6. *de Desponsatione impuberum juncta Glossa ad Verbum Proxima*, vel malitia suppleret ætatem, juxta mox dicenda.

* Cum impubere habente sufficientem discretionem & judicium ad sese obligandum, carente tamen facultate coeundi, potest Papa dispensare urgente gravissima causa, v. g. bono pacis. *ex cap. Ubi non est consensus supra citato*, ex quo fit, quod attento præcise jure naturæ in quacumque ætate contrahi possit matrimonium, dummodo adsit perfectus usus rationis, & hinc infideles valide contrahunt matrimonium in quacumque ætate.

II. Non dirimit si impotentia

1. Sit solum temporalis, qualis censeretur, quæ ope, & arte naturali licita, vel precibus, aut consuetis Ecclesiæ Exorcismis tolli potest, ex quocumque demum capite orta sit.

2. Sit respectiva, nisi respectu illius personæ, quacum est impotens, *ex cap.* Fraternitatis 6. *de Frigidis, & Maleficiatis*.

3. Sit inter impuberes, in quibus malitia superaret ætatem, seu in quibus adest facultas coeundi, & sufficiens discretio & judicium ad sese obligandum, licet deficeret pubertas legalis, *ex cap. De illis* 9., *& cap. Tuæ nobis* 14. *de Desponsatione impuberum*, quod relinquitur judicio Ordinariorum, & in tali casu ipsimet Ordinarii possunt impertiri licentiam contrahendi ante præscriptam a jure ætatem, nec opus est recurrere ad Sedem Apostolicam, *ex Bened. XIV. Constit. quæ incip.* Magnæ nobis. *Tom. 2. Bull. ejusd. fol.* 413. *edit. Rom.* §. *At licite aliquis*.

4. Sit orta ex maleficio, quod solutione licita pacti, vel exorcismis Ecclesiæ tolli potest: nam orta ex maleficio plerumque est vel solum temporalis, seu ad tempus, vel solum respectiva.

5. Sit orta ex arctitudine mulieris, quæ juvari potest incisione sine periculo vitæ, quam incisionem tenetur pati uxor eo ipso, quod sine periculo vitæ fieri possit, licet non sine aliquo, etiam gravi, dolore & molestia.

6. Consistat in eo, quod vir partem seminis effundere soleat extra vas, cum pars remanens sufficiens sit ad consummandum matrimonium; secus si ob temperamentum nimis calorosum soleret totum effundere semen extra vas, & id elapso etiam triennio experientiæ; in quo casu censetur impotentia naturalis ex parte viri perpetua juxta superius dicta.

** Hermaphrodita, qui videlicet utroque sexu pollet, virili, & fœmineo, valide contrahit juxta sexum prævalentem, invalide vero juxta sexum minus prævalentem; & a fortiori si in neutro sexu esset potens: quod si in utroque æqualiter potens est, datur ei optio; semel tamen uno electo, non potest mutari sexus sine peccato mortali. Et si mutaret sive durante matrimonio contracto juxta sexum masculinum peccando ad instar fœminæ cum altero viro, sive dissoluto priore matrimonio transiret ad secundas nuptias juxta sexum fœmineum, in primo casu præter peccatum adulterii peccaret contra juramentum, quia electo statu debet jurare coram Judice Ecclesiastico quod perseverare velit in illo sexu; in posteriori vero casu peccaret quidem contra juramentum, validum tamen esset matrimonium. Parochus autem tali Matrimonio assistens debet esse certus de juramento emisso, vel coram Episcopo, vel judice Ecclesiastico, sine qua certitudine non potest licite assistere, juxta omnes.

*** An, Quando, Quomodo, & Quibus cautelis, facienda sit separatio ratione impotentiæ perpetuæ, dicetur in sequenti Tabula.

TAB. CC. *De Impotentia superveniente, et observandis in separatione exequenda ob impotentiam antecedentem perpetuam.*

Impotentia superveniens Matrimonio legitime contracto

I. Non dirimit Matrimonium antecedenter legitime contractum, *ex cap. Hi qui Causa* 32. *qu.* 7., quod verum est, etsi quis certo sciret supervenisse Matrimonio legitime contracto, rato dumtaxat, quamvis in hoc casu prudenter dubitari possit: an præcesserit vel superveniret? & videatur standum potius pro eo, quod præcesserit, *ex cap. Litteræ vestræ* 7. *de Frigidis & Maleficiatis.*

II. Impedit attentationem copulæ, si certo constat de impotentia perpetua seminandi intra vas uxoris, quia conjugibus permissa est solum copula intra vas legitimum.

III. Permittit

1. Si non certo constet de impotentia perpetua (uti constare taliter non poterit, dum agitur de impotentia orta ex arctitudine mulieris vel maleficio superveniente, sed semper adsit spes vel saltem dubium an adsit nec ne spes seminandi intra vas), in tali casu attentare copulam, quamvis eam attentando contingeret effusio seminis extra vas.

2. Laboranti impotentia superveniente exercendi copulam, tandiu eam attentare, quamdiu adest spes probabilis seminandi intra vas; si vero omnibus bene perpensis non adesset probabilis illa spes, sed omnino dubium de perpetuitate impotentiæ supervenientis, in tali casu non posset attentare copulam ultra triennium.

IV. Vetat

1. Elapso biennio attentationis copulæ sine effectu, prohibetur quidem impotenti ultro attentare copulam, non tamen prohibiti sunt tactus, amplexus, oscula, dummodo absit periculum pollutionis; & licet aliqui hæc ipsi admittant etiam præviso periculo pollutionis, dummodo absit periculum consensus in illam, qui tamen vix abesse potest, hinc negandum venit, quod ipsi liceant prædicta cum præviso periculo pollutionis, & cum ex tactibus, amplexibus, & osculis obscœnis vix absit periculum pollutionis, hinc a similibus omnino abstinendum.

* Placuit in præcedenti §. ad litteram referre Auctoris sententiam, cui (etsi abstinendum a similibus judicet) necessarium subnectere duxi: Si mentem meam, juxta probatissimorum Auctorum, & S. Sedis oracula reserare debeam: dico nihil plane taliter impotenti concedi posse eorum, quæ nacta sunt causare probabile periculum, minusque si ipsam pollutionem: ex quo fine quæso talia exercentur? Concubitus habendi? sed hic jam illicitus est? & cum ulterius attentare prohibetur, dicendum est igitur, solius voluptatis libidinosæ captandæ gratia. Ast etiam ipse actus conjugii exercitus ob solam voluptatem, pro ratione affectus graviter vel leviter peccaminosus est, juxta sententiam damnatam ab Innocentio XI., quam vide Tab. CCVII. n. II., in quo tamen intendi potest finis principalis; igitur & multo magis tactus, amplexus, oscula &c., ob solam libidinem exerciti, qui nullo alio fine cohonestari possunt. Præterea pollutio est intrinsece mala, & in nullo casu, ubi prævideri possit, cohonestanda; adeo quod conjuges etiam potentes coire, sine intentione coeundi, tales actus exercentes cum probabili periculo pollutionis, peccent mortaliter; quia omnes hujuscemodi actus, oscula, aspectus, tactus &c., sunt dispositio proxima ad coitum & ad excitandos spiritus genitales, nec non animandum semen pro generatione & consequenter ad provocandam per se pollutionem. Hinc sicut hi peccant per tales actus huic se exponentes absque congressu consummativo: sic talis impotens abutendo mediis ad finem sibi illicitum directis.

2. Mox dicta non procedere pro casu, quo viro superveniret impotentia (eo quod post matrimonium legitime contractum utroque testiculo orbaretur), aliqui volunt, admittentes tali attentationem copulæ, eo quod talis per accidens solum impediatur exercere veram copulam conjugalem, quia verum semen effundere nequeat. Sed horum opinionem sufficit retulisse, quin ei adhærendum judicem.

V. Obligat

1. Soluto Matrimonio ratione impotentiæ, quæ credebatur perpetua, si post secundas nuptias a non impedito celebratas, conjux ille reddatur idoneus, debet ad prioris conjugis, secundo thoro relicto, jura redire, *ex Bened. XIV. Syn. Diœc. lib.* 13. *c.* 21. *n.* 5., quod verum est etsi per sententiam facta fuisset separatio, quia sententia lata in causa matrimoniali nunquam transit in rem judicatam, *ex cap. Later.* 7. *de sententia, & re judicata, & cap. Fraternitatis* 6. *de Frigidis & Maleficiatis.*

2. Si separatione facta ob arctitudinem mulieris contingat; quod hæc post cognoscatur ab alio viro, in hoc casu, si vir, a quo cognita fuit, erat similis ætate, robore ac membro virili viro, a quo separata fuit (quod semper præsumitur, nisi contrarium probetur), priori restituenda est. Si vero cognita fuisset a viro dissimili, non esset restituenda, *ex cap. Fraternitatis*, 6. *de Frigidis & Maleficiatis.*

VI. Separat cum cautela, id est

1. Separatio ratione impotentiæ non debet propria, sed judicis Ecclesiastici auctoritate fieri, *ex cap. Porro* 3. *de Divortiis* ad instantiam partis petentis, quæ tamen fieri non debet, nisi cum cautelis præscriptis tum *cap. Laudabilem*, 3. *de Frigidis, & Maleficiatis*, tum a *Bened. XIV. per suam Constitutionem, quæ incipit*, Dei miseratione, *insertam Tomo I. Bull. ejusd. fol.* 81. *edit. Rom.*

2. Si agnita impotentia ambo consentirent cohabitare ad instar fratris & sororis (quod tamen non facile concedendum, ob periculum incontinentiæ, quod vix abesse potest), non posset Judex denegare hujusmodi cohabitationem: cum id a jure permissum sit, *ex cap. Laudabilem* 5. *de Frigidis & Maleficiatis*, in quo tamen casu non possunt conjuges in eodem lecto jacere, nec ipsis essent liciti tactus, aspectus, oscula &c. lasciva, & multo minus attentatio copulæ; quod si semel concessa cohabitatione, Judex resciret ipsos incontinenter vivere sive vacando tactibus, sive in eodem lecto cubando, facienda esset separatio.

TAB. CCI. *De Clandestinate, seu Matrimonio contracto sine præsentia Parochi, et duorum saltem testium.*

Clandestina desponsatio

I. Ex pluribus capitibus contingere potest, nempe si fiat vel non præmissis denunciationibus, de quo in Tabula CLXXXV., vel sine consensu Parentum, de quo in Tabula CLXXXIII. & CLXXXVIII., vel ob defectum Parochi, & Testium, de quo solum in præsenti Tabula.

II. Illicita fuit semper in Ecclesia, *ex Tridentino Sess. 24. de Reform. Matrim. c. 1.*, & de facto etiam est respectu omnium omnino Christianorum Legibus Ecclesiasticis subjectorum; attamen attento jure antiquo non erant invalida Matrimonia clandestine contracta, quia nullus textus canonum antiquorum adduci potest qui haberet clausulam irritantem.

III. Invalida tamen post Tridentinum censetur

1. Respectu degentium in locis, ubi Tridentinum est promulgatum, & in puncto clandestinitatis receptum, de quo infra, sive contrahentes sint Catholici, sive Acatholici, seu Hæretici, *ex Declaratione Sac. Congregationis*; secus vero respectu aliorum extra dicta loca degentium, *ex Tridentino, et Declaratione Sac. Congregat. quam refert Reiffenstuel lib. 4. Decretal. num. 117. & 119.*

2. Si non fiat coram proprio, saltem alterutrius sponsi, Parocho, sive dein domicilii, sive quasi domicilii proprius sit; ad acquirendum autem quasi domicilium ad effectum contrahendi Matrimonium coram Parocho proprio quasi domicilii, etsi attento præcise rigore sufficiat unus alterve dies cum animo ibidem permanendi per majorem partem anni, attamen Benedictus XIV. exigit, ut spatio saltem unius mensis antequam contrahatur Matrimonium, ille, qui contrahit, habitaverit in illo loco, ubi Matrimonium celebratur, *Constit.* Paucis *edit.* 1758. 19. *Martii in Append. altera ad Tom. IV. Bull. ejusdem §. Post hæc.*

3. Si Parochus non sit ita præsens, ut videre possit contrahentes, & audire verba mutuum consensum exprimentia, *ex Declaratione Sacræ Congregationis edit. an.* 1681. *relat. a Benedicto XIV. Syn. Diœces. lib. 13. c. 23. n. 1.*, aut non intelligat idioma contrahentium, licet adhibitus fuisset interpres, *juxta probabiliorem.*

4. Si alius assistat ex sola præsumpta licentia, seu ratihabitione de futuro, proprii Parochi, seu quod ratum haberet proprius Parochus, si interrogaretur. Aliud esset, si præsumpta licentia fundaretur in ratihabitione de præsenti signo externo manifestata.

5. Si retinens proprium domicilium se transferat ad locum non promulgati, vel non recepti Tridentini in fraudem legis, seu præcise animo ibidem clandestine contrahendi, *ex Declaratione Sacræ Congregationis, sub Urbano VIII. an.* 1626. *Brev. quod incip.* Exponi. *exped.* 14. *April.* 1626. *in Append. ad Tom. IV. Bull. Bened. XIV.*, & *ejusdem declarat. facta die* 9. *Martii* 1758., quidquid aliqui contrarium sentiant. Excipe, si transferens se accipiat incolam loci, quod si vero quis se transferret ad dictum locum sive casu, sive ex aliqua causa v. g. peregrinationis, aut negotiationis gratia, & ibi contraheret sive cum sponsa ibi habitante, sive cum alia ex loco promulgati & recepti Tridentini, illuc casu, vel quacumque de causa (non tamen ad effectum præcise contrahendi) translata; valide contrahi. Quod si quis se transferret ad locum non promulgati vel non recepti Tridentini, animo ibi figendi verum, aut quasi domicilium, valide contraheret non servata forma Tridentini; etsi se illuc transferret animo declinandi legem, uti & Vagus.

6. Si contrahatur a milite in præsentia Capellani Castrensis, nisi hic supponatur præditus speciali facultate Sedis Apostolicæ, uti de facto sunt præditi tum Capellanus major, tum alii ab ipso delegati respectu militum domui Austriacæ subjectorum, vi Indulti primo facti Carolo VI. Romanorum Imperatori piæ memoriæ ab Innocentio XIII., secundo concessi Augustissimæ Mariæ Theresiæ Imperatrici a Benedicto XIV. Si tamen milites hujusmodi contrahant cum aliqua ibi domicilium, vel quasi domicilium habente, tunc præter Capellanum, Castrensem, etiam Parochus loci præsens esse, & assistere debet; præciso autem privilegio, milites, tamquam vagi, copulandi sunt a Parocho loci, ubi morantur, & non ab eorum Capellano, nisi hic obtineat licentiam ab Ordinario, vel Parocho.

7. Si præter Parochum non adhibeantur saltem duo testes, & quidem simultanee cum Parocho: si enim vocarentur post discessum Parochi, nullum esset Matrimonium; testes autem requisiti non necessario esse debent omni exceptione majores, sed quicumque illi sint, dummodo usum rationis habeant, sive dein sponte & libere, sive inviti & coacti assistant, dummodo sentiant & intelligant contrahentium consensum.

IV. Valida etiam non servata Tridentini forma

In locis, in quibus Tridentinum censetur

1. Non promulgatum, ut in Anglia, Scotia, Hibernia, Svetia, Dania, Saxonia, Pomerania, Borussia, & aliis partibus septentrionalibus. *Ex Bened. XIV.*

2. Non usu receptum in puncto clandestinitatis in aliquibus partibus Regni Gallorum, & Poloniæ, ideoque matrimonia clandestina in talibus locis contracta valida sunt, quæ subsistere dicenda sunt, quamvis facta contra prohibitionem expressam etiam irritantem editam ab aliquo Episcopo, etiam in aliqua Synodo. *Ex Bened. XIV. Syn. Diœces. lib. 12. c. 6. num. 5.*

In Hollandia, & Belgio confœderato

1. Contracta sive ab Hereticis inter se, sive inter Hereticum, & Catholicam, vel vicissim: nam etsi in illis Regionibus, juxta laudatum Pontificem, Tridentinum fuerit promulgatum, Matrimonia tamen talia valida sunt ob speciale Privilegium a præfato [illegible] concessum per Constitutionem *Matrimonia*. 23. Decemb. an. 1741.

2. Non vero contracta inter personas utrinque Catholicas. *Ex eod. ibid.*

V. Punitur & quidem

1. Contrahentes sine præsentia Parochi, arbitrio Ordinarii puniendi sunt.

2. Horum desponsatio nec habet rationem sponsalium. *Ex Decreto S. Congregationis tum in una Messinensi* 5. *Decemb.* 1573., *tum in alia Geracensi an.* 1689., & *Bened. XIV. titul. referente Inst.* 46. §. *Nos quidem.*

3. Parochus vero vel alius Sacerdos præsumens conjungere Sponsos alterius Diœceseos, ipso jure suspenditur ad arbitrium Ordinarii illius Parochi, qui Matrimonio interesse debuisset. *Ex Tridest. Sess.* 24. *de Reform. Matrim. c.* 1.

TAB. CCII. *De Casibus, in quibus non censetur clandestina desponsatio, atque adeo Matrimonium contractum subsistit.*

Clandestina desponsatio non censetur, atque adeo subsistit Matrimonium, si contrahitur coram

I. Parocho

1. Proprio, licet nondum esset Sacerdos, *ex Decreto Sacræ Congregationis;* talis tamen Parochus non nisi Sacerdoti potest delegare potestatem assistendi matrimonio, *ex Tridentino de Reform. Matrim. c.* 1.

2. Affectante se non videre, aut audire contrahentes, quia ipse data opera videre & intelligere noluit, claudendo videlicet oculos, obturando aures, *ex Benedicto XIV.*

3. Coacto, invito, aut fraude detento, *ex Decreto Sacræ Congregationis die* 19. *Augusti* 1591. *inserta Trident. ad cap.* 1. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim.*

4. Suspenso, interdicto, excommunicato, licet vitando, *ex Declaratione Sacræ Congregationis, et Benedicto XIV. Synod. Diœces. lib.* 13. *c.* 5. *n.* 2., quod procedit etiam pro casu, quo ei ab Episcopo, sive generaliter esset interdictum administrare Sacramenta, sive specialiter administrare Matrimonium, quia assistentia Parochi in ordine ad Matrimonium celebrandum non est actus jurisdictionis, sed nudus actus testis qualificati.

5. Amoto a Parochia ex rationabili causa cum substitutione Vicarii, dummodo non sit amotus propter crimen habens ipso facto annexam privationem beneficii, ut est hæresis, quia extra hunc casum est adhuc verus Parochus.

6. Solum potativo, dummodo per errorem communiter, & vulgo verus Parochus esse credatur & pro tali habeatur, quamvis in re verus Parochus non sit, quia simoniace v. g. promotus.

7. Proprio, aut ejus delegato assistente Matrimonio in aliena Parochia sine licentia Parochi, cui subjecta est Parochia: cum assistere Matrimonio non sit actus jurisdictionis, uti dictum, vel certe non contentiosæ; attamen si id præsumeret facere solemniter copulando, inconsulto Parocho loci, proculdubio peccaret mortaliter: secus si privatim, seu in domo aliqua privata assisteret; sed in hoc casu benedictio nuptialis in Ecclesia postmodum supplenda est, & quidem ante consummationem Matrimonii, juxta tamen dicta in Tabula CLXXXVI. n. 8.

8. Alterutrius Parochiæ respectu illius, qui in duabus Parochiis æqualiter habitat, v. g. in hyeme in una, in æstate in altera; nam talis posset ad libitum ex duabus eligere unam Parochiam in ordine ad contrahendum Matrimonium.

9. Alterutrius Sponsi, *ex Declaratione Sacræ Congregationis. Apud Reiffenstuel lib.* 4. *Decretal. tit.* 3. *n.* 55. 56. 57. *et* 63., quidquid aliqui velint, adhibendum Parochum illius Parochiæ, in qua celebratur Matrimonium, quamvis standum sit consuetudini communiter receptæ, ut Matrimonium celebretur in Parochia & coram Parocho Sponsæ, acceptis tamen prius litteris testimonialibus a Parocho Sponsi, quibus certior fiat quod præmissæ fuerint denunciationes, nemine quidquam opponente.

Quocumque respectu Vagi, qui scilicet nullibi domicilium habet vel si habuit, hoc relicto peregrinatur animo ibi constituendi sibi domicilium, *ex Benedicto XIV. lib. Instit.* 33. §. *Sed jam.* Quod procedit etiam pro casu, quo deserens proprium domicilium jam se determinasset, ubinam sedem, seu domicilium sit collocaturus, cum domicilium sola animi determinatione absque facto ipso, seu actuali habitatione non comparetur. Nequit tamen Parochus assistere Matrimonio Vagi, nisi prius diligentem inquisitionem fecerit, & re delata ad Ordinarium, ab hoc petita & obtenta fuerit licentia ipsum copulandi, *ex Tridentino Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 7. aliter faciens Parochus peccat quidem mortaliter; validum tamen est Matrimonium, *ex Declaratione Sacræ Congregationis apposita ad præfat. Trid. cap.*

II. Delegato a Parocho (vel alio, qui sub nomine Parochi venit, de quo infra), qui tamen nequit alteri subdelegare talem facultatem, nisi delegatus supponatur ab Episcopo vel Parocho delegatus ad universitatem causarum, uti censetur ille, cui generaliter, & sine exceptione committitur cura animarum, aut administratio Sacramentorum; secus si ad unam tantum causam delegatus fuisset, quia talis non posset alteri causam illam subdelegare; si tamen quis delegatus fuisset a summo Principe (qualis in hac materia est solus Papa), talis delegatus, etiam unice ad assistendum Matrimonio, posset talem facultatem subdelegare.

III. Duobus solummodo testibus, pro casu, quo in aliquo loco haberi non posset Parochus catholicus, nec ad eum securus accessus daretur, in quo tamen casu duo ad minimum testes adhibendi essent, & quidem ad valorem, *ex Declaratione Sacræ Congregationis apud Clericatum de Matrim. Decis.* 33. *n.* 10., *et Benedicto XIV.*

N. B. *Nomine Parochi, coram quo valide contrahi potest Matrimonium, venit non solum Parochus, sed et Episcopus et hujus Vicarius Generalis, Capitulum Sede Episcopali vacante et ejus Vicarius, Nuntius Sedis Apostolicæ respectu Provinciæ sibi assignatæ, Vicarii perpetui Parochorum.*

TAB. CCIII. *De Raptu Mulieris dirimente, vel non dirimente Matrimonium.*

Raptus est *violenta abductio mulieris de loco ad locum, qui*

I. Duo essentialiter requirit

I. Violentiam sive physicam, sive moralem, quæ fit per fraudes, minas & metum gravem.

II. De loco ad locum, qui sit alius moraliter: unde qui abduceret puellam de uno cubiculo ad aliud, & in hoc eam opprimeret, diceretur quidem committere raptum virginitatis, non tamen virginis, juxta dicta in Tab. LXXV.

2. Abductionem, seu traductionem, quæ fieri potest

1. Vel renitente muliere, quæ abducitur; & hæc juxta omnes habet rationem veri Raptus.

2. Vel ipsa consentiente, renitentibus tamen ejus parentibus, vel aliis, sub quorum cura est: in quo casu negant aliqui habere rationem veri raptus, dummodo ipsis parentibus &c. vis non inferatur, aliis affirmantibus, propterea que contrahere malitiam injustitiæ.

3. In utroque casu, vel

1. Explendæ libibinis causa; tunc procedunt dicta Tabula LXXV.

2. Contrahendi cum rapta Matrimonii gratia, & de hac in præsenti agitur.

II. Dirimit matrimonium, si

1. Abductio fiat mulieris cujuscumque etiam meretricis, hac tamen renitente, in ordine ad contrahendum Matrimonium, *ex Tridentino Sess. 24. de Reform. Matrim. c. 6.* secus vero si abductio sit viri, ita ut fœmina abducat virum, *juxta probabiliorem*, quidquid aliqui velint, idem sentiendum ac de abductione fœminæ, nam Tridentinum expresse loquitur de viro, cujus verba in odiosis extendi non debent ad fœminam abducentem virum.

2. Abductio fœminæ renitentis contingat etiam post contracta sponsalia libere cum ipsa, ex suppositione quod haberet justam causam resiliendi a sponsalibus, *juxta probabiliorem*, secus vero si post contracta sponsalia abduceretur fœmina renuens ea adimplere sine ulla causa, & a fortiori si abduceretur post Matrimonium ratum, licet nondum consummatum.

3. Consensus a persona rapta, seu fœmina vi abducta præstetur, dum sub Raptoris potestate extitit, secus si post abductionem factam, etiam in ordine ad contrahendum Matrimonium, fœmina abducta constituta extra potestatem Raptoris in loco tuto & securo, consentiat habere Raptorem in maritum, *ex Tridentino*, quamvis attento jure antiquo tam Civili, quam Canonico nunquam licuerit Raptori in uxorem ducere quam rapuerat, etsi parentibus eam restituisset, & uno ipsa consensisset.

III. Non dirimit, si

1. Abductio fiat consentiente ipsa muliere quæ abducitur, licet invitis & ignorantibus parentibus abducatur: quamvis in hoc casu contrahat malitiam raptus & induat excommunicationem, juxta plures, aliis negantibus & forte probabilius, juxta dicta in Tabula LXXVI., & omnes fateri debeant pro casu quo antecedenter præcessisset tractatus de matrimonio ineundo, *ex capite cum causa 6. de Raptoribus*.

2. Abductio puellæ, vel fœminæ renitentis fiat præcise ad explendam libidinem, *ex Decisione Sacræ Congregationis 23. Januar. an. 1586. apud Clericat. de Matrim. Decis. 33. n. 17.*, quod si expleta libidine, puella vi abducta peteret Raptori matrimonialiter conjungi ad tuendum suum honorem, validum esset matrimonium inter ipsos contractum, etsi contractum esset in ipso loco quo abducta fuit, & non prius reposita ad locum tutum.

IV. Punitur & quidem

1. Raptor Mulieris in ordine ad explendam cum ipsa libidinem, præter peccatum duplicem speciem malitiam continens, injustitiæ videlicet & incontinentiæ, Jure Civili punitur pœna capitis & amissione bonorum. Jure vero Canonico excommunicatione majori, quæ non est latæ, sed ferendæ sententiæ, *ex can. 1. 4. & 6. Causa 36. qu. 2.*, quam incurrunt etiam fautores quomodocumque.

2. Raptor Mulieris in ordine ad contrahendum Matrimonium incurrit 1. excommunicationem majorem, nemini tamen reservatam, 2. infamiam & incapacitatem ad omnem dignitatem, 3. obligationem dotandi raptam, sive dein eam in uxorem ducat, sive non, *ex Trid. Sess. 24. de Reform. Matrim. c. 6.*, sed has duas posteriores pœnas non nisi post sententiam Judicis incurrit.

V. Inter impedimenta dirimentia Matrimonium connumeratus fuit a Tridentino ad tuendam libertatem Matrimonii, quæ solum læditur abductione fœminæ invitæ in ordine ad contrahendum Matrimonium.

VI. Exponi debet, idest

1. Pro casu, quo inter Raptorem & Raptam intercederet aliquod impedimentum dirimens, v. g. consanguinitatis vel affinitatis, & Rapta separata a Raptore & posita in loco tuto consentiret inire Matrimonium cum Raptore, & pro dispensatione impedimenti recurrendum esset Romam, in supplici libello fieri deberet mentio raptus secuti inter oratorem & oratricem; alias si taceatur, etsi facta foret separatio & posita muliere in loco tuto, dispensatio esset nulla & irrita, *ex Clericato ibid. num. 25.*

TAB. CCIV. *De Potestate dispensandi super dirimentibus impedimentis.*

Potestas dispensandi super impedimentis dirimentibus residet in

I. S. Pontifice, qui tamen non potest dispensare in dirimentibus jure naturæ vel divino, & consequenter super impedimentis erroris circa personam, impotentiæ perpetuæ, consanguinitatis in primo gradu lineæ rectæ, ligaminis; In aliis vero solum Jure Ecclesiastico dirimentibus potest dispensare: & quidem solus, attento jure ordinario & communi, cum impedimenta dirimentia sint introducta vel in aliquo Concilio Generali, vel certe a Summis Pontificibus.

II. Episcopo

Qui jure ordinario potest super omni impedimento jure Ecclesiastico dirimente, si

1. Non sit publicum, sed occultum; censetur autem occultum quando vel omnino adeo secretum est, ut nulla ratione probari possit, vel si scitur ab uno vel alio, aut tribus vel quatuor, nullum tamen periculum est quod ulterius propaletur.

2. Adsit gravis, eaque urgens necessitas, ita ut non patiatur dilationem donec Roma obtineatur dispensatio: censetur autem talis gravis & simul urgens necessitas, si ex dilatione dispensationis rationabiliter timeatur periculum incontinentiæ, prout ordinarie timendum, præsertim si Conjuges sint adhuc juvenes.

3. Matrimonium supponatur jam antecedenter bona fide contractum; censetur autem bona fide contractum, si fuit contractum cum Probabili ignorantia juris, vel facti obsistentis, seu quod factum illud v. g. copula habita cum consanguinea sponsæ queat inducere impedimentum, etsi ignorantia se teneret solum ex parte unius sponsi, supposito tamen quod præmissis denunciationibus contractum fuisset; alias si omissis denunciationibus contractum fuisset, censeretur mala fide contractum: & ideo Episcopus non posset cum talibus dispensare.

4. Instante urgentissima causa, etiam ante matrimonium contractum posset Episcopus dispensare, *ex cap.* Ubi non est consensus. 2. *de Desponsatione impuberum:* hujusmodi autem urgentissima necessitas censetur adesse, vel cum aliquis morti proximus contrahere constringitur in ordine ad legitimandam prolem, ad restaurandum honorem, aut ob propriæ animæ salutem; vel cum quis determinasset sequentem diem pro nuptiis solemniter celebrandis, ad quas hospites jam essent invitati & cætera omnia parata, ut de nuptiis nemo aliquid dubitaret, nec esset spes quod possent se continere, si permitterentur copulari; cui opinioni, etiam pro hoc posteriori casu, videtur adhærere Benedictus XIV. *Syn. Diœc. lib.* 9. *c. n.* 3. licet alii velint exclusum.

* Dispensatio, concurrentibus dictis conditionibus & circumstantiis, obtenta ab Episcopo super impedimentis jure ecclesiastico dirimentibus, valet pro foro interno & conscientiæ, non autem pro foro externo, *ex Benedicto XIV. ibid. n.* 1.; & hinc si impedimentum antea occultum postea detegatur & deducatur ad forum contentiosum, opus erit nova dispensatione a Summo Pontifice obtinenda, nisi agatur de impedimento, super quo potest Episcopus, etiam pro foro externo, ex privilegio dispensare, juxta mox dicenda.

Etiam pro foro externo ex speciali privilegio in partibus ab Urbe dissitis competit

1. In tertio & quarto gradu simplici, vel mixto consanguinitatis, vel affinitatis, sed cum pauperibus tantum in contrahendis.

2. In secundo gradu simplici & mixto, dummodo nullo modo attingat primum, cum hæreticis conversis, sed non nisi contracto jam matrimonio.

3. Super impedimento publicæ honestatis proveniente ex sponsalibus.

4. Super impedimento criminis, dum neuter Conjugum fuit machinatus mortem.

5. In cognatione spirituali, sed cum exceptione levantis & levati in baptismo.

6. Super amissione juris petendi debitum.

N. B. *Cum hæc jure speciali competant Episcopo, hinc super his nihil potest ejus Vicarius Generalis vi sui officii & ex generali commissione Vicariatus, sicut nec super his, quæ Episcopo competunt ex consuetudine, ratione urgentis necessitatis, sed pro his specialem debet habere licentiam: si tamen Vicario suo Generali committeret omnem suam potestatem dicendo v. g. do vel concedo tibi omnem potestatem, quam ego habeo, volunt Aliqui quod vi talis facultatis posset Vicarius generalis Episcopi dispensare etiam in illis, in quibus potest Episcopus ex privilegio, vel consuetudine; ex quo sequitur quod Episcopus possit facultatem sibi competentem, sive de jure, ratione urgentis necessitatis, sive ex speciali privilegio dispensandi super impedimentis dirimentibus, alteri delegare.*

III. Nuncio Apostolico competit pro foro externo ex privilegio eadem facultas ac Episcopis.

** Dispensatio hæc pro foro externo debet expediri in scriptis, in eaque inseri potestas seu facultas delegata, tenor facultatis, ac tempus, quo usque se extendit talis facultas, scilicet quinquennium, alias non solum illicita, sed & invalida esset dispensatio, *ex Benedicto XIV.*

*** Dispensatio facta ab Episcopo pro suo Diœcesano sponso valet etiam pro sponsa, licet non subjecta eidem Episcopo, dum agitur de impedimento inseparabiliter impediente; secus vero si agatur de impedimentis separabiliter impedientibus: & hinc dispensans in consanguinitate cum sponsa, censetur etiam dispensatum cum sponsa, etsi hæc esset ex alia Diœcesi, e contra dispensans in voto castitatis cum sponso, non censetur hoc ipso dispensatum in voto cum sponsa, sed quivis a suo Episcopo dispensari debet.

IV. Capitulo, vel ejus Vicario Sede Episcopali vacante super illis, quæ Episcopus jure ordinario potest pro foro conscientiæ, concurrentibus supra relatis conditionibus & circumstantiis, secus vero super aliis, quæ ex speciali privilegio Episcopo competunt.

N. B. *Mendicantibus Aliqui concedunt facultatem dispensandi pro foro conscientiæ super aliquibus impedimentis dirimentibus occultis, præsertim super primo affinitatis gradu, post contractum matrimonium; sed judico non esse audiendos & multo minus sequendos, sed pro casu recurrendum vel Romam, vel ad Episcopum; & si agatur de foro externo mittantur indigentes dispensatione ad Ordinarium.*

2. *Pro obtinenda dispensatione in forma pauperum (quam Curia Romana ob nullam aliam causam dare solet, quam ob copulam, vel suspicionem copulæ inter laborantes impedimento habitæ, vel potius ob mulieris infamiam, & scandala verosimiliter inde secutura, nisi matrimonium inter eos sequatur) requiritur ut Oratores & quidem ambo, sint pauperes & simul miserabiles, ita ut proprio labore & industria tantum vivant.*

TAB. CCV. *De Recursu faciendo pro obtinenda dispensatione super impedimentis dirimentibus.*

Recursus pro obtinenda dispensatione super impedimentis dirimentibus fieri debet ad

I. Datariam pro foro externo, in cujus supplici libello immediate dirigendo Summo Pontifici exprimi debent

1. Nomina dispensandorum cum Diœcesi, & quidem utriusque contrahentis.

2. Causa legitima dispensandi, uti principales sunt
   1. Conservatio Familiæ, seu ut bona maneant in eadem Familia.
   2. Defectus dotis competentis, dum videlicet fœmina vel omnino nullam, vel non competentem habet dotem ad nubendum alteri æquali sibi non consanguineo, vel affini.
   3. Ætas mulieris excedentis vigesimum quartum ætatis annum.
   4. Copula cum consanguinea, vel affine habita & publicata.
   5. Matrimonium jam bona fide contractum & consummatum.
   * Sufficit, ut causa existat tempore quo delegatus exequitur literas dispensationis, seu actu dispensat, licet tempore quo Romæ sollicitata & impetrata fuit gratia, cum alterius extitisset, nec vera fuisset.

3. Gradus consanguinitatis vel affinitatis remotior cum propinquiore, si tamen non exprimeretur proximior in ordine ad obtinendam declarationem, quod proximior gradus non obstet, ut statuit S. Pius V. *constit. quæ incip.* Sanctissimus in Christo. *Tom. 2. Bull. Cherub. fol. 195.* irrita quidem esset obtenta dispensatio, non tamen invalida *ex Benedicto XIV. in Decreto annexo Constitut. quæ incipit*, Etsi Matrimonialis. *Tom. IV. Bull. ejusd.*, excepto si proximior gradus non expressus esset primus. Quod si per errorem expressus fuisset propinquior gradus, ubi Oratores essent in gradu remotiori consanguinei vel affines, valeret desuper obtenta dispensatio.

4. Copula habita cum consanguinea, vel affine, sive sit publica, sive occulta *ex Benedicto XIV.*, quod si quis obtinuisset dispensationem ex Dataria, reticita copula occulta, recurrere deberet ad Pœnitentiariam pro obtinenda revalidatione dispensationis obtentæ a Dataria, *ex eodem Pontifice*. Mox dicta procedunt sive copula præcessisset supplicationem Papæ porrectam, sive ea secuta fuisset, imo & si contigisset postquam litteræ dispensationis sunt jam concessæ sed a Delegato nondum executioni datæ; quod si habita fuisset copula incestuosa post dispensationem a Delegato factam, non viciaret dispensationem, *ex Declaratione Sacræ Congregationis, apud Reiffenstuel in Append. ad lib. 4. Decretal. n.* 158. Quod si sæpius fuisset repetita, non opus esset exprimere quoties habita fuerit.

5. Copula, licet occulta, habita sub spe facilius obtinendi dispensationem, quod si exprimeretur quidem copula, reticeretur vero occulta & malitiosa intentio, recurrendum esset pro obtinenda revalidatione hujusmodi dispensationis ad sacram Pœnitentiariam, *ex Benedicto XIV. Constit.* Pastor Bonus *Tom.* 1. 542. §. 41., *&* 42. *fol.* 579. *edit. Rom.*

6. Multiplicitas impedimentorum sive diversi generis, ut si quis simul consanguineus & affinis esset, sive ejusdem generis, ut si quis esset ex Patre & Matre simul consanguineus sponsæ, vel duplici titulo, affinis, quia videlicet cognovit duas sorores sponsæ, aut levavit in baptismo duas ejus filias, *ex Benedicto XIV. in allato Decret. ad Constit.* Etsi Matrimonialis. Si tamen unum esset publicum, & aliud occultum, solummodo publicum esset exprimendum, pro occulto recurrendo ad Sacram Pœnitentiariam juxta infra dicenda.

7. Bona vel mala fides sive unius, sive utriusque, si post contractum jam matrimonium petatur dispensatio.

8. An clandestine vel non præmissis denunciationibus celebratum fuerit? quia celebrans matrimonium, omissis denunciationibus, caret spe obtinendæ dispensationis, *ex Tridentino Sess.* 24. *de Reform. Matrim. c.* 5.

9. An cognatio spiritualis proveniat ex Baptismo, vel Confirmatione, sitque simplex vel duplex?

10. An ex separatione eorum sequi debeat scandalum, ex cohabitatione vero periculum incontinentiæ?

II. Pœnitentiariam pro foro interno, in cujus supplici libello dirigendo Summo Pont. seu majori Pœnitentiario exprimi debet

1. Causa legitima, & unaquæque ex supra allegatis sufficit, etsi pluribus adductis, aliqua solum impulsiva, non subsisteret, non vitiaretur Rescriptum, quia juxta Regulam 57. juris 126. *utile non debet per inutile vitiari.*

2. Gradus consanguinitatis vel affinitatis, saltem remotior, quamvis aliqui velint quod etiam pro foro externo exprimendus sit gradus etiam propinquior, quod omnino practicandum si non necessitatis, saltem securitatis gratia.

3. Copula habita cum consanguinea sponsæ, non tamen ejus multiplicitas, etsi repetita esset post obtentam Romæ dispensationem, nondum tamen a Delegato executioni datam.

4. Copula habita sive cum sponsa sibi consanguinea, sive cum sponsa sibi affine sub spe facilius obtinendi dispensationem, etiam pro casu quo alia adduceretur causa.

5. Bona, vel mala fides, sive unius, sive utriusque, si post jam contractum matrimonium petatur dispensatio.

6. An clandestine, vel non præmissis denunciationibus celebratum fuit?

7. An ex separatione timendum esset scandalum secuturum v. g. fornicatione, murmurationes, infamia &c.

8. An cognatio spiritualis sit ex Baptismo, vel Confirmatione, simplex, vel duplex?

9. An Crimen sit ex machinatione, vel adulterio, vel utriusque simul?

* Dispensatio exequi nequit a Delegato, nisi in actu sacramentalis confessionis, & ideo ab Oratore præmittenda, etsi jam confessus fuisset, & de facto nullius peccati reus esset, Confessio, alias, attento moderno stilo Curiæ, invalida esset dispensatio.

** Pro exequenda recte dispensatione tam pro foro interno, quam externo, debet attente legi Rescriptum, & ad clausulas in eo appositas attendi, de quo in sequenti Tabula.

*** Formulas pro recursu faciendo sive pro foro externo, sive pro foro interno, sive ad Datariam, sive ad Sacram Pœnitentiariam, sive ad Episcopum in ordine ad obtinendam dispensationem, dabit R. P. Anacletus Reiffenstuel in suo Jure canonico ad calcem libri quarti.

N. B. *Pro casu, quo recursus faciendus esset ad Episcopum, vel alium habentem facultatem dispensandi sive pro foro interno, sive pro foro externo, eadem omnino in supplici libello exprimi deberent, quæ exprimi deberent dum recursus fit ad Datariam vel Pœnitentiariam.*

TAB. CCVI. *De Modo exequendi Dispensationes super impedimentis dirimentibus a Sacra Pœnitentiaria obtentas.*

Litteræ Dispensationis super Impedimentis dirimentibus S. Pœnitentiariæ pro foro interno

I. Expediuntur ordinarie sub cooperto directo ad Confessarium recurrentem pro suo, vel sua Pœnitente ad sacram Pœnitentiariam, qui ablato superiori cooperto inspicere debet interiorem inscriptionem, quæ passim exprimitur sequentibus: *Discreto viro Magistro in Theologia, vel decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario.*

II. Possunt aperiri

- 1. A solis insignitis laurea Doctoratus sive in Theologia, sive in Jure Canonico in aliqua Universitate, vel Accademia, *ex Benedicto XIV. Instit. Eccles.* 87. §. *Quod si litteræ*, quod si alius non ita laureatus præsumeret dictas litteras aperire, peccaret graviter, non tamen amitterent suam vim, dummodo executioni mandentur a Laureato, uti dictum, *ex laudato Pontifice.*
- 2. A Regularibus Ordinum Mendicantium, licet non insignitis dicta laurea Doctoratus, etiam inscriptæ supra dicto modo, de licentia tamen Oratoris, vel Oratricis, pro qua fuit petita dispensatio, dummodo sint ab Ordinario loci, & a suis respective Superioribus approbati ad audiendas sæcularium confessiones, ex indulto Gregorii XIII. *Constit. Exponi Nobis. Tom. 2. Bull. Cherub. fol.* 457., quod suppressione Societatis Jesu, cui nominatim fuit a principio concessum, non amisit suam vim respectu aliorum Regularium, qui vi communicationis privilegiorum indultum illud fecerunt suum.
- 3. A quovis Confessario approbato expeditæ cum hac, vel simili inscriptione: *Discreto viro Confessario ex approbatis ab Ordinario*, prout expediri solent dum a recurrente admonetur Sacra Pœnitentiaria, quod in loco nullus Doctor in Theologia vel Jure Canonico, reperiatur, electo tamen ab ipso Oratore vel Oratrice.
- 4. Ab alio pro casu quo electus ab Oratore vel Oratrice moreretur ante litterarum executionem: nam tunc posset eas recuperare, & alteri confessario prædito requisitis qualitatibus eas deferre, imo id facere posset etiam pro casu quo primus Confessarius electus videretur in executione nimis rigide procedere, quod extra dubium esset, si opus esset recedere a primo ob ignorantiam & imperitiam illius, *ex Benedicto XIV. ibid. Instit.* 87. §. *Si litteræ.*

III. Nequeunt

- Aperiri a Confessario nisi ad id faciendum eligatur ab ipso Oratore vel Oratrice, & hinc admonendus Orator vel Oratrix, ut ex habilibus seligat quem voluerit, neque approbatus pro excipiendis solum virorum confessionibus posset eligi ad exequendas litteras concernentes fœminam Oratricem, neque approbatus pro solis fœminis posset exequi litteras concernentes virum Oratorem, *ex Benedicto XIV. lib. Instit. Eccles.* 87. §. *Sed jam.*
- Executioni mandari
  - 1. Antequam electus ab Oratore vel Oratrice ad effectum aperiendi & exequendi dispensationem, eas bene & attente legerit & consideraverit clausulas in litteris appositas, & Oratorem vel Oratricem examinaverit de veritate narratorum in litteris, cujus dictis standum foret simpliciter, nisi ipsi certo constaret de falsitate depositionis, *ex Benedicto XIV. ibid. loc. cit.* §. *Post hæc.*
  - * Advertens in examine errorem commissum circa causam finalem, vel conditionem necessariam, debet denuo recurrere ad Sacram Pœnitentiariam pro obtinendis litteris dictis: *perinde valere*, ex eo quod sanant & revalidant gratiam, seu litteras prius nulliter obtentas, perinde ac si ab initio rite & valide impetratæ fuissent.
  - 2. Si delictum est occultum: Unde si delictum occultum postea evaderet publicum, quocumque tandem modo deberent Conjuges ab Ordinario separari donec dispensatio obtineretur a Dataria ad evitanda scandala; quæ si non essent timenda posset Episcopus certioratus de dispensatione obtenta pro foro interno acquiescere, *ex Benedicto XIV. ibid.* §. *Non omittunt.*
  - 3. Extra Sacramentalem confessionem, quia ordinarie in Rescripto exigitur ut id fiat, audita prius ejus sacramentali confessione, & si in eodem Rescripto præcipiatur ut prius auferatur occasio peccandi; hinc si Orator vel Oratrix essent in aliqua occasione proxima peccandi, deberent hanc prius a se amovere.

IV. Debent executioni mandari audita Sacramentali Confessione post absolutionem a peccatis addendo

- 1. Seu illis verbis: *Ego te absolvo a peccatis tuis* &c. subjungendo: *Insuper eadem auctoritate Apostolica mihi specialiter quoad hoc delegata dispenso tecum super impedimento v. g. affinitatis in primo gradu, ut illo non obstante cum conjuge, præmissa renovatione consensus, matrimonium secreto contrahere, ac debitum conjugale exigere, & reddere licite possis & valeas.*
- 3. Præterea si agatur de matrimonio primo contrahendo dicitur: *dispenso tecum super impedimento, ut præfato impedimento non obstante matrimonium cum dicta muliere publice, servata forma Tridentini, contrahere, consummare, ac in eo manere licite possis & valeas.*
- 3. Et declarando, vi facultatis sibi concessæ, prolem susceptam ex putativo matrimonio legitimam dicendo v. g. *pariter eadem facultate prolem susceptam & suscipiendam legitimam esse & fore declaro*, vi quorum verborum si proles legitimanda non esset adhuc nata, legitimaretur in foro conscientiæ quoad omnes effectus tum temporales, tum spirituales; si vero jam nata esset ante contractum matrimonium, legitimaretur in foro conscientiæ solum quoad effectus spirituales, minime vero quoad effectus temporales: unde nec in occulto posset talis proles succedere in hæreditatem.

V. Requirunt renovationem consensus, de quo dispensati admonendi sunt cum cautela

- 1. Quod si una pars tantum conscia sit impedimenti, altera prorsus ignara, & agatur de impedimento diffamatorio, quia v. g. antecedenter habuit copulam cum Matre, vel Sorore putativæ Uxoris, in tali casu debet pars ignara prius certiorari de nullitate prioris consensus, ita tamen ut pars ignara nullatenus veniat in cognitionem delicti commissi, & ideo id fieri debet modo insinuato *a P. Reiffenstuel in Appendice ad lib. 4. decretalium n.* 596. & *a Benedicto XIV. in suis Institutionibus Ecclesiasticis instit.* 87. §. *Manus Paulus Leo.*
- 2. Si autem circumstantiæ non permitterent Confessario uti renovatione novi consensus modis insinuatis a mox citatis Doctoribus, fieri debet recursus ad Sacram Pœnitentiariam pro obtinenda de obligatione renovandi consensum, *ex Benedicto XIV. ibid.* §. *Hæc sane.*
- 3. Non tamen necesse est pro revalidando matrimonio nulliter contracto, ob impedimentum dirimens occultum, ut revalidatio fiat coram Parocho & Testibus, *ex Benedicto XIV. ibid.* §. *Magno studio;* quod verum est, licet in Rescripto haberetur clausula, ut consensus renovetur, servata forma Concilii.

N. B. *Omittens ex inadvertentia legitimationem prolis, posset id supplere quandocumque, & si hic obiisset, posset alius adiri in ordine ad hunc effectum.*

2. *Executa dispensatione debent litteræ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ lacerari, cui obligationi satisfit eas comburendo, vel sigillum detrahendo; possunt tamen prius describi, & copia pro se, & sua instructione reservari.*

TAB. CCVII. *De Usu Conjugii, seu actu conjugali licito, vel illicito.*

Usus Conjugii, seu actus conjugalis est

I. Licitus si exerceatur

1. In ordine ad primarium finem, seu generationem prolis; imo si exerceatur in statu gratiæ, debito jure, fine, modo, & aliis circumstantiis, est etiam meritorius, non quidem ex opere operato, sed ex opere operantis ad instar aliorum operum.

2. In ordine ad vitandum incontinentiam sive in se ipso, sive in compare, *ex Apostolo suadente* unumquemque propter fornicationem (subaudi vitandam) habere virum, vel uxorem, quidquid aliqui velint: quod si exerceatur ad vitandam propriam incontinentiam, fit peccatum veniale.

3. Ob solam corporalem sanitatem, cum secundario videatur ad id institutum matrimonium.

4. Etiam cum periculo diuturni morbi, infectionis, præsertim ad petitionem comparis.

5. Etiam si constaret non posse edere fœtum nisi mortuum, cum melius sit infanti esse quam non esse.

6. Etiam si timendum esset periculum vitæ ex partu, cum nec conceptio, nec periculum sit adeo certum.

* Licet exigere sit veniale, ex suppositione quod adsit rationabilis causa non denegandi illud venialiter exigenti.

7. Tempore menstrui ob justam causam v. g. ad vitandam incontinentiam, cum aliunde non sit periculum ut proles edatur leprosa, ex infra dicendis.

8. Tempore gestationis uteri, seu tempore, quo mulier gravida est, dummodo absit periculum abortus.

9. Post partum, etiam ante lapsum tempus purificationis, ob finem honestum v. g. ad vitandam incontinentiam, quamvis pro posse dissuadendum ne tali tempore conjuges commisceantur, eo quod judicio medicorum, ex tali accessu plerumque eveniant incommoda uxori, & sæpius gravia.

10. Tempore, quo uxor lactat prolem, quia incertum est quod copula sit nociva lacti.

11. Non servato situ naturali ex justa & rationabili causa, v. g. ob periculum ne fœtus suffocetur.

II. Illicitus si exerceatur

1. Cum periculo propriæ vitæ, saltem extra casum tollendi grave periculum incontinentiæ.

2. Ex sola voluptate ex Innocentio XI. sequentem ordine 9. damnante propositionem: *opus conjugii ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpa, ac defectu veniali*, adeoque contrarium verum est, quod non careat saltem culpa veniali.

3. Ad petitionem partis mortaliter illicitam propter circumstantiam se tenentem ex parte ipsius copulæ, ut in loco publico, aut sacro, juxta dicta in Tab. LXXIV., aut vase præpostero juxta Tab. LXXIII., vel cum periculo abortus.

4. Ad petitionem partis mortaliter illicitam propter circumstantiam se tenentem ex parte ipsius petentis, quam non potest hic & nunc tollere, ut si esset voto castitatis, aut alio impedimento adstricta, quia censetur cooperari alterius peccato.

4. Ad petitionem partis mortaliter illicitam propter circumstantiam se tenentem ex parte petentis, quam potest hic & nunc tollere, ut non seminare extra vas, *juxta probabiliorem*.

6. Tempore menstrui nulla urgente rationabili causa, sed non nisi venialiter, cum tempore fluxus menstrui non soleat uxor concipere eo quod fluxus ille impediat retentionem seminis in matrice, ubi conceptio facienda est, & ideo non est periculum quod proles nascatur leprosa, aut alio morbo infecta.

7. Non servato situ naturali, sive dein fiat jacendo a latere, sive stando, sive præpostere more pecudum copulando, sive viro succubo, & fœmina incuba.

8. In vase præpostero, seu sodomitice, habetque rationem adulterii, si in eodem vase consummetur, aut intentione ibidem consummandi exerceatur, ex Tabula LXXIII.

9. Ante communionem, sine rationabili causa, sed non nisi venialiter.

III. Conjugatis liciti sunt tactus, amplexus, oscula, etiam partium inhonestarum in ordine ad actum conjugalem debito fine exercendum; si tamen exerceantur absque intentione copulam carnalem perficiendi, & absit periculum pollutionis, evadent peccata venialia, quidquid aliqui velint esse mortalia; Si tamen prædicta exerceantur cum proximo periculo pollutionis, proculdubio evadent mortalia, licet pollutio directe non intendatur, & abesset periculum consensus in illam. *Confer cum dictis Tabula CC. II. Tit.* Vetat *sub n.* 2. (*) *& vide ulterius Caru. Cajetanum in summula peccatorum. Verb.* Matrimonium Cap Usus Matrimonialis, *& Novarium in Manu. c.* 16. *n.* 15. *apud Cuniliati Tract. XIV. De Matrim.* §. *XI.* Intellige de tactibus &c. per se disponentibus ad actum conjugii, ubi hic non intendatur. Si vero sit sermo de illis, qui adeo probrosi sunt & turpes (quos naturalis & Christiana modestia, relatos a Sanchezio, hic referre abhorret) ut nec influxum possint habere, nec ullam proportionem inter se ad copulam exercendam, absque ulla exceptione sive exercendæ, sive non exercendæ copulæ, de mortali culpa damnandi sunt, quia gravissime naturam rationalem dedecent, & nimis effrænatæ libidinis, omnem Dei dilectionem extinguentis, sunt indicia.

TAB. CCVIII. *De Obligatione reddendi debitum conjugale.*

Debitum conjugale ad exigentiam partis

I. Reddi debet si exigatur

1. Serio & ardenter, tanquam debitum ex justitia, *ex Apostolo*, & ideo conjux negans debitum alteri serio & ardenter petenti, per se loquendo graviter peccat, secus si solum obiter, frigide ac remisse petat, adeo ut denegationi sibi factæ statim acquiescat, imo nec si serio petenti raro admodum denegaret, quamvis pro posse suadendum ne unquam præsertim serio petenti denegetur.

2. Juste, seu ab habente potestatem exigendi, prout sunt omnes legitimo Thoro copulati: excipe

1. In primo bimestri conjugibus concesso a jure ad deliberandum de ingressu Religionis, *ex cap. Verum 2. de Conversione Conjugatorum*.

2. Ratione incestus commissi, juxta dicta in Tab. LXXIV. & CXCIII.

3. Ratione adulterii, juxta dicta in Tab. XXX., nisi & altera pars ejusdem rea esset, aut libere renunciasset juri suo expresse vel tacite per usum conjugii exercitum cum notitia juris sibi competentis.

4. Ratione voti castitatis vel religionis, quo obstricti sunt Conjuges, juxta dicta in Tabula CLXXXVII.

* Intellige præcisa dispensatione obtenta ab habente facultatem dispensandi in amissione juris petendi debitum.

3. Rationabiliter, idest cum moderamine rationis, & ideo nimis frequenter exigenti non adest obligatio, saltem gravis, reddendi, sicut nec exigenti, dum altera pars nequit sine gravi incommodo suæ salutis reddere.

4. Licite, uti contingit, dum exigitur sive ob finem primarium, sive secundarium, juxta dicta in priori Tabula, imo & reddi debet si illicite solum venialiter v. g. voluptatis gratia exigatur.

5. A laborante morbo contagioso, dum tamen judicio Medicorum nullum ex parte reddentis subest periculum infectionis; si enim subesset periculum infectionis non adesset obligatio reddendi debitum *juxta probabiliorem*, quamvis aliqui velint & in tali casu adesse obligationem, fundati in textu relato, *cap. Quoniam 2. de Conjugio Leprosorum*, & quidem etiam pro casu, quo probabile foret, quod proles sint leprosæ nascituræ.

6. Tempore etiam gestationis uteri, dummodo absit periculum abortus.

7. Post partum, etiam ante elapsum tempus purificationis, aut tempore quo uxor lactat prolem, ob rationem datam in priori Tabula.

8. Etiam non servato situ naturali, sive exigatur jacendo a latere, sive stando, sive præpostere more pecudum, dummodo vas naturale servetur.

9. A solito recedere non expectata seminatione uxoris, quia juxta D. Thomam, fœmineum semen non est necessarium ad generationem.

II. Non adest obligatio reddendi debitum, dum

1. Injuste, aut irrationabiliter petitur, aut a privato jure exigendi, de quibus supra, vel sine moderatione rationis.

2. Petens laborat morbo contagioso, ex suppositione, quod judicio medicorum subsit periculum infectionis juxta aliquos, quamvis alii velint non posse ex hoc titulo denegari, uti supra insinuatum.

3. Mulier longa experientia edocta non posset edere nisi fœtus mortuos, aut parere sine periculo vitæ; reddens tamen ad vitandam incontinentiam compartis excusari posset a peccato.

4. Petens existit in ebrietate vel amentia, nisi ad impediendum vitium incontinentiæ.

5. Petere est mortaliter illicitum ob circumstantiam aliquam se tenentem sive ex parte actus, seu copulæ, sive ex parte petentis, etsi hic & nunc talis circumstantia posset a petente libere tolli.

6. Vir ante seminationem solet se retrahere, licet consentientibus utrisque partibus id fieri possit ad evitandas proles, dummodo supponatur quod uxor non seminaverit, nec ad id jam fuerit excitata, & in viro absit periculum pollutionis, quia talis coitus ad instar tactus partium verendarum se habet, *ex pluribus signanter Clericato de Matrim. Decis.* 38. *n.* 23. Ast in tali casu judico non solum deobligari uxorem a reddendo debito, sed neque posse absque culpa: nam usus Matrimonii principaliter est concessus ad procreationem prolis, quam impedire graviter illicitum est: & quamvis non teneantur congredi, congrediendo taliter, convincuntur excludere primarium finem, & ob solam libidinem exercere actus incompletos, in quibus solum speculative, & in mente quorumdam, non vero practice, potest abesse proximum pollutionis periculum. *Vid. P. Concinam. lib.* 2. *de Matrim. diss.* 4. *c.* 9. *n.* 10. Unde a similibus judico omnino abstinendum ob valde proximum periculum pollutionis ex parte utriusque; recole dicta in hanc rem Tab. CCIV. & præcedenti III. in fine.

7. Vir petit sive inchoative, sive consummative in vase præpostero ob dicta in priori Tabula.

* Quamvis illicite petenti propter circumstantiam se tenentem ex parte etiam solius petentis non adsit obligatio reddendi debitum, imo juxta aliquos nec reddi licite possit, attamen alii volunt quod ad evitanda majora mala possit uxor sine culpa reddere debitum, dummodo ipsa dissentiat, & quoad potest obsistat; optimum autem erit, si in tali casu pars innocens præveniat nocentem exigendo ab eo debitum, sic enim præcavebit peccatum illicite petentis, & se ab illicita cooperatione eximet, & id omnino fieri deberet pro casu, quo sciretur quod petens sive commiserit incestum cognoscendo carnaliter fratrem vel sororem mariti, aut uxoris, sive voto castitatis esset adstrictus.

N. B. *Actus conjugalis quoad petitionem non est debitus, & ideo nemo per se tenetur petere a comparte, ut exerceat secum actum conjugalem.*

2. *Nequit licite denegari debitum ob timorem multiplicationis prolium, quamvis Layman dicat se non audere condemnare de peccato uxorem quæ, marito omnia obligurienti, ipsa cum liberis famem & erumnas tolerans, ne amplius multiplicetur miseranda proles, debitum negat marito, usque dum se emendet.*

3. *Uxor ex justa causa v. g. ne gravetur prolibus, aut ne subeat in partu periculum vitæ, juxta aliquos potest, cum reddit debitum marito, animum ad alia divertere, ne excitetur ad seminationem; sed potest se negative & pure permissive habere. Ast judico, melius esse permittere liberum cursum naturæ, & in Deo ponere fiduciam.*

TAB. CCIX. *De Divortiis, eorumque causis.*

Divortium, quod est *Legitima Viri ab Uxore, vel vicissim separatio* aliud est quoad

- **I. Vinculum, vi cujus matrimonium ita solvitur, ut conjuges statim possint esse alterius, quodque**
  - 1. In Veteri Lege erat in usu vi libelli repudii, quem Moyses ex dispensatione divina Hebræis ad duritiam cordis eorum permisit, *Deuter.* 24.
  - 2. In Nova, seu Evangelica
    - Non potest habere locum sive respectu Catholicorum, sive Hæreticorum, sive Judæorum, Paganorumve. Ex Communi & expressa Benedicti XIV. tum *Syn. Diœces. lib.* 13. *c.* 22. *n.* 4. cum *Constit.* Apostolici Ministerii. *Tom.* 2. *fol.* 150. *edit. Rom.* §. Nuper. Eo quod Christus *Matth.* 14. v. 8. & 9. eam dispensationem absolute revocaverit, abstuleritque libellum repudii, ac restituerit matrimonium primævæ suæ indissolubilitati.
    - Potest habere locum in Matrimonio tum
      - Rato
        - 1. Quod inter Catholicos etiam dissolvi potest per Professionem Religiosam, in qua tria Vota solemnia emitti solent. *Ex Trident. Sess.* 24. *can.* 6. Unde quivis post contractum Matrimonium, sed non consummatum, potest etiam inscio & contradicente altero conjuge, ingredi Religionem. *Ex cap.* Verum 2. *de Convers. Conjugat.*, *&* *Bened. XIV. ibid. c.* 12. *n.* 9., quod tamen non per ingressum solvitur quoad vinculum, sed per Professionem realiter emissam, ex textu citato & vel ideo solum post hanc alter conjux potest alterius esse.
        - 2. Quod dissolvi item potest per Dispensationem Papæ, gravissima urgente causa, juxta aliquorum sententiam fundatam tum in eo quod hoc significet solum unionem Christi cum anima per gratiam, quæ est dissolubilis: tum in facto quorumdam SS. Pontificum. Negant alii hanc potestatem Papæ eo quod etiam ratum jure naturæ sit indissolubile.
      - Etiam consummato inter Infideles si uni ad fidem converso, vel absolute alter conjux cohabitare nollet, vel non nisi cum injuria & contumelia Creatoris. Ex Communi & expressa Bened. XIV. fundata in dispensatione Christi, justa dicenda Tab. seq.
    - N. B. 1. *Professio solemnis Religiosa solvit vinculum Matrimonii rati, vel ex indulto Pontificio, secundum aliquos, vel ex natura sua, juxta alios, vel ex voluntate Christi per Traditionem intimata juxta probabiliorem.*
    - 2. *Matrimonium consummatum quoad vinculum non solvi per adulterium definivit Tridentinum contra Lutheranos & Calvinistas* Sess. 24. can. 1. Nam Lucæ 16. v. 18. *dicitur:* Omnis, qui dimittit uxorem suam & aliam ducit, mœchatur, & qui dimissam a viro ducit, mœchatur.
- **II. Thorum, seu lectum & copulam carnalem,** quod fieri potest etiam in lege evangelica, imo & debet, dum alicui interdicta est copula cum propria uxore ob superveniens impedimentum, juxta dicta Tab. CLXXXVII.
- **III. Habitationem & Thorum simul, quod fieri posse, contra Hæreticos definivit Tridentinum, & quidem principaliter propter**
  - 1. Adulterium
    - 1. Sive publicum, sive occultum, ex facultate concessa conjugatis a Christo *Matthæi* 19. v. 9., quamvis non adsit obligatio, quidquid aliqui velint adesse obligationem.
    - 2. Fieri potest per se loquendo etiam propria auctoritate, dummodo habeatur vel certitudo moralis commissi adulterii, ut si uxor deprehendatur congressa cum altero carnaliter, vel violenta ejusdem suscipio, ut si nudus cum nuda in eodem lecto reperiatur, *ex cap. Litteris* 12. *de Præsumptionibus.*
    - 3. Dum Adulterium est occultum nequit fieri divortium quoad habitationem propria auctoritate ad evitandum scandalum, quod notum est sequi ex separatione ab eadem domo, juxta dicta in Tab. LXXV.
    - 4. Propter quod, Divortio secuto, innocens non tenetur recipere nocentem: excipe
      - * 1. Si exigens divortium ob adulterium, & ipse secuto divortio adulterium faceret occultum committeret.
      - 2. Si exigens divortium veniret in cognitionem latam fuisse sententiam ex falsa præsumptione adulterii formalis.
      - 3. Si innocens versaretur in periculo incontinentiæ, cum quivis teneatur adhibere media necessaria ad evitandum peccatum.
      - 4. Si maritus, v. g. innocens sive expresse v. g. dicendo: remitto, condono tibi, sive tacite v. g. copulam carnalem exercendo cum uxore, aut alia familiaritatis conjugalis signa exhibendo v. g. adulteram amplexando, osculando &c., condonaret injuriam sibi factam adulterando, dummodo prædicta exhibita sint a marito sponte & libere cum plena notitia adulterii antecedenter commissi, & juris sibi competentis.
      - 5. Si adulterium solum materiale contigisset, ut si uxor v. g. sive violenter, sive fraudulenter sub specie mariti cognita fuit, *ex can. Itane* 5. *Causa* 32. *qu.* 5., *&* *canone In lectum* 6. *Causa* 34. *qu.* 1. *&* 2.
    - * His casibus exceptis, non tenetur secuto divortio propter adulterium innocens recipere nocentem, sed potest innocens statum suum pro libitu mutare vel ingrediendo Religionem, vel sacros Ordines suscipiendo, *ex cap. Constit.* 15. *& cap. Veniens* 13. *de Conversione Conjugatorum adjuncta Glossa ibid.*
  - Præterea propter
    - 1. Sodomiam, vel Bestialitatem sive activam, sive passivam juxta plures, licet alii legem illam utpote pœnalem, stricte interpretantes, negent, Sodomiam & Bestialitatem esse causas faciendi divortium.
    - 2. Hæresim alterius partis, quam tamen resipiscentem tenetur innocens ad se recipere, si propria auctoritate factum fuisset divortium, secus si auctoritate Ecclesiæ, *ex c. De illa vero* 6. *de Divortiis*, sed in hac suppositione posset pars innocens ingredi Religionem, vel suscipere sacros Ordines, etiam postquam nocens resipuisset, quod si nollet mutare statum, teneretur resipiscentem ad se recipere, quia solum adulterium præbet causam perpetui divortii.
    - 3. Periculum salutis spiritualis, quando scilicet unus alterum ad peccata inducere & sollicitare vellet, v. g. ad Sodomiam, furtum &c. emendatione tamen secuta, tenetur innocens ad nocentem redire.
    - 4. Sævitiam viri, si tanta sit, quod uxor absque periculo vitæ, vel gravis damni corporis cohabitare non possit, *ex c. Ex transmissa* 8. *& c. Litteras* 13. *de Restitutione spoliatorum*, secus vero ob solam levem verberationem, vel etiam gravem jam præteritam sine periculo ejusdem reiterationis.
    - 5. Morbum contagiosum, dum judicio medicorum probabile esset periculum inficiendi sive reddendo debitum, sive cohabitando, secus vero ob morbum non tam periculosum, *ex cap. Pervenit* 1. *& cap. Quoniam* 2. *de Conjugio Leprosorum.*

TAB. CCX. *De Matrimonio Infidelium, Indissolubilitate, vel Dissolubilitate ejusdem.*

Matrimonium Infidelium

I. Validum in ratione contractus, ac indissolubile

1. Si sit contractum absque impedimento jure naturæ, vel divino dirimente, juxta dicta de impedimentis Erroris, circa substantiam ex defectu consensus, consanguinitatis in primo gradu, impotentiæ naturalis, perpetuæ &c., item secluso pacto dissolutionis (quomodo contrahunt novi pseudo-philosophi, pro tot annis; quod non matrimonium, sed concubinatus dicendus est) *ex Cap.* Gaudemus. 8. *de Divortiis.*

2. Quia non minus quam Fidelium repræsentat unionem Christi indissolubilem cum Ecclesia, juxta plures, nominatim Vasquez asserentem; teste Benedicto XIV., id negari non posse absque erroris nota: & ideo si ambo conjuges infideles simul convertentur ad fidem, tenerentur simul permanere, nec posset auctoritate Papæ dissolvi, saltem loquendo de matrimonio consummato.

3. Unde habens plures uxores, quamvis ad fidem simul conversas, debet omnes alias repudiare, & primæ adhærere etiam casu quo hanc repudiasset, quia in Lege Evangelica libellum repudii sustulit Christus etiam respectu infidelium, juxta dicta Tab. superiori.

II. Dissolvitur, & ideo conjux ad fidem conversus

1. Non tenetur, nec potest conjugi infideli adhærere, si hæc nolit cohabitare sine injuria & contumelia Creatoris, ex privilegio & dispensatione Christi facta in favorem fidei Christianæ. Censeretur autem non velle cohabitare cum converso absque injuria & contumelia Creatoris, si Nomen Dei, aut Christi audire non vellet nisi cum despectu: si Nomen Dei blasphemaret, vel impediret debitam honoris & laudis exhibitionem; vel si vellet familiam subvertere & a fide retrahere, aut fidelem in aliquod peccatum inducere.

2. Potest relicta in infidelitate comparte vel

- Ad secundas nuptias transire, hasque inire

  1. Ex Privilegio & dispensatione Christi Ecclesiæ intimato in Apostolis eam constituentibus, & præsentantibus in suo prolixo sermone habito in monte, ac ab Apostolo Paulo illis verbis promulgato: *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti* (idest conjugii vinculo, quod servitutem vocat) *subjectus est frater, vel soror in hujusmodi.* Idemque habetur cap. *Quando* 7. de Divortiis: Unde Glossa in mox citatum textum ad verbum *Contumelia*, Versus sequentes

     Desere spernentem vel blasphemare volentem,
     Vel te credentem scelus ad mortale trahentem:
     Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

     ponit.

  2. Non tamen statim post susceptum Baptismum; sed prius debet conjugem interpellare, num velit se convertere? Et optimum erit, si id judicialiter fiat; & si conjux interpellatus postulet inducias ad deliberandum de conversione, concedendæ sunt; quibus non præmissis, aut non expectata conjugis infidelis deliberatione, conversus contrahens matrimonium cum alia, nullum foret, ex communi, & expressa Benedicti XIV. *Synod. Diœc. lib.* 6. *c.* 4. *n.* 3. *& in Constit.* Apostolici Ministerii. Quod si interpellari non posset, quia v. g. in Regionem longinquam recessit, vel ibidem moratur, recurrendum esset ad S. Pontificem, vel episcopum respectu Judæorum ad fidem conversorum. *Ex laud. Pontifice ibid.*

- Religionem ingredi, & in ea profiteri, per quam juxta probabiliorem solvitur prius vinculum ex Privilegio Christi, quod & ad hunc casum probabilius videtur extendi; qua professione secuta, infidelis in infidelitate remanens potest de alio marito sibi prospicere.

III. Non dissolvitur

1. Ex parte conversi ad fidem, nec potest ad secundas nuptias transire, si uxor renuens quidem converti consentiat, & velit cohabitare sine injuria aut contumelia Creatoris, juxta probabiliorem fundatam tum in illo Apostoli: *si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam;* tum in Decisione S. Congregationis.

   * Quia vero non desunt Theologi etiam magni nominis, qui spectato periculo, quod ex consortis infidelis cohabitatione conjugi fideli imminet, quamvis ille polliceatur se cohabitaturum absque injuria Creatoris, hoc non obstante illicitam hujusmodi societatem contendunt, prout advertit Bened. XIV. *ib. l.* 13. *c.* 11. *n.* 1. Si enim ex cœco amore ipsi fideles conjuges ad consentiendum probrosis excessibus impelluntur: quid a cœco amore non obtinebit conjux infidelis, qui non aliud intendit quam fœdæ libidinis expletionem? Unde res ad Ordinarium esset deferenda, cui, examinatis qualitatibus, moribus, conditionibusque per conjugem infidelem exhibitis aliisque circumstantiis, decisio incumbet, an talis cohabitatio permittenda, nec ne. Uti advertit Clericatus de Matrim. *Decis.* 11. *n.* 44.

2. Ex parte renuentis conversionem

   1. Quæ non potest ad secundas nuptias transire, antequam conversus secundum matrimonium contraxerit cum alia, eo quod per subsequens matrimonium primo solvatur vinculum prioris, adeo quidem, quod si viro converso secunda uxor fidelis moreretur, non teneretur primam licet ad fidem conversam accipere; sed hac relicta posset quamcumque aliam sibi matrimonio copulare.
   2. Et si vir conversus ad fidem eligeret statum cælibatus, non posset uxor manens in infidelitate contrahere aliud matrimonium; & si contraheret, nullum esset. Unde si post contractum secundum matrimonium cum secundo marito ad fidem converteretur, teneretur, hoc relicto, primo conjugi converso cælibatum ducenti adhærere. *Ex Decis. Sac. Congregationis.*
   3. Si vir conversus suscipiat Sacros Ordines; nam per horum susceptionem, non solvitur vinculum prioris matrimonii; & ideo si a susceptione sacrorum ordinum uxor converteretur ad fidem, posset quidem suum repetere conjugem, exigere tamen, vel debitum conjugalem reddere absque Pontificia dispensatione non posset.

IV. Obligat conversum

1. Proles susceptas doli nondum capaces educare in fide catholica, ex cap. *Ex litteris de conversione Infidel.*, adjuncta Glossa *ibid.*, quæ in expositione casus, inquit: *Filius conditionem Patris, vel Matris, conversi ad fidem sequi debet.*
2. Proles vero doli capaces relinquere suæ ipsorum libertati, quibus nequit legitima denegari, ex eo præcise quod nolint & ipsæ ad fidem converti.

TAB. CCXI. *De Prolibus Legitimis et Illegitimis, et modo legitimandi Illegitimas.*

Proles aliae sunt

I. Legitimae, quales censentur

1. Non solum omnes, quae nascuntur ex legitimo matrimonio etiam inter infideles contracto, sed etiam

2. Proles natae ex matrimonio putative tali bona fide contracto, licet agnita nullitate fieret inter Parentes separatio: imo licet inter ipsos matrimonium dissolveretur. *Ex can.* Cum inter. 2. *Qui sunt filii legitimi.* Quod verum est, licet matrimonium contractum fuisset bona fide ex parte solum unius. *Ex cap.* Cum temere 14. *ibid.*

N. B. *Matrimonium censetur bona fide contractum, si contractum sit in facie Ecclesiae sine contradictione Episcopi, vel Parochi & cum ignorantia saltem ex parte unius, non solum facti, quod v. g. tales sint sibi invicem consanguinei, sed etiam juris dumtaxat, seu impedimenti dirimentis, unde si quis contraxisset matrimonium clandestine, vel contradicente sive Episcopo sive Parocho, suscepta ex tali matrimonio nullo, proles essent illegitimae.* Ex Cap. *Cum inhibitio* 3. de Clandestina desponsatione.

3. Legitimae item censentur Proles expositae sive in Hospitali, sive in plateis aliisque locis, quorum Parentes ignorantur, dummodo legitime natae, juxta probabiliorem, *apud Reiffenstuel lib. 4. Decret. tit.* 13. *n.* 14. fundatam in quadam Declaratione Gregorii XIV. *apud Pellizzarium. Tom.* 2. *Tract.* [illegible]

II. Illegitimae quarum aliae sunt

1. Naturales quae ex Jure Can. sunt conceptae vel saltem partae nullo vigente impedimento dirimente matrimonium inter Parentes, quae legitimantur per

1. Matrimonium subsequens inter Parentes ipsarum Prolium legitime contractum sive immediate, sive mediate quoad omnes omnino effectus tum spirituales, tum temporales. *Ex cap.* Conquestus. 1. *& ex cap.* Tanta 6. *Qui sunt filii legitimi.* Excipe *Majoratum,* qui debetur filio ex immediato matrimonio suscepto. Hinc si Titius ex fornicario concubitu cum Bertha suscepisset masculum & postea idem Titius contracto legitime matrimonio cum Caja, ex hoc haberet filium, & mortua Caja, secundo duceret Bertham, non filius Berthae, sed Cajae succederet *in Majoratum.*

2. Professionem Religiosam in ordine ad suscipiendos Ordines, secus vero ad obtinendas Dignitates, pro quibus obtinenda esset dispensatio a Superioribus, juxta infra dicenda.

3. Dispensationem Papae quoad effectus spirituales tantum, scilicet Ordines, Honores, Dignitates & Beneficia Ecclesiastica, *ex cap.* Per venerabilem 13. *ibid.* Imo intra suam Ditionem, Pontificiam etiam quoad effectus temporales, ad capiendam scilicet legitime haereditatem.

4. Privilegium Imperatoris, Regis, Electorum Imperii, Comitum Palatinorum, qui possunt legitimare suos subditos quoad effectus temporales, scilicet ad capiendam legitime haereditatem.

N. B. *Matrimonium subsequens invalide contractum, licet bona fide in facie Ecclesiae, non potest legitimare proles naturales illegitimas, juxta probabiliorem, quia secundum Regulam illam juris:* Quod est de jure nullum, nullum producit effectum, *quidquid aliqui favere videantur matrimonio subsequenti licet invalido.*

2. Spuriae, quae ex Jure Can. sunt conceptae vel saltem natae vigente inter Parentes impedimento dirimente matrimonium, quae

1. Aliae vocantur *Adulterinae*, quae videlicet ex adulteris; aliae *Incestuosae*, quae ex sanguine junctis inter gradus prohibitos, aliae *Sacrilegae*, quae ex alterutro, vel ambobus Deo consecratis parentibus; aliae *Nefariae*, quae ex patre & filia, aliisque descendentibus, vel ascendentibus procreantur.

2. Legitimantur per

1. Dispensationem Papae extra suam Ditionem in ordine ad solos effectus spirituales, non vero temporales & politicos, & in supplici libello exprimi debet qualitas illegitima non solum generica, sed & specifica, adeoque explicari an naturalis vel *spuria* sit Proles; haecque num ex incestu, sacrilegio, vel adulterio?

2. Professionem Religiosam ad suscipiendos Ordines, non vero Dignitates & beneficia adipiscenda, *ex can.* Presbyterorum 1. *Dist.* 56., *& ex cap.* [illegible] 1. *& cap.* Nimis 10. *De Filiis Presbyterorum.*

3. Privilegium concessum ab aliquo ex supra relatis quoad effectus politicos. Cum enim inhabilitas ad hos jure dumtaxat humano sit introducta, (jure enim naturae omnes filii nascuntur legitimi), hinc a Principis voluntate abrogari & mutari potest, quamvis soli naturales legitimentur & hos duntaxat legitimari per [illegible] Principis intelligi debeat, nisi in Rescripto aliud exprimatur.

N. B. *Subsequens matrimonium non legitimat proles* spurias. Ex Cap. *Tanta* 6. Qui sunt filii legitimi, & Benedicto XIV. Const. [illegible] Nobis. [illegible] I. Bull. ejusd. fol. 452. Edit. Rom. §. 6.

2. *Legitimatus sive per subsequens matrimonium, sive per Rescriptum Principis venit in dispositione hominum et statutorum [illegible] esse legitime natus, eique dari possunt litterae natalitiae testantes talem ex [illegible] Parentibus esse et legitimo Thoro.*

N. B. 1. *Pro statuenda et stabilienda Prolis legitimatione, attendi debet Partus [illegible] ipsius tempus, prout exigit favor, vel utilitas liberorum, adeo quod si in favorem Prolis [illegible] tempus Conceptionis, attendendum sit tempus partus, vel e contra, et ita in praxi saltem pro foro conscientiae tenendum, quidquid aliqui velint, quod si Parentes tempore copulae fuerunt inhabiles, quia consanguinei vel uxorati, licet tale impedimentum cessasset tempore* nativitatis, *Proles concepta [illegible] sit* spuria. *Circa quod suspendit judicium Benedictus XIV.* loc. cit.

2. *In dubio an Proles sit concepta, vel nata tempore, quo inter Parentes potuit esse matrimonium, et adhibita debita diligentia, veritas haberi non posset, judicandum in favorem Prolis.* [illegible] XIV. ibid. §. IV.

3. *Dispensatus, etiam simpliciter, ad ordines suscipiendos, non censetur eo ipso dispensatus in ordine ad recipiendum Beneficium Curatum, sed pro hoc nova requiritur dispensatio,* juxta probabiliorem.

4. *Episcopus potest dispensare cum illegitimis etiam spuriis ad effectum suscipiendi Ordines Minores, et simplex Beneficium* ex cap. *Is qui.* 1. de Filiis Presbyt. in 6. *Secus vero in ordine ad Ordines Majores, et simplex Beneficium Curatum, imo nec in ordine ad Canonicatum Ecclesiarum Cathedralium, quod verum est, licet illegitimitas esset occulta,* juxta probabiliorem.

6. *Praelati Regulares possunt cum suis subditis illegitimis dispensare ad effectum promovendi eos ad Dignitates & Officia Ordinis, et quidem etiam extra Capitulum Generale vel Provinciale.* Ex Privilegio Gregorii XIV. Constit. Circumspecta, Tom. 2 Bull. Cherubini [illegible]. Tom. [illegible] Bull. Cappuc. Tom. 6. fol. 506.

TAB. CCXII. *De censuris in genere, et requisitis ut habeant suum effectum.*

Censuræ, quæ est *Pœna Ecclesiastica medicinalis privans hominem usu quorumdam bonorum spiritualium, donec contumacia recedat,*

I. Divisio. Alia est

1. *A jure*, qualis censetur, quæ vi legis, vel statuti a Superiore infligitur, & talem potest solus Papa & Concilium Œcumenicum ferre pro universa Ecclesia; Episcopus vero pro sua Diœcesi, & fertur pro futuris peccatis, estque perpetua, duratque dum lex durat.

2. *Ab homine*, qualis censetur, quæ fertur ab aliquo particulari Superiore per præceptum transitorium, vel per sententiam judiciariam, & fertur pro peccatis præteritis, vel præsentibus, juxta infra dicenda.

3. *Latæ sententiæ*, & hæc, sive sit a jure, sive ab homine lata, incurritur ipso facto, seu ipsa criminis admissione, absque ulla ulteriori Judicis sententia, saltem condemnatoria, qualis censetur dum Legislator vel utitur his verbis, *ipso facto*, *ipso jure*, *ex tunc*, *mox*, *illico*, vel dum utitur verbis, sive indicativi temporis, v. g. *excommunicamus*, *suspendimus &c*, sive præteriti temporis, ut *sit excommunicatus*, *suspensus &c.*

4. *Ferendæ sententiæ*, quæ non contrahitur, nisi accedat Judicis sententia, qualis censetur, quæ fertur vel per verba, quæ Judicis actionem exigunt, v. g. *excommunicetur*, *decernimus excommunicandum*, vel per verba futuri temporis sine addito, v. g. sub pœna excommunicationis. In dubio censendum est esse ferendæ sententiæ, quia juxta Regulam illam 40. Juris in 6. *in pœnis benignior est interpretatio facienda.*

II. Potestas ferendi eam est Ecclesiæ concessa a Christo Domino tum D. Petro illis verbis, *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis*, tum cæteris Apostolis illis verbis: *amen dico vobis, quæcumque alligaveritis &c.*, tum dum jussit, recusantes audire Ecclesiam, habendos esse sicut Ethnicos & Publicanos, qui privantur omnibus Ecclesiæ suffragiis.

III. Requisita ad suum effectum ut

1. Sit inflicta ab habente potestatem, quæ solis Prælatis Ecclesiæ potestate jurisdictionis ordinaria, vel delegata in foro exteriori gaudentibus competit, & hinc solus Papa, Episcopus, hujus Vicarius Generalis, Vicarius Capitularis Sede Episcopali vacante, possunt eam infligere: Superiores item Generales, Provinciales Ordinum Regularium, ex potestate ordinaria a SS. Pontificibus concessa: de Superioribus vero Localibus non ita certum; (quamvis Suarez *Tract.* 5. *de Cens. disp.* 2. *de sect.* 4. *n.* 7. judicet & hos habere eam respectu suorum Subditorum), secus Parochi, qui veram jurisdictionem in foro externo non habent.

2. In solum hominem viatorem feratur, quare dum legitur in jure, mortuos fuisse excommunicatos, intelligi debet de declaratione excommunicationis, quam ante mortem incurrerant & in qua mortui sunt & a qua indigebant absolvi, sicut e contra, dum legitur mortuos fuisse absolutos, intelligi debet de declaratione, quod ob signa pœnitentiæ exhibita ante mortem, possint sepeliri in loco sacro &c.

3. Sit subjectus ei, a quo fertur censura, & hinc Infideles licet Cathecumeni non possunt ligari censura, cum non sint subjecti Ecclesiæ, bene vero Hæretici, neque infantes ligari possunt; impuberes vero ligari possunt censura lata a jure, secus ab homine; Imperatores, Reges, Reginæ, ejusque filii; & plerique Religiosi nequeunt ligari censuris ab Episcopis, *ex privilegio Exemptionis.*

4. Delictum, propter quod fertur, sit commissum in territorio ferentis censuram, & hinc si statuto Episcopi lata esset excommunicatio contra committentes furtum, & furtum committeretur extra Diœcesim, talis non incurreret censuram, *ex cap. Ut animarum* 2. *de Constit. in* 6.

5. Propter peccatum infligatur, quod peccatum debet esset externum & mortale, excipe excommunicationem minorem & suspensionem ab aliquo dumtaxat officio, v. g. a Missa celebranda per unam alteramve diem, quæ possunt ferri etiam ob peccatum veniale.

6. Peccatum, ob quod fertur, sit opere completum & consummatum: excipe casum, quo lex prohibens alicui sub censura, non solum prohibeat actionem, sed & ipsum conatum, ut in duello & subornatione contingit.

7. Peccatum ob quod fertur, sit futurum, nam ob peccatum mere præteritum nequit ferri censura, nisi aliquo modo pendeat in futurum, vel quia Reus in eo perseverat, vel ut injuria resarciatur per debitam compensationem; nam censura est pœna medicinalis, præteritum vero ut tale mederi nequit.

8. Peccatum, ob quod fertur, sit conjunctum cum contumacia, quia finis censuræ est ut contumax, seu inobediens Ecclesiæ resipiscat; sufficit autem contumacia, seu contemptus virtualis & interpretativus consistens in eo, quod sciens quidpiam esse ab Ecclesia prohibitum sub censura, nihilominus illud facere præsumit.

9. Ad censuras, quæ feruntur ab homine pro peccatis præteritis, debet præmitti monitio, *ex can. omnes decimæ* 5. *Causa* 16. *quæst.* 6., *& ex cap. Reprehensibilis* 26. *de Appellationibus*. Monitio autem hæc debet esse Canonica, seu trina, ita ut intra unam & aliam sit interpellatio saltem duorum dierum: aut una pro tribus, cum expressione, quod hæc pro tribus valitura sit; alias si feratur, præmissa quidem monitione, non tamen canonica, valida quidem esset censura, injusta tamen, juxta mox dicenda; prædicta autem monitio prævia non requiritur ad incurrendas censuras latas a jure, quia jus ipsum semper admonet, semper loquitur, semper clamat.

IV. Vitium, nempe

1. Invalida & nulla censura lata sive ob defectum jurisdictionis in ferente, sive quia non fuit præmissa saltem una monitio, loquendo juxta mox dicta de censura lata ab homine; sive ob defectum culpæ & peccati gravis; quod si evidenter sit nulla, nec coram Deo, nec coram hominibus debet ligare, *ex cap. Inter cæteras* 9. *de Sententia et re judicata;* si vero non sit evidenter nulla, tunc ea innodatus debet vel quærere juris remedia, idest appellare, aut ad Superiorem recurrere, vel patienter eam ferre, abstinendo se in foro externo ab iis omnibus, quæ vere innodatis censura prohibentur; privatim tamen, vel coram iis, qui innocentiam ejus perspectam habent, & secluso scandalo, posset ea exercere, *juxta probabiliorem;* quod verum est, licet Judex in inferenda censura processisset secundum allegata & probata; quod si talis in publico exerceret suum ministerium, minime incurreret irregularitatem.

2. Injusta censetur censura, si feratur vel ex odio, invidia, aut vindicta, vel non servato juris ordine accidentali, seu solemnitatibus requisitis, *cap. Medicinalis* 1. *de Sententia Excommunicationis in* 6., quod si quis non servatis solemnitatibus requisitis in textu mox cit. ferret censuram, valide quidem ageret, & propterea haberet suum effectum, & transgrediens illam pœnam canonum incurreret & irregularis evaderet, ipse tamen ferens illam peccaret mortaliter & incurreret pœnas in textu juris citato.

N. B. *Delictum non habens annexam contumaciam, seu contemptum sive formalem, sive virtualem, aut interpretativum, non subjacet censuræ, & hinc ob hujus defectum pœnæ suspensionis, & interdicti, quæ aliquando ab Episcopis in malos Sacerdotes, non tamen contumaces decernuntur, non sunt veri nominis censuræ, sed habent rationem puræ pœnæ vindicativæ, ut de suspensione dicitur* cap. Tam litteris 33. de Testibus & Attestationibus, & cap. Cum in cunctis 2. Electione, *de interdicto vero* cap. Sacro 48. de Sententia excommunicationis, & cap. Medicinalis 1. eodem titulo in 6.

TAB. CCXIII. *De Causis excusantibus ab incurrenda Censura, et facultate ab ea absolvendi.*

Censura

I. Non incurritur dum concurrit, sive

1. Ignorantia invincibilis tam juris, quam facti, *ex cap. Si vero 4. de Sententia Excommunicationis, & cap. Ut animarum 2. de Constitutionibus in 6.*, & hinc ignorans invincibiliter, quod aliquid sit prohibitum sub censura, vel sciens quidem esse prohibitum sub censura, ignorat tamen illum, quem v. g. percutit, esse Clericum, non incurrit censuram: quod verum est, etsi ignorantia esset venialiter inculpabilis, vel quis dubitaret, an censura adversus aliquod delictum lata sit? aut an tale factum sub censura comprehendatur, supposito quod fuerit adhibita aliqua diligentia pro veritate acquirenda; imo nec incurreret censuram, qui sciret quidem aliquid esse prohibitum jure Ecclesiastico, ignoraret tamen invincibiliter id esse sub censura prohibitum, *juxta probabiliorem*, quia talis non censeretur contumax.

2. Inadvertentia, quæ equivalet ignorantiæ, saltem pro foro interno, *juxta probabiliorem*, & hinc sciens quidem alicui actioni esse annexam censuram, sed quando illam actionem posuit non cogitavit de censura, talis, attento præcise foro interno, non incurreret censuram, eo quod talis non censeretur contumax contra prohibitionem Ecclesiæ sub censura præcipientis, vel prohibentis.

3. Ignorantia vincibilis tam legis prohibentis, quam censuræ adjunctæ, dummodo non sit crassa, supina & affectata, *juxta probabiliorem*; si enim esset crassa, supina, vel affectata, non posset transgredientem legem præcipientem, vel prohibentem sub censura ab hac eum eximere. Excipe si censura lata esset contra eos, qui *scienter*, vel *temere*, aut *consulto* aliquid fecerit, vel *qui præsumpserint, qui contempserint, qui temerarii violatores extiterint*, nam in hoc casu, etiam ignorantia crassa & supina, secus affectata excusaret.

4. Metus gravis, dummodo non sit incussus in contemptu Ecclesiæ, vel Religionis, & quidem non solum pro casu, quo quis ex tali metu transgrederetur legem Ecclesiasticam prohibentem aliquid sub censura, sed etiam si transgrederetur legem naturalem, cui annexa esset ab Ecclesia censura, *juxta probabiliorem*: licet enim talis non eximeretur a peccato gravi, excusaretur tamen a censura, quia actio illa non censeretur conjuncta cum contumacia, & hinc occidens Clericum ex metu gravi ab altero incusso, excusaretur a censura.

5. Appellatio legitima, pro caso quo censura esset solum comminatoria, seu lata sub conditione, ut si quis excommunicaretur, nisi intra mensem satisfecerit, dummodo appellatio fiat ante lapsum temporis ad implendam conditionem expressi, *ex cap. Præterea 4. de Appellationibus*: quod si interposita appellatione judicio appellantis legitima, Judex, rejecta appellatione ut inepta, in causa prosequeretur, in foro externo ligatus censura censeretur quousque Judex appellationis declararet, appellationem legitimam fuisse, in foro tamen conscientiæ immunis esset, *ex cap. Ad præsentiam 16. de Appellationibus*; si vero censura absolute lata sit, appellans, licet legitime, non eximitur a censura; nam in hoc casu appellatio est quidem devolutiva, non vero suspensiva.

II. Tollitur sola absolutione, quam impertiri potest

1. A censuris non reservatis, sive latis ab Episcopo, sive a Papa in foro exteriori, quivis habens jurisdictionem pro foro exteriori, *ex cap. Nuper 20. de Sententia Excommunicationis*, & quidem non solum si sit lata a jure, sed etiam ab homine per sententiam generalem in omnes, qui tale delictum commiserint, qui non manifestaverint, non determinando personas, *juxta probabiliorem*.

2. A censuris non reservatis, sive latis ab Episcopo, sive a Papa in foro conscientiæ, quivis Confessarius, quæ tamen non valet, nisi coram Deo: & hinc contra talem posset judex procedere pro casu quo delictum devolveretur ad forum externum, quamvis si velit, possit desistere saltem extra casum, quo a parte urgeatur.

3. A reservatis solus reservans, Successores, & Delegati pro utroque foro, Excipe

1. Laborantes impedimento canonico, de quibus in Tab. LXVIII., qui a censuris reservatis Summo Pontifici possunt absolvi ab Episcopo, & alio habente quasi Episcopalem jurisdictionem, *ex cap. ea noscitur 13. & cap. Quamvis 58. de Sententia Excommunicationis*; in quo tamen casu, cessante impedimento, debet absolutus se præsentare Superiori, cui erat reservata, & id non faciens in eamdem censuram incidit, *ex cap. Eos qui 22. de Sententia Excommunicationis in 6.*

2. Gravatos censura Papali, si delictum sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum, quia tales possunt absolvi ab Episcopo, *ex Tridentino*.

3. Existens in periculo, vel articulo mortis; nam tales possunt a quovis Sacerdote absolvi a quacumque censura, *ex Tridentino*, juxta dicta in Tabula CLVIII.

III. Dari potest

1. Valide, & licite etiam absenti, & absolute data statim ac concessa est, operatur, item dari potest etiam invito, seu tali, qui non vult, aut recusat absolutionem petere, dummodo non sit ex eo invitus quia non vult a contumacia recedere; & hinc Hæreticus, & detinens rem alienam nequit invitus absolvi pro casu, quo vellet persistere in hæresi, & iniqua detentione.

2. In foro externo, seu contentioso, quin detur absolutio a peccatis, & imo ab una, & non ab altera, imo & in foro interno conscientiæ, potest quis absolvi a censura, quin absolvatur a peccatis, secus vero in foro interno pœnitentiæ.

IV. Nequit tolli, seu dari absolutio a censura contracta cum damno tertii, nisi satisfacta parte læsa sive realiter, sive per pignus, aut fidejussionem; aliter absolvens, valeret quidem absolutio, (excipe si in facultate absolvi expressa esset clausula: *satisfacta parte, aliter absolutio non teneat*), sed ipse peccaret mortaliter, & restitutioni obnoxius esset, juxta tamen dicta in Tab. CXXII.

N. B. 1. *Habens potestatem sive per Jubilaeum, sive per aliud privilegium absolvendi a reservatis Summo Pontifici, absolvere etiam potest excommunicatum denunciatum, sive a jure, sive ab homine, satisfacta tamen prius parte læsa, juxta superius dicta.*

2. *Absolutio a censura in foro interno dari potest forma communi in absolutione sacramentali usurpari solita, in foro vero externo danda vel juxta mandatum Superioris, vel juxta Rituale Romanum.*

TAB. CCXIV. *De Excommunicatione Majori, et Minori, et Absolutione ab eadem.*

Excommunicatio, quæ est *Censura, qua homo baptizatus privatur ex parte bonis spiritualibus, & communibus ab Ecclesiæ dispositione pendentibus*

- **I. Dividitur in**
  - * Majorem, quæ privat hominem omnibus Ecclesiæ bonis in seq. Tab. referendis jure solum Ecclesiast. *ex Cap. Omnis Christianus* 53. *caus.* 2. qu. 9., & ex c p. *Si quem.* 59., & hæc sola venit sub nomine excommunicationis simpliciter, quæque subdividitur in
    - 1. Reservatam, & non reservatam, utrasque per extensum refert Lucius Ferraris *Verbo Excommunic. art.* 2. 3. *&* 4., inter reservatas specialis est lata contra percussores Clericorum, de qua Tab. LXVII. & LXVIII.
    - 2. Tolerata, qua affecti dicuntur excommunicati tolerati, quia Ecclesia tolerat, quod nullus fidelium eos vitare, sed cum eis, sicut cum aliis tum in Divinis, tum in humanis, & politicis communionem & commercium libere habere valeant; quamvis ipsi excommunicati tolerati sint obligati vitare communionem fidelium tam in divinis, quam in politicis, neque se possunt ultro ingerere, nisi ad id ab ipsis fidelibus requisiti; nam distinctio tolerari non est facta in favorem excommunicati, sed in favorem fidelium.
    - 3. Non toleratam, vi cujus, ea affectus, & vitandus est ab omnibus, & ipse vitare debet omnes cujusmodi
      - Olim erant omnes excommunicati excommunicatione majori, ita tamen, ut quorum excommunicatio erat publica, publice erant vitandi, quorum vero occulta, occulte etiam, & privatim tantum erant vitandi ab iis, qui eam excommunicationem notam habebant, *ex cap. Cum non ab hominem* 14. *de Sententia Excommunicationis.*
      - De facto solum sunt
        - Excommunicati publice, & nominatim denunciati, seu illi, qui per sententiam Judicis Ecclesiastici sunt excommunicati & specialiter ac publice denunciati, quæ declaratio, seu denunciatio in publico loco fieri debet aut inter Missarum solemnia, affigendo chartam in loco publico, juxta locorum diversitatem, & non sufficit aliquem esse denunciatum, & publicatum tamquam reum criminis, v. g. hæresis, cui annexa est excommunicatio, nisi expresse denunciatur, hunc esse excommunicatum, *juxta probabiliorem.*
        - Notorii Clericorum percussores, dummodo sint notorii notorietate tam juris, quam facti, juxta infra dicenda, supposita autem tali notorietate, seu quod per Judicis sententiam sint convicti de gravi Clerici percussione, sunt vitandi præcisa quacumque alia publica denunciatione, *ex Constitutione Concilii Constantiensis, quæ incipit:* Ad evitanda, *approbata a Martino V., quæ consuetudine fuit recepta, & confirmata teste Benedicto XIV.*
        - Ex quo sequitur, quod bodie censeantur excommunicati vitandi solum publice denunciati, quod incurrerint excommunicationem majorem, & quidem nominatim, & convicti per sententiam Judicis Ecclesiastici de gravi Clerici percussione.
  - ** Minorem, quæ contrahitur solum propter illicitam cum excommunicato non tolerato, seu vitando conversationem sive vivente, sive mortuo, eum v. g. comitando ad sepulturam, cum cadaver portatur, *ex cap.* Statuimus. 3. *de Sententia Excommun. in* 6., quæ propterea est lata a Jure, non ab Homine.
- **II. Jubet vitare**
  - 1. Clericorum percussores pro casu, quo percussio ita esset notoria, ut nulla possit tergiversatione celari, & nullo juris remedio, vel suffragio excusari, *ex Constitutione mox citata Concilii Constantiensis;* unde cum percussio, licet publice facta, possit a percussore celari, asserendo videlicet, v. g. se fuisse ebrium, aut in suam defensionem fecisse, vel ex vehementi passione iræ, aut ex motu primo, aut ex ignorantia, quod percussus sit Clericus, vel percussori sit annexa excommunicatio, tunc ad vitandum Clerici percussorem non sufficit, quod percussio, licet gravis, fuerit publica, & notoria notorietate facti, sed insuper requiritur ut sit notoria notorietate juris, seu quod per sententiam Judicis constet, quod nullo juris remedio possit suffragari.
  - 2. Excommunicatos non toleratos, seu vitandos in quinque actionibus versu sequenti expressis;

    Os, orare, vale, communio, mensa negatur.
- **III. Temperat per jura rigore, seu**
  - 1. Permittit fidelibus communicare in actionibus humanis, & politicis in quinque casibus versu sequenti expressis:

    Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

    Extra quos casus communicans cum excommunicato vitando peccat venialiter, & incurrit excommunicationem minorem, imo in quatuor casibus incurrit quoque excommunicationem majorem.
  - 2. Absolutus in foro interno ab excommunicatione occulta potest in foro externo etiam publice habere omne commercium in divinis & politicis, Missam celebrare, & hujusmodi; quod si excommunicatio, a qua quis in foro tantum interno est absolutus, sit notoria & publica, potest tantum in occulto celebrare, & alia vi excommunicationis prohibita exercere, si absit scandalum; quod si ejus crimen deferatur ad Judicem, licet non indigeat absolutione, potest tamen Judex, si velit, procedere contra ipsum, & prætendere ut absolvatur etiam in foro externo, quamvis possit datam pro foro interno ratam habere, *ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas refert Lucius Ferraris Verbo Excommunicatio art.* 4. *n.* 4.
- **IV. Dari potest**
  - 1. Major nemini reservata lata tum a jure, tum ab homine per sententiam generalem, juxta dicta in priori Tabula, non solum ab Episcopo, sed & ab aliis Confessariis, uti & Excommunicatio minor, utpote nemini reservata, *ex cap. Nuper* 29. *de Sententia Excommunicationis.*
  - 2. Etiam extra confessionem, etiam absenti, & invito, juxta dicta in priori Tabula etiam mortuo, si ante mortem dedisset signa pœnitentiæ, ut inde reddatur capax sepulturæ Ecclesiasticæ, & communium Ecclesiæ suffragiorum.

N. B. *Perseverans per annum in excommunicatione majori specialiter lata ab homine, redditur suspectus de Hæresi,* ex Tridentino, *quia præsumitur male sentire de Ecclesiæ potestate.*

TAB. CCXV. *De Effectibus Excommunicationis tum Majoris, tum Minoris.*

Effectus excommunicationis

I. Majoris sunt octo, videlicet Privare

1. *Communibus Ecclesiæ suffragiis*, seu quæ publice, & nomine Ecclesiæ offeruntur [illegible] pro[illegible]tur pro excommunicato orare, & qui preces, quæ Ecclesiæ nomine fiunt, funderet pro excommunicato, peccaret mortaliter, & id procedit tam respectu excommunicati tolerati, quam vitandi, *juxta probabiliorem*.

* Licitum tamen est in privatis orationibus orare pro excommunicato, licet vitando: Unde Sacerdos, ut privata persona, potest etiam in *Memento* orare pro excommunicato, licet vitando.

2. *Usu passivo Sacramentorum*, adeo quod excommunicatus licet toleratus, sine gravi peccato sacrilegii nequeat, extra necessitatem vitandi scandali, infamiæ, aut alterius gravis damni, percipere sacramenta, *ex cap. Cum illorum* 32. *de Sententia Excommunicationis*. Si tamen ea reciperet, valide ea (excepto Sacramento Pœnitentiæ) reciperet, nullam tamen incurreret pœnam, nisi susciperet Sacramentum Ordinis, in hoc enim casu incurreret suspensionem ab Ordine suscepto, *ex cap. mox cit.*

** Conferens vero Sacramenta excommunicato vitando peccat mortaliter, & incurrit tum excommunicationem minorem, per dicta in priori Tabula, tum interdictum ab ingressu Ecclesiæ, *ex cap. Episcoporum* 8. *de Privilegiis in* 6., extra tamen casum, quod id faceret ex justa causa ad vitandum v. g. scandalum, vel infamiam excommunicati in locis, ubi censura contra eum lata ignoratur; multo autem minus peccaret, saltem vi censuræ, administrando sacramenta excommunicato tolerato, licet peccaret contra jus naturale divinum, quod vetat Sacramenta administrare indignis, nullam tamen pœnam incurreret.

3. *Usu activo Sacramentorum*, adeo quod excommunicatus sive toleratus, sive vitandus, nequeat licite administrare aliis Sacramenta extra casum necessitatis, *ex cap. Latores* 4. *de Clerico excommunicato et ministrante*: & administrans, vel exercens actum ordinis, quem habet extra casum necessitatis, graviter peccat & irregularitatem incurrit, licet valide administraret, excepto Sacramento Pœnitentiæ, quod invalide administraret, si supponatur vitandus, & hoc non obstante incurreret irregularitatem, *juxta probabiliorem*.

*** Si tamen quis ligatus excommunicatione, sive ex ignorantia invincibili, aut inadvertentia censuræ qua ligatur, vel urgente necessitate administraret in defectu aliorum Baptismum, Pœnitentiam & Extremam unctionem, aut excommunicatus solus toleratus ad petitionem fidelis administraret Sacramenta, excusaretur a peccato & pœna, si ex officio teneatur.

4. *Facultate celebrandi divina officia, et iisdem assistendi*, sive toleratus, sive vitandus sit, *ex cap. Alma Mater* 24. *de Sententia Excommunicationis in* 6., & hinc nequit sive assistere Missæ celebrationi, sive Horis canonicis, sive interesse publicis processionibus &c., aliter faciens peccat mortaliter, (nisi excusetur ab ignorantia, vel vitandi scandali necessitate, justa causa), nullam tamen pœnam incurrit.

* Excipe casum, quo assistens Missæ & jussus recedere, parere recusaret; nam in tali casu incurreret excommunicationem majorem Papæ reservatam; quod si toleratus, licet publicus, intersit officiis divinis, non propterea intermittenda officia divina: Si tamen quis coram excommunicato vitando celebraret Missam, aut alia divina officia, procul dubio peccaret mortaliter, & incurreret excommunicationem minorem & interdictum ab ingressu Ecclesiæ; ideoque ad hæc evitanda jubendus est ut recedat talis excommunicatus vitandus; & recusans, desistendum ab officio divino, etiam celebratione, nisi Sacerdos jam pervenisset ad Canonem.

5. *Habilitate ad dignitates, et Beneficia acquirenda*, adeo ut quævis collatio, præsentatio, electio, confirmatio, institutio excommunicati, licet tolerati, ad beneficium, sit ipso jure nulla & irrita, *ex cap. Postulatis* 7. *de Clerico excommunicato, et ministrante*.

** Excipe casum, quo provisio Beneficii facta fuisset a Summo Pontifice cum clausula absolutionis a censura ad effectum gratiam consequendi, quæ tamen clausula non prodest sive excommunicato propter hæresim propter ejus singularem gravitatem, sive insordescentibus per annum in excommunicatione.

6. *Usu et exercitio omnis jurisdictionis*, sive pro foro interno, sive pro foro externo contentioso, *ex cap. Decernimus* 8. *de Sententia Excommunicationis in* 6., idque procedit tam respectu tolerati, quam vitandi, adeo ut toleratus illicite quidem exerceat actus jurisdictionis, saltem non requisitus a fidelibus, valide tamen, nisi fiat contra ipsum exceptio; vitandus vero nec licite, nec valide, *ex cap. Ad probandum* 24. *de Sententia, et re judicata*.

*** Excipe tum electionem Papæ, quæ ex Clementina *Ne Romani* §. *Cæterum de Electione* declaratur valida, sive qui eligitur censura ligatus sit, sive eadem ligati essent Cardinales, qui eligunt, tum assistentiam Parochi, dum contrahitur Matrimonium, cum talis assistentia non sit actus jurisdictionis, ex Tab. CCII.

7. *Communione politica*, adeo quod excommunicatus non solum vitandus, in quo omnes conveniunt, sed etiam toleratus, *juxta probabiliorem*, nequeat aliquod commercium politicum habere cum fidelibus, quamvis si toleratus exerceat requisitus a fideli non peccet, sicut peccat tam vitandus, quam alii fideles cum ipso habentes aliquod commercium politicum, *ex cap. Nuper* 29. *de Sent. Excomm.*, juxta tamen dicta in priori Tabula.

* Ex quo sequitur quod excommunicatus vitandus nequeat cum fidelibus ullum contractum celebrare, attamen si contrahat, contractus ab eo facti cum fidelibus validi sunt, in causis tamen sive civilibus, sive criminalibus potest tanquam Reus conveniri, non obstante quod sit vitandus, *ex cap. Intelleximus* 7. *de Judiciis*.

8. *Sepultura Ecclesiastica*, adeo quod excommunicatus non solum vitandus, de quo omnes conveniunt, sed etiam toleratus juxta plures, nequeat sepeliri in loco sacro ad fidelium sepulturam destinato, quod extra dubium est, si toleratus decessisset absque pœnitentiæ signis, quia sic in peccato mortali decessisset, vide dicta in Tab. CVI.

* Ex quo sequitur, quod Hæreticis, licet in Germania toleratis, neganda est Sepultura Ecclesiastica; quod si vitandus sepeliatur in loco sacro, non obtenta prius absolutione, debeat exhumari & cadaver ejus foras projici, si ejus ossa ab aliis secerni possint, secus si discerni nequeant, *ex cap. Sacris* 12. *de Sepulturis*, & locus evadit pollutus, nec ante reconciliationem in eo quis sepeliri potest, vide dicta in Tab. CXVII.

II. Minoris sunt duo, videlicet Privare

1. *Receptione passiva Sacramentorum*, adeo quod sine peccato gravi ligatus tali excommunicatione, nequeat ullum Sacramentum recipere, licet valide reciperetur: excipe juxta aliquos Sacramentum Pœnitentiæ, & licet non privetur usu activo Sacramentorum, si tamen ea administraret, juxta plures peccaret venialiter, nullam tamen incurreret irregularitatem, vel pœnam canonicam sive administrando, sive recipiendo.

2. *Electione passiva ad Dignitates et Beneficia*, *ex cap. Si celebrat* 10. *de Sententia Excommunicationis*, & hinc eligere quidem potest, non tamen eligi, & si eligeretur, tam eligens, quam electus peccarent mortaliter, electio tamen non esset ipso jure irrita, sed irritanda.

TAB. CCXVI. *De Suspensione, Divisione ejusdem, Potestate eam ferendi et Subjecto.*

Suspensio est *Censura, qua Clericus privatur usu et exercitio omnium, vel quorumdam suorum munium, quæ*

- **I. Dividitur respectu**
  - **Ferentis in**
    - A Jure, quæ a jure communi, vel Constitutionibus Apostolicis imposita est, quas refert Lucius Ferraris *Verb.* Suspensio *art.* 2. 3. 4.
    - Ab Homine, quæ videlicet imponitur a Superiore Ecclesiastico pro aliqua actione particulari, ut fiat, vel non.
  - **Objecti in** Ab Officii = vel ab Ordine = vel a Beneficio = vel a Jurisdictione = vel a Divinis.
  - **Finis in**
    - Pœnalem, quæ fertur per modum puræ pœnæ in vindictam culpæ præteritæ.
    - Medicinalem, quæ fertur ad impediendum delictum futurum, quæque habet pro fine emendationem Clerici, & hæc sola habet rationem veræ Censuræ.
- **II.** Requiritur ut præviam admonitionem, nec non ut in scriptis feratur: cujus defectu, ut si solo verbo Prælatus dicat: Suspendo te a celebratione Missæ, non videtur proprie suspendere, sed solam Missæ celebrationem prohibere.
- **III. Esse potest, & si sit suspensus**
  - **1. Ab Officio suspensus**
    - 1. Privatur usu & exercitio Ordinis, jurisdictionis & omnis Ecclesiastici ministerii, quod a Clerico qua tali exerceri solet, unde sic suspensus nec celebrare, nec Sacramenta administrare, nec ferre censuras, nec alios ad confessiones excipiendas approbare, nec eligere potest.
    - 2. Nequit eligi ad beneficium, *ex c. Quia* 15. *de Rescriptis in* 6., quia Beneficium datur propter officium; unde cum suspensus ab officio impediatur officium exercere, hinc eligi nequit ad beneficium; quod si eligatur, electio ipso jure est irrita, juxta probabiliorem fundatam in cap. *Cum bonæ memoriæ* 8. *de Ætate, Qualitate & Ordine præficiendorum*, quamvis aliqui velint, solum irritandam.
    - 3. Non tamen propterea censetur quoque suspensus a Beneficio, ejusque fructibus, *ex capite*, *A crapula* 14. *de Vita & honestate Clericorum*; quod verum est, etsi suspensio facta esset sub disjunctione ab Officio, vel Beneficio, quia juxta probabiliorem, lata sub illa forma disjunctiva nullum effectum ipso jure producit.
    - 4. Neque prohibetur sacramenta recipere (excepto Ordine), indulgentias lucrari, celebranti Missam inservire, cum alii in choro cantare; quia hæ actiones non sunt propriæ Clericorum, cum etiam a Laicis possint & soleant exerceri; potest insuper Epistolam cantare etiam cum Alba & Tunica, dummodo sine manipulo.
  - **2. Ab Ordine suspensus**
    - 1. Debet se abstinere ab usu & exercitio cujuscumque Ordinis, supposito quod sit suspensus ab Ordine absolute; si vero suspensus ab Ordine superiore v. g. Presbyteratu, non propterea censeretur suspensus ab Ordine inferiore v. g. Diaconatu; neque suspensus ab Ordine inferiore, censendus propterea suspensus ab Ordine superiore, extra casum quo superior esset annexus inferiori; hinc suspensus a Presbyteratu potest cantare Epistolam vel Evangelium, suspensus a Diaconatu potest absolvere, extremam unctionem dare.
    - 2. Non tamen suspensus ab Ordine, licet absolute & simpliciter, censetur ipso facto suspensus a jurisdictione, *ex D. Thoma in sup. qu.* 22. *art.* 3., & hinc potest concedere facultatem eligendi Confessarium, licet ipse nequeat confessiones audire; potest eligere, cantare in choro.
    - 3. Non censetur ipso facto suspensus a Beneficio, eo præsertim, quia suspensus ab Ordine potest Beneficii sui munia quædam per se, quædam vero per alium exercere, & hinc collatio Beneficii facta suspensn ab Ordine, illicita quidem est, non tamen irrita. Accedit, quod aliud sit Ordo, aliud vero Beneficium, ac proinde, qui uno privatus est, non statim alio privatus censeri debet; intellige, ut superius dictum, dummodo beneficium non detur propter officium, a quo est suspensus & cujus munia per se, non per alium exercere posset: in quo casu ab utroque maneret suspensus.
  - **3. A Beneficio**
    - Si sit simpliciter a Beneficio, ab omnibus Beneficiis censetur quoque suspensus, qui tamen non privatur titulo Beneficii, uti Depositus, sed solum fructibus ejus, quo nomine veniunt Decimæ, Primitiæ, Oblationes & cætera emolumenta, quæ ratione Beneficii percipiuntur, & hinc ei Œconomus constituendus.
    - **Nequit suspensus**
      - 1. Partem fructuum ad suam suorumque necessariam sustentationem sibi reservare, si sit suspensio lata in contumaciam, possitque suspensus delicti pœnitens ab ea se liberare: bene vero si sit lata in pœnam delicti commissi, adeo ut non sit in potestate suspensi se ab ea liberare.
      - 2. Percipere distributiones quotidianas, quæ interessentibus divinis officiis conceduntur, si hæ sint extractæ ex fructibus ipsius Beneficii, bene vero si essent ex particulari fidelium fundatione assignatæ in stipendium interessentibus divinis officiis, *juxta probabiliorem*.
      - 3. Percipere fructus ex Beneficiis pluribus ab ipso possessis, licet aliqua essent extra suam Diœcesim, supposito quod suspensio incurratur ex violatione Statuti lati ab Episcopo exprimente se intendere suspendere ab omnibus Beneficiis, etiam extra Diœcesim sitis; secus si id non exprimeret.
      - 4. Recipere aliud Beneficium, si suspensus ab omnibus Beneficiis; quod si reciperet, valide quidem, sed illicite reciperet, nisi obtinuisset, saltem pro foro pœnitentiæ, absolutionem a censuris, vi cujus absolutionis valide & licite reciperet, quantum attinet forum internum; si vero suspensus esset a Beneficio vel Beneficiis, quæ possidet, posset valide & licite aliud beneficium acceptare.
      - 5. A Beneficio percipere pensionem juxta aliquos, licet probabilius sit quod possit eam recipere, cum pensio non sit veri nominis Beneficium.
  - 4. A jurisdictione, nequit censuras ferre, concedere indulgentias, alios ad confessionem approbare, neque potest eligere, & alios similes actus exercere, sive hi in rigore jurisdictionem includant, sive aliquod jus æquivalens, quod Clerico qua tali conceditur ab Ecclesia & ab eadem auferri potest.
  - 5. A Divinis, nequit in choro recitare psalmos, neque iis interesse, aut etiam officia divina audire tanquam Clericus; quod si intersit tanquam Clericus & Minister ex officio fit irregularis, secus si id faciat tanquam Laicus, & hinc potest tanquam Laicus audire sacrum, non vero celebrare, aut coram se facere celebrare, etsi esset Episcopus.
  - 6. Absolute & simpliciter, censetur suspensus totaliter tam ab officio, quam a Beneficio.
- **IV. Potest ferri**
  - 1. A solis personis Ecclesiasticis, præsertim Papa & Episcopis, Superioribus Ordinum Regularium, prout dictum fuit Tab. CCXII., qui etsi possint ob levem culpam infligere suspensionem aliquam levem, v. g. ab unico actu electionis, a percipiendi una alterave vice distributionibus, vel a Missa celebranda ad breve tempus, nequeunt tamen suspensionem a Divinis, vel ab Officio & Beneficio ad longum tempus, nec valide propter levem culpam, nec prudenter propter lethalem, quæ gravioribus non accenseatur, *ex Benedicto XIV. Syn. Diœc. lib.* 20. *cap.* 1. *n.* 3.
  - 2. In omnes & solos Clericos licet solum Minoribus & prima Tonsura initiatos, quidquid aliqui, præsertim Galli, velint non nisi sacris Ordinibus initiatos subjectos esse censuræ suspensionis, & hinc volunt quod in forma absolutionis omitti debeant illa verba: *a vinculo suspensionis*, si pœnitens non sit sacris Ordinibus initiatus.

TAB. CCXVII. *De Effectibus et aliis pertinentibus ad Suspensionem.*

Suspensio

- **I. Inducit**
  - Peccatum mortale in illum qui violat suspensionem sive totalem, sive partialem, quia videtur contemnere Ecclesiam, & gravem illius censuram.
  - *** Excipe**
    - 1. Si suspensio sit levis ab aliquo dumtaxat actu, juxta dicta in priori Tabula, vel suspensus ab Ordine exerceat minorem ordinem.
    - 2. Si suspensus (dummodo non sit denunciatus) ad petitionem fidelium ex debito ministret officia a quibus est suspensus, & prius nequeat absolvi.
    - 3. Si suspensus, licet denunciatus, ob urgentissimam causam, vel ad evitandum scandalum exerceat officia a quibus est suspensus.
    - * Communicans cum suspenso, licet denunciato, in actionibus in quibus non est suspensus, aut non peccat, vel solum venialiter.
  - **Irregula-**
    - 1. Si suspensus ab Ordine sacro, ejus officium solemniter exerceat, *ex cap. Apostolicæ 9. de Clerico excommunicato &c.*, quod & procedere de violante suspensionem mere pœnalem ab Ordine sacro aliqui volunt, licet alii, & forte probabilius, negent, eo quod non habeat rationem veræ censuræ.
    - 2. Si suspensus ab ingressu Ecclesiæ, hoc non obstante in ea celebrat, *ex cap. Si qui 20. de Sententia excommunicationis in 6.*
- **II. Non inducit**
  - **ritatem**
    - 1. Si suspensus ab aliquo ordine minori exerceat actum ordinis alicujus minoris, a quo est suspensus, licet exerceret ipsum solemniter, saltem extra casum quo minorum ordinum functiones alicubi ad votum & mentem Concilii restituta essent; adeo ut Ostiarii & Lectoris functiones non nisi a Lectoribus & Ostiariis exerceri possint.
    - 2. Si suspensus ab Ordine Sacro hunc non solemniter exerceat, & hinc si ita suspensus caneret Epistolam vel Evangelium in Missa solemni sine Manipulo vel stola, non incurreret irregularitatem.
    - 3. Si suspensus sive a Divinis officiis & Sacramentis, sive a jurisdictione, vel Beneficio assistat divinis officiis, Sacramenta recipiat, actus jurisdictionis exerceat, administret Beneficium aut fructus ejus percipiat, quamvis hisce se ingerendo peccet mortaliter.
    - 4. Si suspensus ab Ordine suscepto præsumat, nulla impetrata absolutione a censura ad superiorem ordinem ascendere, *ex Benedicto XIV. Synod. Diœc. lib. 12. c. 5. n. 1.*, quidquid aliqui velint & talem incurrere irregularitatem.
- **III. Potest**
  - Impediri, si sit ab officio, & ingressu Ecclesiæ, per appellationem, quæ præcessit ipsam suspensionem. Suspensio vero a beneficio, ab administratione beneficii, a voce saltem passiva per appellationem etiam subsequentem impediri posset.
  - **Tolli**
    - 1. Per solam absolutionem, quæ habet rationem veræ censuræ; & hæc absolutio necessario danda, etsi suspensus recessisset a contumacia, supposito quod absolute sit imposita: aliter dicendum, si imposita esset ad certum tempus, vel sub conditione; Si autem sit mere pœnalis, tollitur vel per lapsum temporis, si imposita sit ad certum tempus, vel per dispensationem concedendam ab eo qui eam inflixit.
    - 2. Lata sive a jure, sive ab homine generaliter; si non sit reservata ab Episcopo, & alio quasi episcopali jurisdictione prædito, non tamen ab alio qui non habeat jurisdictionem in foro externo (nisi habeat a Sede Apostolica privilegium, quale habent Religiosi Mendicantes, qui possunt absolvere suos pœnitentes Clericos sæculares etiam a reservatis Sedi Apostolicæ) eo ipso quod hæc absolutio non sit necessario præmittenda ad absolutionem a peccatis, ob cujus causam proprio Sacerdoti conceditur potestas absolvendi ab excommunicatione non reservata, juxta dicta in Tab. CCXIV.
- **IV.** Nequit retardari, aut suspendi a suo effectu semel incursa præterquam a Romano Pontifice.
- **V.** Afficit suspensum ab Officio, Ordine, & Jurisdictione ubique existentem, adeo ut nullibi possit exercere actus illius potestatis, a qua fuit suspensus donec absolvatur, quia censura afficit immediate personam, adeoque eum comitatur, etiam extra territorium, quamvis aliqui velint id procedere solum respectu suspensi absolute ab ordine, secus respectu suspensi a jurisdictione vel Beneficio.
- **VI.** Irritat, seu invalida reddit acta suspensi publice denunciati, pro casu quo acta contra suspensionem facta exigant jurisdictionem: & hinc invalide absolvit suspensus ab Officio si sit denunciatus. Si vero acta contra suspensionem facta non exigant jurisdictionem, valida sunt. Unde suspensus ab Officio, licet denunciatus, valide ordines confert, confirmat, consecrat Virgines & Altaria, & alios actus Ordinis exercet, quia non includunt intrinsece actum jurisdictionis.
- **VII.** Quamvis in jure nulla sit præscripta forma pro absolutione danda a censura suspensionis, & ideo possit absolute dari quibuscumque verbis aptis ad exprimendum quocumque idiomate effectum, ex usu tamen [illegible] hæc & similis forma adhiberi solet: *absolvo te a vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem, vel talem causam, & restituo te pristinæ executioni tuorum Ordinum & Officiorum* quæ tamen non debet impertiri a[illegible] absolvendus promittat satisfacere parti læsæ, casu quo crimen, propter quod incurrit suspensionem, tangat personam tertiam.

TAB. CCXVIII. *De Natura et Divisione Censurae Interdicti, et Observandis circa Interdictum.*

Interdictum, quod est *Censura Ecclesiastica privans hominem, vel locum publica divinorum officiorum, aliquorum Sacramentorum administratione, & usu Ecclesiasticæ sepulturæ*

I. Dividitur in

1. Locale, quo immediate locus ipse interdicitur ne ibi divina peragantur vel audiantur sive ab indigenis, sive ab alienigenis. Quod si interdicatur locus aliquis particularis v. g. particularis aliqua Ecclesia, dicitur interdictum *locale particulare:* quod si interdicatur locus varia sub se loca complectens, ut Regnum, Provincia, Civitas, imo & Parochia, dicitur interdictum *locale generale.*

2. Personale, quo immediate interdicuntur ipsæ personæ & non locus, & tunc illæ personæ nec alibi possunt percipere sacramenta, nec exercere functiones sacras per interdictum prohibitas: quod si persona aliqua vel simul plures, saltem sub ratione aliqua communi expressæ, v. g. qui tale delictum commiserunt, dicitur interdictum *personale particulare:* si vero interdicatur aliqua communitas personarum, v. g. integra aliqua Universitas, Collegium, Capitulum, Conventus, dicitur interdictum *personale generale.*

3. Mixtum, quo immediate & locus & persona interdicuntur, v. g. Civitas & ejus Incolæ.

4. Latum a jure, & censetur quod a jure communi & constitutionibus Apostolicis latum est, quorum seriem refert Lucius Ferraris *Verbo* Interdictum *art.* 2. 3. 4. & 5.

5. Latum ab homine, & censetur quod latum est ab habente facultatem, qualem attento jure communi habent omnes qui possunt excommunicare & suspendere.

II. Ligat: & quidem Locale tam Generale, quam speciale, omnes incolas tam Laicos, quam Ecclesiasticos, etiam Religiosos, quantumvis exemptos, *ex cap. Cum in partibus* 12. *de Verborum significatione, & cap. Auctoritate.* 4. *de Privilegiis* 126., sive dein latum sit a Sede Apostolica, sive ab Episcopo promulgatum, *ex sess.* 25. *cap.* 12. *de Regularibus*, imo & ipsum Latorem, & ejus æqualem, vel superiorem illo, solo Papa excluso.

III. Non Ligat

1. Si denunciatum non sit, nam post Constitutionem Concilii Constantiensis, de quo Tab. CCXIV. neque interdictum locale observare, neque personaliter interdictus vitandus est, etsi ipse personaliter interdictus abstinere debeat a Divinis, quam primum censura ligatur.

2. Si passim non observetur ab iis in quorum gratiam appositum est, *ex cap. Petistis* 20. *de Privilegiis.*

3. Regulares habentes speciale privilegium, de quo in sequenti Tabula.

4. Personas extra locum interdictum existentes, utpote quæ possunt, dum alibi existunt, interesse divinis, sacramenta recipere, ac in loco sacro sepeliri, *ex cap. Si sententia* 16. *de sententia excommunicationis* 126., dummodo ipsæ personæ non sint specialiter interdictæ, nec dederint causam culpabilem interdicto.

5. Personale, quantumcumque generale, non ligat pueros, amentes, & quoscumque non incapaces, sicut nec peregrinos, & exteros, licet per longum tempus inter interdictos commorentur; neque ligat illum qui tale interdictum tulit.

IV. Observanda proponit

1. Interdicto Clero non censetur interdictus populus, nec e converso, *ex cap. Si sententia* 16. *de sententia excommunicationis* 126., neque omnes Clerici, sed solum gaudentes privilegio fori & canonis, de quo infra.

*Excipe

1. Episcopos, & alios Prælatos Ecclesiasticos, ac Canonicos Cathedrales, nisi horum specialis fiat mentio.
2. Religiosos, quia in odiosis non veniunt nomine Cleri, bene vero nomine personarum Ecclesiasticarum.

2. Interdicta Civitate, censentur etiam interdicta suburbia & edificia adjacentia Civitati, licet alterius jurisdictioni temporali vel spirituali subjecta, *ex cap. Si Civitas* 12. *de sententia excommunicationis* 126.

3. Interdicta Civitate vel Diœcesi, censetur etiam interdicta Ecclesia Cathedralis ibi existens, *ex textu mox citato.*

4. Interdicta Ecclesia, censentur inrerdictæ Capellæ & Cœmeterium ipsi Ecclesiæ contiguum, secus si Capellæ, vel Cœmeterium non essent contigua; e contra interdicta Capella vel Cœmeterio, non censetur interdicta Ecclesia.

5. Interdicta Communitate, censentur interdictæ singulæ illius Communitatis personæ, tum innocentes quatenus & quamdiu sunt partes communitatis nocentis, tum absentes tempore lati interdicti; tum illæ personæ, quæ post latum interdictum fiunt partes illius Communitatis.

V. Ferri debet, & quidem

1. Generale sive personale, sive locale, propter culpam communem, & quidem gravem, non vero ob culpam, licet gravem, alicujus personæ privatæ, nisi sit culpa capitis, vel Communitatis.

2. Speciale propter culpam propriam, & quidem gravem, si sermo sit de interdicto personali particulari integro, & totali, *ex Benedicto XIV. Synod. Diœc. lib.* 10. *c.* 1. *n.* 3.

N. B. *Privilegio canonis gaudent omnes relati in Tab. LXVII. Privilegio vero fori, attento præcise jure communi gaudent, non solum Clerici in Sacris Ordinibus constituti, Religiosi omnes (& Moniales) tam professi, quam novitii, etiam solum Conversi, sed etiam Clerici solum prima Tonsura initiati, vel in Minoribus constituti, dummodo hi habeant conditiones a Tridentino* sess. 23. de Reform. cap. 6. *requisitas: sufficit autem, si unicam ex tribus ibi requisitis conditionibus habeant,* ex declaratione Sacræ Congregationis.

TAB. CCXIX. *De effectibus Censurae Interdicti, et quidem in praesenti de duobus primis.*

Censuræ Interdicti effectus (*ex cap.* Alma Mater 24. *de sententia Excommun. in* 6.) sunt

- I. Privatio quorundam Sacramentorum, quæ
  - 1. Vetat
    - Tempore interdicti sive administrare, sive recipere Sacramenta Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, & Ordinis.
    - Excipe
      - 1. Probabile periculum mortis, in quo, sive ab intrinseco sive ab extrinseco provenientе, potest recipi Eucharistia ab eo qui non est specialiter interdictus, nec dedit causam culpabilem interdicto.
      - 2. Specialiter interdictum, si prius condignam satisfactionem exhibeat, vel de satisfaciendo cautionem pignoratitiam, vel fidejussoriam præstet, aut saltem juret quod, quam primum poterit, satisfaciet: tali enim in mortis periculo potest administrari Eucharistia, *ex cap. Alma Mater cit.*
      - 3. Ministros Ecclesiarum, qui pro conservanda, & renovanda Eucharistia pro moribundis possunt semel in hebdomada tempore interdicti Missas celebrare non pulsatis campanis, voce submissa, januis clausis excommunicatis & interdictis exclusis, *ex cap. Permittimus* 51. *de sententia excommunicationis.*
      - 4. Festivitates cap. *Alma Mater*, expressæ, de quibus infra: in his enim possunt etiam sacramenta administrari, & recipi *juxta probabiliorem.*
      - 5. Infirmum aliud sacramentum recipere non valentem: tali enim potest tempore interdicti administrari Extrema unctio, secus vero non infirmo, licet in festivitatibus, de quibus infra, secluso privilegio.
      - 6. Personas non specialiter, sed solum generaliter interdictas; nam his potest in loco non interdicto administrari sacramentum Ordinis.
  - 2. Non vetat: unde
    - 1. Baptismus tempore cujuscumque interdicti potest administrari tam infantibus, quam adultis, sive sanis, sive infirmis, *ex cap. Quoniam* 19. *de sententia excommunicationis* 126., quod sacramentum potest, & debet administrari ritu solemni, prout administratur extra tempus interdicti, & quidem etiam interdictis, & in loco interdicto.
    - 2. Confirmatio tempore interdicti potest administrari, & quidem cum omni sua solemnitate, utpote Baptismo accessoria.
    - 3. Pœnitentia administrari potest omnibus tam sanis, quam infirmis, exceptis qui causam culpabilem dederunt interdicto, eisque auxilium, consilium, favorem vel præbuerint, nisi prius condignam satisfactionem exhibuerint vel ut supra, *ex cap. Alma Mater cit.*, Administrari autem potest a Ministro generaliter, non tamen specialiter interdicto; si tamen ab hoc, licet denunciato, administretur, valide administratur.
    - 4. Matrimonium potest administrari, & recipi in loco interdicto, & a personis generaliter interdictis *juxta probabiliorem*, quidquid aliqui negent; non tamen debet solemniter, seu cum benedictione nuptiali administrari *juxta probabiliorem*, nisi administretur a personis privilegiatis, vel in festivitatibus, de quibus infra; specialiter tamen interdictis non est administrandum hoc sacramentum, nisi sint contriti & pœnitentes, seu a contumacia recedant, imo solemniter benedici nequeunt, nisi prius absolvantur.
- 1. Vetat tempore interdicti ea omnia, quæ ex Christi, & Ecclesiæ institutione per se a solis Clericis fieri debent, ut celebrationem Missæ, recitationem horarum canonicarum in choro, processiones, benedictiones publicas templi, fontis baptismalis, cinerum, palmarum, candelarum, solemnem aspersionem aquæ lustralis, professionem solemnem in Religione, & alia id genus, prout a Ministris Ecclesiæ fieri solent, aut a Monialibus; hæc omnia prohibentur fieri tempore interdicti, sive dein interdictum sit locale, sive personale, sive generale, sive speciale, *ex cap. Si sententia* 16. *de sententia excommunicationis* 126.
- 2. Excipit
  - 1. Usum privatum divinorum officiorum, & hinc in loco non deputato ad divina officia possunt hæc celebrari tempore interdicti, imo debent alias obligati recitare privatim horas canonicas, licet essent specialiter interdicti, sicut & possunt interesse concioni, *ex Responso* 5. *de sententia excommunicationis.*
  - 2. Clericos, & Regulares, qui si non sint specialiter interdicti, nec causam culpabilem dederunt interdicto, possunt tempore interdicti generalis localis quotidie Missas celebrare, & alia divina peragere in quibuscumque Ecclesiis, vel Monasteriis, submissa tamen voce, & januis clausis, excommunicatis & interdictis (intellige denunciatis) exclusis, ac campanis non pulsatis, *ex cap. Alma Mater cit.* Quæ decretalis non fuit sublata per Tridentinum *juxta probabiliorem;* Campana tamen pulsari potest tum ad convocandum populum ad concionem, tum ad salutationem Angelicam, tum dum Viaticum ad infirmos defertur.
  - 3. Laicum, si in defectu alterius ministret Sacerdoti sacrificanti, quem potest assumere dummodo non sit interdictus denunciatus. Reliqui vero Laici, licet nec excommunicati nec interdicti, nequeunt tempore interdicti generalis localis admitti, dum celebrantur a Clericis vel Religiosis divina officia, nisi habeant speciale privilegium.
  - 4. Festivitates Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, (& quidem quoad omnes tres dies) Assumptionis B. M. V. *ex cap. Alma Mater cit.*, Corporis Christi, & per totam ejus octavam, *ex privilegio Martini V. & Eugenii IV.*, Immaculatæ Conceptionis, & per totam ejus octavam, *ex privilegio Leonis X.*
  - 5. Fratres Minores, qui non solum in festivitatibus modo allatis, sed etiam in festis quibusdam proprii Ordinis, nempe SS. Francisci, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, Didaci, & Portiunculæ, ex privilegio concesso post Tridentinum Ordini Minorum a Clemente VIII. die 18. octobris 1595.
  - * In prædictis festivitatibus possunt tempore interdicti localis generalis officia divina solemniter celebrari januis apertis, alta voce, pulsatis campanis, admissis etiam interdictis, qui causam dederunt interdicto, modo isti non appropinquent Altari, exclusis tamen excommunicatis vitandis.

N. B. *Concessio mox dicta favet solum interdicto generali locali, ad eoque nequit extendi ad locale speciale, & hinc in Ecclesiis specialiter interdictis, in quibus asservatur Eucharistia, solum licet semel in hebdomada celebrare Missam pro conservatione & renovatione Eucharistiæ pro infirmis, juxta indultum factum* cap. Permittimus 57. de sententia excommunicationis.

TAB. CCXX. *De duobus posterioribus effectibus censurae Interdicti.*

Effectus posteriores interdicti sunt

III. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ quæ

Vetat

1. Omnes indiscriminitatim sive adultos, sive infantes tempore Interdicti generalis sepeliri in loco sacro in sepulturam fidelium deputato, *ex cap. Quod in te* 11. *de Pœnitentiis et Remissionibus*, & pluribus aliis, *relatis titulo de Privilegiis in* 6.

2. Etiam illos, quibus alias sacramentorum perceptio indulta est: & hinc morientes tempore interdicti generalis localis debent in campo aliquo, vel loco non benedicto ad hoc deputato sepeliri; cessante vero interdicto, exhumari & in locum sacrum deferri possunt, si non sint specialiter interdicti, vel causam culpabilem non dederint interdicto.

3. Tempore Interdicti Generalis Localis laicos sepeliri in loco sacro etiam in diebus solemnitatis, in quibus ex privilegio *Alma Mater* suspenditur Interdictum, juxta probabiliorem.

Excipit Clericos & Regulares

1. Si non sint specialiter interdicti, & quidem nominatim denunciati, nec causam culpabilem dederunt Interdicto, qui possunt tempore Interdicti generalis Localis sepeliri in loco sacro, Ex Cap. *Quod in te* supracitato.

2. Dummodo id fiat in silentio seu sine pulsu campanarum & cæteris de more solemnitatibus, quæ practicantur cum cadavera sepulturæ mandantur.

3. Imo possunt etiam tempore Interdicti Localis specialis sepeliri in loco interdicto, præsertim si sint Clerici illius Ecclesiæ interdictæ, dummodo absque Officio, Missa, absque cantu & campanarum pulsu, uti dictum (quamvis expedientius sit ut in Ecclesia non interdicta sepeliantur).

* Prædicti effectus non sunt adnexi cuilibet Interdicto, sed ex voluntate Interdicentis plures, vel pauciores effectus Interdictum comprehendere potest: absolute tamen prolatum omnes tres primos producit, & tale interdictum dicitur *totale;* si vero restrictum sit ad aliquem tantum effectum, dicitur *partiale*.

N. B. *Quamvis tres solum prædicti effectus Interdicti communiter assignentur, ex cit. cap.* Alma Mater, *aliquibus tamen etiam quartum tribus prædictis addere placet, nimirum Privationem videlicet ab Ingressu Ecclesiæ, quæ habet rationem tantum specialis interdicti, diciturque: Interdictum ab ingressu Ecclesiæ inducens speciales effectus*) *unde ut et illis fiat satis, eamdem tamquam quartum Interdicti effectum subnectimus, etsi forte in quibusdam minime placituri imponentibus onera tantisper graviora dispositionibus Canonicis.*

IV. Privatio ab ingressu Ecclesiæ, quæ

1. Vetat ne interdictus ab ingressu Ecclesiæ sive exerceat ordinem sacrum in Ecclesia, sive in ipsa Ecclesia, aut ejus Cœmeterio sepeliatur, sive ut in eadem Ecclesia officia divina audiat, *ex cap. Is qui.* 20. *de sententia Excommunicationis.* 126., ut sic interdictus rubore perfusus videns se a communi oratione exclusum, delicti pœniteat.

2. Non vetat

1. Simplicem & materialem ingressum ad Ecclesiam, dum non celebrantur divina, *juxta probabiliorem*, quidquid aliqui velint & id prohibitum.

2. Ne interdictus ab ingressu Ecclesiæ prædicta munia exerceat extra Ecclesiam in Oratorio privato, aut in agro, imo & in cœmeterio Ecclesiæ, cujus ingressus est prohibitus, potest ordinem sacrum exercere, ac officia divina audire, non tamen in eo sepeliri.

3. Interdictis ab ingressu Ecclesiæ recipere in eadem Ecclesia sacramenta, quidquid aliqui contrarium sentiant, quibuscum P. Concina, qui Tom. X. fol. 482. num. 12. id vetitum censet tum quia Ecclesia deputata est ad receptionem Sacramentorum, tum quia hæc est quid nobilius, quam divinorum Officiorum assistentia, quæ hisce interdictis prohibetur; ast alii censent nihil horum latuisse conditores Canonum, qui cum nullam Sacramentorum suscipiendorum faciant mentionem; neque nos absque claro & expresso juris textu odia extendere audemus.

** Privilegium concessum pro festivitatibus, de quo in priori Tabula, in quibus permittitur interdictis interesse divinis, extenditur etiam ad interdictos ab ingressu Ecclesiæ.

N. B. *Violantes interdictum ab ingressu Ecclesiæ in ea celebrando incurrunt irregularitatem, & efficiuntur ineligibiles*, ex cap. Is qui. 18. de sententia excommunicationis in 6.

TAB. CCXXI. *De Peccato et Pœnis violantibus censuram Interdicti.*

Violantes Interdictum

I. Peccant mortaliter

1. Si sint Clerici & violent interdictum sive locale, sive personale ministrando sacramenta, vel illa recipiendo, quia contra gravem Ecclesiæ prohibitionem faciunt.

2. Item Clerici, si specialiter interdicti, assistant divinis Officiis, vel in loco interdicto divina peragant, aliter quam ipsis permissum sit, nisi ex parvitate materiæ (ut si parti non notabili officii divini assisterent), vel ex ignorantia excusentur.

3. Si sint Laici specialiter interdicti & recipiant aliquod sacramentum sibi prohibitum, vel si specialiter non interdicti sacramentum alias ipsi prohibitum in loco interdicto recipiant.

4. Laici assistant divinis officiis in loco interdicto, etiam secluso contemptu, violentia, aliisque circumstantiis extrinsecis, *juxta probabiliorem*, quidquid aliqui vel nullum, vel solum veniale agnoscant.

II. Incurrunt pœnas sequentes

1. Irregularitatem, si Clerici vel Religiosi personaliter, vel generaliter interdicti, vel in loco interdicto celebrent, aliumve actum Ordini sacro adnexum exerceant, *ex cap. Is qui*. 18. *& cap. Is cui* 20. *de sententia excommunicationis* 126., imo eamdem irregularitatem incurrit Clericus, si in loco generaliter interdicto celebret non servata moderatione facta in *capite Alma Mater*.

2. Privantur jure electionis activæ & passivæ, si Clerici vel Religiosi, etiam Moniales, violent interdictum locale, adeo ut nec eligere, nec eligi, nec postulare valeant, *ex cap. Is cui supra cit.*, nec sepeliri possunt in loco sacro in silentio, *ex cap. Is qui supra cit.*, quod alias ipsis erat concessum, *ex cap. Quod in te* 11. *de Pœnitentiis & Remissionibus*.

3. Suspensionem ab Officio, Beneficio & jurisdictione, *ex cap. Tanta est* 18. *de sententia excommunicationis*, quæ tamen pœna non nisi post sententiam judicis incurritur, juxta aliquos.

4. Excommunicationem latam in Clementina, *Nos qui* 1. *de Sepulturis*, sepelientes aliquem in loco interdicto in casibus non permissis, vel personam interdictam in loco non interdicto, quam excommunicationem incurrunt etiam Regulares, licet exempti, violantes interdictum generale locale, quod ab Ecclesia Cathedrali, Matrice vel Parochiali loci servatur, *ex Clementina ex frequentibus. de sententia excommunicationis*, intellige secluso privilegio, de quo in Tab. CCXIX.

5. Excommunicationem majorem Domini temporales & eorum Officiales, qui cogunt celebrari officia divina in loco interdicto, vel vocant interdictos aut excommunicatos, ut illis intersint, vel prohibent ne ipsi interdicti vel excommunicati a celebrante, vel alio moniti de Ecclesia exeant, aut ipsimet interdicti post monitionem exire recusant, *ex Clementina Gravis* 2. *de sententia excommunicationis*.

III. Absolvi possunt in foro conscientiæ ab interdicto personali particulari a jure lato & non reservato a Parocho & aliis Confessariis, a reservato vero possunt ab habente facultatem in reservata a Papa, quam habent Confessarii Ordinum Mendicantium, qui tamen tollere nequeunt interdictum locale sive generale, sive particulare, sicut nec personale generale, quia ad hoc requiritur jurisdictio in foro externo, quæ non reperitur in Parochis & aliis Confessariis.

* Nemo (excepto summo Pontifice) potest interdictum suspendere quoad aliquos effectus, manente interdicto quoad alios effectus, *juxta probabiliorem*, & hinc fit, quod nec ipse ferens interdictum locale possit, perseverante interdicto, ibi divina facere, quia æque ipse, ac alii interdicti lege ligantur, intellige de interdicto habente rationem censuræ, totali & absolute lato, si enim ad tempus esset latum, elapso tempore cessaret: & si partialiter, solum quoad aliquem effectum, quoad alia non ligaret.

TAB. CCXXII. *De Pœnis Ecclesiasticis, earumque effectibus.*

Pœna Ecclesiastica, seu Canonica

Alia est; & dicitur latæ sententiæ, quæ ipso jure incurritur, diciturque inflicta *per canones.* = Alia est, & dicitur ferendæ sententiæ, quæ non nisi post sententiam Judicis incurritur, diciturque inflicta *secundum canones.* = Alia est medicinalis, quæ propter culpam imponitur ad hoc, ut per eam fidelis emendetur, & a contumacia desinat, & hujusmodi sunt censuræ, de quibus in prioribus Tabulis. = Alia est vindicativa, quæ tendit ad vindictam delinquentis, quæque proprie pœna dicitur, & hujusmodi sunt *Cessatio a Divinis*, *Depositio*, *Degradatio*, *Infamia.*

I. Cessatio a Divinis

Vetat celebrationem officiorum divinorum, *ex cap. Non est vobis* 11. *de Sponsalibus;* administrationem aliquorum Sacramentorum, nempe Ordinis, Eucharistiæ sanis, Extremæ unctionis infirmis, *ex eodem textu*, & Sepulturam dare in aliquo loco, saltem cum funebri solemnitate. Nam absque solemnitate divinorum officiorum possunt tempore cessationis a Divinis non solum Clerici, sed & Laici sepeliri in Cœmeterio, & Ecclesia, *juxta probabiliorem.*

2. Differt ab Interdicto, tum quia cessatio a Divinis directe afficit locum, & ideo extra hunc divina a quolibet audiri & peragi possunt: tum quia est ipso interdicto quid rigorosius, nam ea durante nec officia divina clausis januis, & solemniter unquam celebrari possunt, *juxta probabiliorem.* Unde privilegium concessum, *cap. Alma Mater*, non extenditur ad cessationem a Divinis.

3. Non est censura, & ideo eam violans non incurrit irregularitatem; peccat tamen graviter sive sit Laicus, vel Clericus, sive Religiosus, licet exemptus; imo hic incurrit excommunicationem majorem, *ex Clementina* 1. *de Sententia Excommunicationis*, dummodo Cessatio hæc sit generalis, & observetur a Matrice.

4. Directe afficit locum, seu personas in ordine ad locum, & ideo semper.

5. Fertur ab Ecclesia in signum gravissimi mœroris ac doloris concepti ex gravissima injuria ipsi, aut honori divino in eo illata, ut hac ratione injuriosus resipiscere, & injuriam debita satisfactione reparare cogatur.

6. Imponi potest non solum a jure, prout est imposita occasione pollutæ Ecclesiæ, juxta Tab. CXLIV. sed & etiam ab homine, seu ab omni eo qui potest ferre censuras, videlicet Episcopis, & aliis jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.

7. Imponi nequit nisi propter gravissimum delictum notorium notorietate facti, & supposita delinquentis contumacia; & hinc prius admoneri debet delinquens: an emendationem & satisfactionem præstare velit.

8. Nemo (excepto solo Papa), potest efficere ut cessatio a Divinis solum inducat unum & non alium effectum: v. g. privationem divinorum officiorum, non vero privationem Sacramentorum; quia dicti effectus annexi sunt Cessationi ex jure communi per textum relatum *cap. Non est vobis supra cit.*, & hinc nequit imponi Cessatio partialis; alias cessationes multiplicarentur, sicut multiplicari possunt interdicta.

9. Relaxari potest a solo imponente talem Cessationem a Divinis, vel ab ejus Superiore, aut æquali, aut ab alio habente facultatem ab ipso imponente; nulla autem in jure præscripta est forma relaxandi cessationem, atque adeo sufficit illa, quæ voluntatem relaxandi exprimat.

10. Suspendi nequit Cessationis a Divinis sententia, executioni jam mandata, per appellationem, eo quod secum trahat executionem, quæ nulla alia via impediri potest, quam relaxatione; si tamen executioni mandata non sit, potest per appellationem suspendi; quia per appellationem suspenditur jurisdictio imponentis, & ex defectu jurisdictionis nulla erit Cessatio a Divinis.

II. Depositio

1. *Est pœna Ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum, & sine spe restitutionis privatur vel omni beneficio & officio Clericali, solo privilegio Canonis & fori retento*, ut aliqui volunt, *vel solum fructibus beneficii, retento titulo & privilegio canonis & fori*, ut alii contendunt, quamvis hi concedant, quod depositus veniat privandus beneficio, & fere semper privetur, eo ipso, quod vi depositionis in perpetuum privetur officio.

2. Differt a suspensione, quia hæc de se non est perpetua, licet possit esse, ubi depositio per se est perpetua. Non est censura, & ideo violans eam non incurrit irregularitatem.

3. Imponi nequit, nisi ob delicta, quæ ex objecto & circumstantiis scandalosa & atrocia sunt, qualia censentur homicidium voluntarium, cum huic annexa sit irregularitas, plerumque indispensabilis; furtum Ecclesiæ in gravi quantitate; adulterium, & stuprum; notorius concubinatus; si post monitionem, & privationem fructuum & proventuum, imo beneficiorum perseveret.

4. Depositus propter crimina minora adulterio potest restitui in pristinum ab Episcopo, sed non nisi peracta a criminoso Clerico pœnitentia, *ex cap. At si Clerici* 4. *de Judiciis.*

5. Deposito spoliato beneficio debentur alimenta ex fructibus beneficii, ne cum opprobrio status sui clericalis mendicare cogatur; imo hæc ex eadem ratione subministranda eidem esse etiam post beneficii spoliationem aliqui volunt, licet alii negent, quia sibi imputare debet depositus eam, quam patitur, necessitatem.

III. Infamia, quæ

1. Alia est facti, alia juris: illa incurritur dum quid tale quis perpetrat, propter quod ejus bona æstimatio apud viros probos & honestos læditur; posterior vero incurritur, cum quis perpetrat crimen aliquod, quod in jure infamiæ pœna notatur; qualia sunt Furtum, Sacrilegium, Incestus, Homicidium, Perjurium, Maleficium, Veneficium, Adulterium, Fuga de publicis bellis, Violatio Sepulchrorum, *ex cap. Infames* 17. *Causa* 6. *qu.* 1. *& can. Constut.* 9. *Causa* 3. *qu.* 5., nec non illi qui jure civili habentur infames, *ex can. Omnes* 2. *Causa* 6. *qu.* 1., nisi in aliquo jus civile sit correctum a jure canonico.

2. Infames

1. Afficit irregularitate, atque adeo ut neque Ordines suscipere, neque in suscepto ministrare possint, *ex can. Qui in aliquo* 5. *Dist.* 51.

2. Excludit a dignitatibus & honoribus præsertim Ecclesiasticis, ex Regula illa 85. juris in 6. *infamibus non pateant portæ dignitatum.*

3. Excludit ab actibus legitimis, & publicis muneribus, ut Officio Judicis, Assessoris, Advocati, Accusatoris, imo & Testis, *ex can. Testes* 39. *Causa* 2. *qu.* 7.

4. Repellit ab hæreditate in testamento relicta.

3. Tollitur vel per pœnitentiam si contracta sit ex crimine occulto, vel per dispensationem si crimen sit manifestum, quæ dispensatio impertiri potest ab illo qui potest dispensare in irregularitate, quam contrahunt infames: & sic dispensati fiunt ad omnia habiles.

TAB. CCXXIII. *De Degradatione tam Verbali, quam Reali, et utriusque effectibus.*

Degradationis

I. Divisio

1. Alia est *Verbalis*, & est ipsa prolatio sententiæ; per quam Judex Ecclesiasticus Clericum e suo Gradu, & foro laicali adjicit.

2. Alia *Actualis*, seu *Realis*, & est actus ipse, seu solemnis cæremonia, qua Episcopus Clericum verbali sententia antea degradatum sacris spoliat insignibus, & re ipsa tradit Curiæ seculari, *ex cap. Degradatio 2. de Pœnis. in 6.*, *&* *Benedicto XIV. Syn. Diœces. lib. 9. c. 6. n. 4.*

3. Alia verbalis, quæ est actus jurisdictionis, & non Ordinis, & hinc ferri potest ab Episcopo electo & confirmato, licet nondum consecrato, necnon a Vicario Generali Episcopi, *ex Tridentin. Sess. 13. cap. 4. de Reform.*: imo Sede vacante a Capitulo, vel ejus Vicario, Actualis tamen & Realis est actus ordinis Episcopalis, & hinc fieri nequit, nisi ab Episcopo consecrato, neque alii, præterquam Episcopis demandari potest, ex quo sequitur quod Prælati Regulares possint quidem suos subditos degradare verbaliter, non tamen realiter.

II. Circumstantia

* **Antecedens**

1. Ante degradationem actualem & realem Clericus solum verbaliter degradatus retinet privilegium canonis, adeo quod injiciens in eum manus violentas incidat in excommunicationem canonis, *ex Glossa in cap. Degradatio cit. ad Verbum Privilegio Clericali, & Benedicto XIV. Syn. Diœces. ibid. n. 3.*

2. Degradatio verbalis ipsius Episcopi olim a duodecim Presbyteris, a sex Diaconis, a tribus simul Episcopis congregatis ferri debebat, *ex can. Si autem 8. Causa 15. quæst. 7. & cap. Degradatio 2. de Pœnis in 6.* Ast post Tridentinum potest Episcopus per se, vel per suum Vicarium devenire ad verbalem Clerici degradationem, assistentibus totidem Abbatibus usum Mitræ & Baculi habentibus, & si tot haberi possunt, alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac Juris scientia commendabiles existant, Clerici vero in Minoribus constituti sola proprii Episcopi sententia possunt verbaliter degradari, *ex Benedicto XIV. loc. cit. c. 4.*

3. Dictæ personæ substitutæ Episcopis non solum debent assistere solemni & actuali degradationi ut Assessores, sed & interesse debent examini, & ipsis tanquam veris conjudicibus competit ferre suffragium decisivum; *ex Benedicto XIV. ibid. c. 6. n. 4.*, qui si non unanimiter consentiant, non potest deveniri ad sententiam degradationis, *ex cap. Non potest 3. de Sententia & judicata.*

** **Concomitans**

1. Secuta unanimi Assistentium consensu degradatione verbali, si deveniendum sit ad realem, Clericus degradandus sacris vestibus indutus ac si celebrare vel actum sui Ordinis exercere deberet, adduci debet ad Episcopum præsentibus aliis conjudicibus, qui degradationis sententiam protulerunt, & adstante etiam Judice sæculari; Episcopus vero cum gradatim exuit a singulis Ordinum insignibus incipiens ab illo, quod eidem in ordinatione ultimo loco traditum est, cæterisque adhibitis cæremoniis, quæ præscribuntur *cap. Degradatio 4. de Pœnis in 6.*

2. In hujusmodi reali degradatione potest Episcopus uti verbis aliquibus ad terrorem [illegible] appositis, quæ in collationem Ordinum sunt prolata, dicendo Presbytero hæc, vel similia verba in amotione Planetæ: *Auferimus tibi vestem sacerdotalem, & te honore sacerdotali privamus*; in ablatione ultimi, quod in collatione fuit primum dicat: *Auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac Nostra tibi auferimus habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & privilegio Clericali.*

*** **Consequens**

1. Expletis mox dictis, Episcopus tradit ita degradatum Judici Sæculari secundum laicorum leges puniendum, sed simul eundem Judicem serio & ex animo rogare debet, ut sententiam moderari, atque a pœna sanguinis abstinere velit, *ex cap. Novimus 27. de Verborum significatione.*

2. Nullus Clericus solemniter degradatus hodie reipsa tradi debet Curiæ sæculari, nisi ob gravissima delicta mereatur pœnam ultimi supplicii; imo debet esse crimen, cui a jure communi Ecclesiastico, aut a Pontificiis sanctionibus sit expresse ac nominatim annexa degradationis pœna, ex Benedicto XIV. in sua Synodo Diœcesana *lib. 9. cap. 7.*, qui n. 7. refert delicta, quibus ex jure debetur talis degradatio, & n. 11. subjungit instar regulæ, quod nemo Clericorum, quantumvis flagitiosus, possit ab Episcopo actu degradari & tradi Curiæ sæculari, nisi post ei inflictas alias pœnas, *cap. Cum non ab homine 10. de Judiciis* [illegible], deprehensus fuerit inemendabilis, aut nisi alicujus ex enumeratis criminibus a jure communi, vel a Pontificiis Constitutionibus nominatim expressis, reus fuerit.

TAB. CCXXIV. *De Irregularitate in communi, et ejus effectibus.*

Irregularitas

I. Est *impedimentum canonicum, quo quis inhabilis redditur ad primam Tonsuram, & Ordines suscipiendos, vel ad susceptos exercendos, & ad beneficia recipienda.*

II. Alia est *ex delicto*, quæ præsupponit culpam, juxta infra dicenda, alia est *ex defectu*, quæ absque culpa sive propria, sive aliena incurritur, de qua in sequentibus Tabulis.

III. Non est proprie pœna, sed impedimentum, seu moralis inhabilitas ex aliqua indecentia.

IV. Induci potest a sola Ecclesia, vel Romano Pontifice, secus ab Episcopis, & inducta ad quoscumque Christifideles, afficit ipsos etiam Episcopos, secus Papam.

V. Non incurritur, nisi in casibus in jure expressis, *ex cap. Is qui* 18. *de Sententia excommunicationis in* 6., & quidem verbis, quæ vel eam diserte contineant, vel effectus ejus proprios, & præcipue inhabilitatem ad suscipiendos ordines exprimunt, uti sat clare exprimere videntur textus dum dicunt: *ad Clericatum non promoveatur, non ordinetur, non fiat Clericus;* quod si verbis ambiguis exprimatur, quæ non magis excommunicationem, suspensionem, & interdictum, quam irregularitatem ipsam exprimant, non censetur expressa irregularitas, *ex Tornello*, qui addit quod verba comminatoria, quæ significant effectum de futuro, nequeant esse signum irregularitatis, quia hujusmodi verba requirunt sententiam Judicis, quæ ab homine fertur; irregularitas vero non ab homine, sed a solo jure imponi potest, juxta mox dicta.

VI. Introducta est ab Ecclesia ad tuendam sacrorum majestatem, & ad servandum Religionis decus.

VII. Ex Delicto ut incurratur, requiritur

1. Culpa mortalis, & hinc quidquid excusat a mortali, excusat quoque ab irregularitate, & ideo ignorantia juris vel facti, saltem invincibilis, oblivio, inadvertentia, bona fides, materiæ levitas, impediunt ne incurratur irregularitas ex delicto; vincibilis autem ignorantia sicut non excusat a culpa, ita nec ab incursu in irregularitatem, & multo minus ignorantia solius irregularitatis annexæ delicto respectu violantis scienter legem, *juxta probabiliorem*.

2. Delictum externum, quia Ecclesia vel non potest, vel non vult peccata mere interna pœnis plectere.

3. Delictum consummatum, & hinc vulnerans etiam lethaliter hominem, si mors non sequatur, non incurrit irregularitatem; quod verum est, etsi mors per miraculum non fuisset secuta; si tamen verba legis requirant dumtaxat actum inchoatum & attentatum, eodem posito, nihil deest ut incurratur.

4. Non tamen requiritur ut opus illud externum consummatum sit manifestum, sed sufficit si sit occultum, *ex Tridentino Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.*, & hinc Sacerdos committens delictum occultum, cui est annexa irregularitas, nequit celebrare non obtenta desuper dispensatione, saltem extra casum quo ex omissione celebrationis prævideretur secutura infamia, vel scandalum; nam in tali casu posset, non obstante irregularitate, celebrare ob Ecclesiæ intentionem, quæ non intendit, ut leges suæ cum tanto detrimento observentur.

VIII. Impedit sive ex delicto, sive ex defectu

1. Susceptionem Ordinum, *ex cap. Curandum* 9., *& cap. Si cujus uxorem* 11. *Dist.* 34., & hinc suscipiens Ordines innodatus irregularitate, valide quidem eos suscipit, peccat tamen graviter tam suscipiendo, quam in suscepto ministrando, loquendo saltem cum exceptione primæ Tonsuræ, ut insinuetur opinio quorumdam volentium non peccare graviter suscipientem in irregularitate primam Tonsuram, quorum tamen opinio communiter rejicitur; præter peccatum mortale tamen nullam pœnam, vel irregularitatem ipso facto incurrit sive suscipiens, sive in susceptis ministrans.

2. Exercitium, seu usum Ordinis suscepti, *ex cap. Quæsitu* 7. *de Temporibus Ordinationum, & cap. Ad audientiam* 12. *de Homicidio*, & hinc ea innodatus nequit licite administrare Sacramentum Pœnitentiæ, cum id fieri nequeat sine exercitio Ordinis, quod ipsi prohibitum est; si tamen administratur, valide administratur.

3. Receptionem beneficii, *ex cap. Dudum* 22. *de Electione, & ex Tridentino Sess.* 22. *c.* 4. *de Reform.*, & hinc innodatus irregularitate illicite recipit Beneficium, etsi irregularitas provenerit ex delicto occulto: imo plures Doctores volunt non solum illicitam, sed omnino invalidam, & ipso jure irritam esse collationem Beneficii factam irregulari; & ideo negant quod talis faciat fructus suos; aliis tamen probabilius videtur, quod collatio Beneficii facta irregulari non sit ipso facto irrita & nulla, quia in toto jure non reperitur textus irritans ipso facto talem collationem, sed ad summum prohibens; haud tamen dubitandum quod per sententiam judicis talis possit privari, & quidem etiam beneficiis antea legitime obtentis, præsertim si irregularitas proveniat ex homicidio voluntario.

4. Non impedit sive sacramenta alia, excepto Ordine, suscipere (ideoque innodatus irregularitate potest absolvi ab omni peccato, etiam ab illo, propter quod irregularitas contracta fuit, dummodo non sit reservatum), sive officiis interesse: sive cum aliis communicare: sive in loco sacro sepeliri: neque etiam impedit exercere quoscumque actus sacros, qui non sunt ordinum, imo nec minorum ordinum officia exercere, ob dicta in Tabula CCXVII.

N. B. 1. *In dubio juris, seu quando lex canonica ita obscura est ut Peritiores de sensu ejus ambigant, discordentque inter se: an irregularitas per eam feratur, nec ne? stante & perseverante tali dubio non incurritur irregularitas, tenetur tamen adhibere diligentiam, ut veritatem assequatur, & interim abstinese ab iis quæ irregulari prohibentur, alias peccat graviter, saltem extra casum, quo sine gravi suo incommodo non posset res differri, ut si differendo præteriret occasio ordinum suscipiendorum, suscepto tamen ordine debet esse sollicitus de veritate agnoscenda, ut possit actum Ordinis suscepti licite exercere.*

N. B. 2. *In dubio autem facti, dum videlicet quis dubitat: an posuerit actum, cui irregularitas est annexa, incurritur irregularitas, si dubium illud versetur circa homicidium, secus vero si dubium facti versetur circa alia, quidquid aliqui velint id procedere de quacumque materia, quoties dubium est probabile, & non merus scrupulus.*

TAB. CCXXV. *De Irregularitatibus ex Delicto provenientibus, et quidem de tribus primis.*

Irregularitas ex delicto provenit ex

* Septem causis, videlicet vel *ex iteratione Baptismi*, vel *ex indebita Ordinum susceptione*, vel *ex malo usu ipsorum Ordinum*, vel *ex crimine haeresis & apostasia a fide*, vel *ex homicidio voluntario & casuali*, vel *ex mutilatione membrorum*, vel *ex delictis enormibus*.

I. Iteratione Baptismi, quae inducitur in eum, qui

1. Scienter & absolute rebaptizat; secus si solum sub conditione ob dubium fundatum collati antecedenter Baptismi: imo juxta aliquos, nec si ex mera aliqua suspicione nullo praemisso examine id faceret, quamvis aliqui velint talem incurrere, & hujus opinionis est Bened. XIV. *lib. Inst. Eccl.* 84. *& Syn. Diœc. lib.* 7. *c.* 6. *n.* 4.

2. Scienter ministrat absolute rebaptizanti, *ex cap. Litteratum* 2. *de Apostatis & reiterantibus baptismum*.

3. Scienter absolute rebaptizatur, *ex cap. Eos quos*, 118. *de Consecratione Dist.* 4.

* Introducta est haec irregularitas ab Ecclesia ad reprimendum Donatistarum, aliorumque rebaptizantium haeresim, quae multo tempore turbavit Ecclesiam: & hinc hanc non incurrunt iterantes alia sacramenta.

** Rebaptizans ex ignorantia, quae excusat a culpa, non incurrit irregularitatem propter dicta in praeteri Tabula, sicut nec taliter rebaptizatus *juxta probabiliorem*, quidquid aliter sentiat Canon *Qui bis* 113. *de Consecratione Dist.* 4., nam hic canon non est alicujus Pontificis, aut Concilii Generalis, sed desumptus ex Pœnitentiali cujusdam Theodori Archiepiscopi Calvariensis, qui vim legis habere nequit.

*** Susceptio simplex baptismi, quantumvis indigna, non inducit irregularitatem, nisi vel suscipiatur ab haeretico denunciato vitando, *ex cap. Qui in qualibet* 10. *Causa* 1. *qu.* 7., vel differat ipsum suscipere usque ad aegritudinem, vel periculum mortis, *ex cap. Si quis* 1. *Dist.* 51.

II. Indebita Ordinum susceptione quae inducitur in cos qui

1. Furtive recipiunt Ordines, quales censentur, qui examen fraudulenter effugerunt, nec alias approbati, vel admissi fuerunt, sed per dolum, aut ignorante Episcopo immiscent se ordinandis. *Ex cap. Venient*, 1. *De eo, qui furtive ordinem suscipit*. Haec tamen irregularitas vetat solum ascensum ad altiorem Ordinem, non vero ministrare in furtive suscepto, *juxta probabiliorem*.

2. Ficto titulo, vel absque Dimissoriis ordinantur, vel ante confirmationem suscipiunt Ordines, vel per saltum, omisso scilicet ordine inferiori ad superiorem promoventur, vel qui Ordines recipiunt ab Episcopo, qui dignitati suae, idest jurisdictioni, & executioni Ordinis Episcopalis renunciavit, vel qui excommunicatione majori ligati Ordines suscipiunt, juxta plures Auctores: quamvis alii velint, non adeo constare ex jure, quod mox dicti, quamvis indebite suscipientes Ordinem, incurrant irregularitatem potius quam suspensionem: imo si ante susceptionem sacramenti Confirmationis quis ordines susciperet, nec suspensionem videretur incurrere ob dicta in Tab. CXXXV. & CLXXX.

* Suspensus vel interdictus ordines recipiens non incurrit irregularitatem, *ex communi & expresse Benedicti XIV. in Syn. Diœc. lib.* 12. *c.* 4. *n.* 7. Imo si in ipso actu susceptionis Ordinis v. g. Diaconatus, vel Subdiaconatus exerceret actum Ordinis suscepti cantando Epistolam, vel Evangelium, talis non incurreret irregularitatem juxta aliquos, licet plures velint talem incurrere: hincque volunt, quod suspensus celebrans cum Episcopo, dum consecratur Sacerdos, incurrat irregularitatem.

III. Malo Ordinum usu, qualis censetur si quis ligatus censura aliqua

1. Solemniter, seu ex officio exercet actum ordinis sacri extra legitimam excusationem, *ex cap. Si celebrat.* 10. *de Clerico excommunicato*, *ex cap. Cum aeterni* 1. *de Sententia & re judicata in* 6., *& ex capite Si qui* 18. *de Sententia excommunicationis in* 6., secus si exerceat, etiam solemniter, actum aliquem ordinum minorum juxta dicta in Tab. CCXVII.

2. Solemniter baptizat: secus si privatim, praesertim in casu necessitatis.

3. Sacramentaliter absolvit etiam in occulto, quia actus absolvendi de se non habet aliam solemnitatem.

4. Hebdomadarii officium peragit dicendo: *Dominus vobiscum*, secus si omittat *Dominus vobiscum* & dicat more Monialium: *Domine exaudi orationem meam*, vel dicat *Dominus vobiscum* in recitatione privata.

5. Epistolam, vel Evangelium cantat solemniter, idest cum Manipulo & Stola, secus si Diaconus sine Stola & Subdiaconus sine Manipulo cantet Epistolam, vel Evangelium, licet adhibere Dalmaticam, vel Clericus Diacono inferior stola indutus praesumat praedicare in Ecclesia, quia praedicare non est exercere actum Ordinis, licet peccaret utendo stola.

6. Sacramentum Confirmationis, vel Ordinis etiam extra Missarum solemnia ministrat.

7. Exercet solemniter ex officio actum Ordinis, licet exercens esset toleratus & in occulto id faceret, quia Constitutio Concilii Constantiensis non favet excommunicatis &c., licet occultis per dicta in Tab. CCXIV.

8. Exercet serio, scienter & quasi ex officio ordinem Sacrum, quem non habet, *ex cap. Si quis*, *& cap. Ex litteris* 2. *de Clerico non ordinato ministrante*, & hinc non Sacerdos absolvens, aut extremam unctionem conferens, vel benedicens Sponsos, Subdiaconus solemniter baptizans licet in casu necessitatis, imo & Diaconus sine commissione Episcopi, vel Parochi, aut aquam lustralem benedicens, si non Episcopus confirmet, vel ordines conferat, aut si Episcopus, per saltum ordinatus, conferat Ordinem, quem ipse ratione saltus non recepit, hi omnes irregularitatem incurrunt. Imo & Laicus solemniter baptizans, vel Missam celebrans *juxta probabiliorem*, quidquid alii negent, fundati in eo quod jura loquantur solum de Clericis. Ast licet Titulus habeat: *de Clerico non ordinato ministrante*, attamen cap. *Si quis* 1. inserto sub eodem titulo, generaliter & absolute loquitur: *si quis baptizaverit, non ordinatus, propter temeritatem, non ordinetur*.

N. B. *Ille cui sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibitum est ne Ordines exerceat, exercens prima vice non fit irregularis, quia pro prima vice incurrit censuram, sed eam non violat.*

N. B. 2. *Exercens, etiam solemniter, actum Ordinis, licet majoris, innodatus censura, si id faciat sive ex ignorantia invincibili, sive ex inadvertentia, sive ex oblivione, sive necessitate vitandi scandali, non incurrit irregularitatem.*

TAB. CCXXVI. *De Irregularitate proveniente ex delictis Haeresis, Apostasiae et Homicidii.*

Irregularitas ex delicto provenit praeterea ex delictis

- **I. Hæresis & Apostasiæ a fide, quæ inducit irregularitatem in**
  - 1. Hæreticos, *ex cap. Saluberrimum* 21. *Causa* 1. *qu.* 1., vi cujus ad Ordines superiores ascendere nequeunt, neque in iis, quos forte susceperunt, ministrare, nisi ex gratia quadam & dispensatione.
  - 2. Fautores & Defensores Hæreticorum, *ex cap. Quicumque* 2. *de Hæreticis* 126.
  - 3. Filios hæreticorum in 1. & 2. gradu per lineam paternam, & 1. per maternam, contra aliquos. Ex Cap. *Statutum* 15. de Hæret. Excipe si
    - 1. Filii vel Nepotes nati essent ante lapsum Parentum in hæresim, nam in hoc casu non Hæreticorum, sed Catholicorum filii, aut nepotes essent.
    - 2. Parentes ante mortem conversi & Ecclesiæ incorporati essent, atque adeo non decessissent perseverantes in hæresi, *ex Benedicto XIV.*
    - 3. Parentes ob hæresim combusti ante mortem propter data signa pœnitentiæ obtinuissent absolutionem juxta aliquos: licet alii tales filios vel nepotes non velint exceptos, quia præsumuntur parentes simulate conversi ob timorem ne vivi comburantur.
    - 4. Hæretici sint occulti, juxta probabiliorem & hinc juxta hanc, hæresis non per se & ratione sui, sed ratione infamiæ inducit irregularitatem, prout insinuatum est in Tab. XVI., quidquid aliqui velint quod hæresis per se, atque adeo etiam occulta, inducat irregularitatem.
    - 5. Hæretici & horum Filii & Nepotes nati & educati sint in partibus Galliæ, & Germaniæ, quia in illis partibus sive Hæretici, sive eorum Filii vel Nepotes, licet manifesti, non sunt irregulares, & ideo tam Pater, quam Filii conversi possunt sine dispensatione ordinari.
  - 4. Apostatas a Fide, *ex can. Presbyteros* 32. *Dist.* 50., secus vero negantes solum fidem exterius *juxta probabiliorem*, sicut nec Apostatæ sive a professione religiosa, sive ab habitu Clericali, quamvis Apostatæ a professione religiosa ex alio capite possint fieri irregulares, vel ratione infamiæ, vel quia censura irretiti exercent aliquos Ordines.
- **II. Homicidii, quod inducit irregularitatem in eum, qui**
  - 1. Per industriam, vel insidias proximum suum occidit, *ex can. Miror.* 4. *Dist.* 50., quod verum est, licet homicidium esset occultum, *ex Trid. Sess.* 14. *c.* 7. *de Reform.*
  - 2. Vulnus lethale inflixit, secus si lethale non fuisset, etsi vulneratus vel ex imperitia, aut negligentia Medici, vel Chirurgi, vel propria culpa & incuria, vel ex accidente aliquo extrinseco obiisset, *ex can. Exhibita nobis* 22. *de Homicidio*. In dubio autem, an fuerit lethale? morte secuta ante quadraginta dies, censendus est irregularis.
  - 3. Dans operam rei licitæ occideret proximum non adhibita diligentia ad præcavendum prævisum periculum occisionis, supposito quod omissio diligentiæ fuerit graviter culpabilis, *ex can. Presbyterum* 7. *de Homicidio;* secus si dedisset operam rei licitæ sine prævisione, quod ex tali opere natum sit sequi, aut periculum occisionis alterius subsit: vel si dubio orto adhibita fuisset debita diligentia ad vitandum homicidium; *ex cap. Joannes Sacerdos*. 23. *de Homicidio*.
  - 4. Dans operam rei illicitæ occidit, vel mutilat alterum, licet de illis vitandis omnis diligentia adhibita fuisset, juxta plures, quamvis alii velint, quod dans operam rei solum illicitæ tunc incurrat irregularitatem, quando opus illud ex se & natura sua est inductivum periculi mortis, vel mutilationis, licet ad vitandum homicidium, vel mutilationem, omnem cautelam adhibuisset, *ex cap. Sicut* 20. *de Homicidio;* secus vero si opus illud non esset tale, & hæc posterior opinio videtur probabilior fundata *in can. Quantum*. 48. *Dist.* 59. *juncta Gloss.*
  - 5. Abortum fœtus animati sive directe, sive indirecte procurat, aut ad id consilium vel auxilium aut favorem præstat, juxta dicta in Tab. LXII.
  - 6. Cooperatur ad injustam hominis occisionem, *ex cap. Sicut dignum*. 6. *de Homicidio*, hinc tam physice, quam moraliter occidens sive mandando, sive consulendo, sive alio modo cooperando ad injustam proximi occisionem vel mutilationem, incurrit irregularitatem.
  - 7. Mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat ne occidatur, vel membro aliquo mutiletur, pro casu quo Mandatarius fines mandati excedens occidat, vel mutilet, *ex capite Is qui* 3. de *Homicidio*, sicut & si Mandatarius occidatur ab eo, quem intendebat occidere, quia causa fuit, cur alter propriæ mortis periculo se exponeret. Quod si mandans sive absolute aliquem occidi, aut mutilari, sive solum verberari, mandatum suum revocet, & facta revocatio innotescat Mandatario, mandans non incurrit irregularitatem, licet mandatarius ex malitia sua exequatur mandatum.
  - 8. Consilium dat alteri ad occidendum, vel mutilandum proximum, saltem extra casum, vel quod suo consilio non influxerit in necem aut mutilationem proximi, quia aliunde consultus intendebat, de se id facere (in dubio tamen standum pro influxu consulentis), vel quod consulens omni ope & modo consilium a se datum revocaverit, etiam si aliter non posset, monendo alterum ut sibi caveat.
  - 9. Non impedit mortem, vel mutilationem proximi, cum ex justitia tenetur, & hinc Princeps non defendens innocentum causas, Judex non obstans injustæ mortis sententiæ, Medicus privato vel publico stipendio conductus ægros imperitia sua aut negligentia occidens, morte vel mutilatione secuta, incurrunt irregularitatem: secus qui solum ex charitate tenetur impedire.
  - 10. Excedit moderamen inculpatæ tutelæ, si excessus sit gravis, juxta dicta in Tab. LXV.

N. B. *Dum plures de communi consilio, ac auxilio concurrunt ad occisionem proximi; omnes incurrunt irregularitatem, quamvis aliquis ex pluribus certo sciret quod alter ab ipso non fuerit occisus*, ex can. Si quatuor 34. Causa 23. qu. 8. *Si vero sine communi consilio in rixa subito exorta, pluribus insurgentibus, unus occidatur, is qui certo scit quod ab ipso non fuerit occisus, non incurrit irregularitatem saltem attento foro interno conscientiæ.*

TAB. CCXXVII. *De Irregularitate proveniente ex delicto Mutilationis et enormibus delictis.*

Irregularitas ex delicto provenit tandem ex

III. Mutilatione, quæ inducit, irregularitatem incurrit, qui

1. Abscindit a proximo injuste membrum proprie tale, ut oculum, manum, pedem, aurem, nasum, linguam, membrum virile, sive id faciat physice, sive moraliter, *ex Clementina Si furiosus de Homicidio, & ex c. Petro 1. de Clericis pugnantibus in duello, & ex c. Is qui. 14. de Homicidio, in 6.* Secus vero qui abscindit sive juste per artem Chirurgiæ ad conservandum individuum, sive etiam injuste, si abscissio sit membri minus proprie talis, seu sit partis corporis non habentis distinctum ac proprium officium, ut si quis digitum, vel digitos amputaret, vel dentes excuteret.

2. Sibi non solum membrum proprie tale, sed etiam digitum, vel ejus partem ex ira & indignatione amputat, vel turpiter deformat, *ex can. Qui partem 6. Dist. 55.*, secus si in alium amputaret digitum, vel ejus partem, aut habens superfluos digitos, hos sibi præcideret.

3. Abscissum habet digitum pollicis, vel indicis *ex declaratione Sacræ Congregationis* 19. Julii 1687. apud *Ferraris verbo* Irregularitas, *art.* 1. §. 8.

4. Se ipsum ex zelo indiscreto, sive animo sedandi libidinem, sive ad vocem musicam conservandam, sive existimando se ea ratione Deo præstare obsequium, castrat, sive virilia, sive solum testiculos abscindendo, *ex cap. His qui, 5. Dist. 55., & cap. Significavit 4. de Corpore vitiatis ordinandis, vel non ordinandis*, quidquid aliqui velint non incurrere irregularitatem, qui sibi solum testiculos amputaret ad conservandam vocem.

N. B. 1. *Ad incurrendam irregularitatem inductam ex mutilatione requiritur physica, & realis mutilatio, abscissio, amputatio, & destructio membri proprie talis, unde qui solum debilitaret, et inutile redderet aliquod membrum, sine reali et physica detruncatione, non redderetur irregularis.*

2. *Patientes castrationem sive ignoranter, ut pueri, sive violenter a latronibus et barbaris, non incurrunt irregularitatem, bene vero qui causam culpabilem dedisset, ut sibi virilia, vel aliquod aliud membrum amputetur a Judice, vel marito ob adulterium commissum, quidquid aliqui id negent.*

IV. Delictis enormibus, quæ sunt sequentia

1. Sodomia = Incestus = Raptus virginis = Maleficium = Veneficium = Adulterium = Simonia = Sacrilegium = Perjurium in judicio = Crimen læsæ Majestatis, & alia ejusmodi enumerata *cap.* Infames 17. *Causa* 6. *quæst.* 1.

* Dicta crimina, ut inducant irregularitatem, debent esse notoria & publica, si enim sunt occulta non inducunt irregularitatem, *ex cap. ex tenore 4. et cap. Quæsitum 17. de Temporibus Ordinationum*, excipe homicidium, quod, etsi occultum, inducit irregularitatem, juxta dicta in priori Tabula. Hinc

** Delicta supra recensita per se, & ratione sui non inducunt irregularitatem, sed solum ratione infamiæ, e contra homicidium, & violatio censuræ per se inducunt irregularitatem per dicta in Tabula CCXXV. & CCXXVI.

Hisce versibus { *Hæreticus, Baptismum iterans, Mutilans et Homicida* / *Famosus, Violans censuras, unde ligatur* / *Improbe suscipiens, tractans Ordinis acta.* } comprehensa.

V. Et tollitur vel dispensatur: idest

1. Irregularitates ex delicto undecunque provenientes tolluntur vel per Baptismum (quamvis proprie non dicantur tolli per baptismum, cum nulla, saltem ex delicto, ante baptismum incurratur), vel per dispensationem Papæ.

2. Episcopi possunt dispensare super omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, & non defuncto ad forum contentiosum, non quidem auctoritate propria, sed vi concessionis sibi factæ a Concilio Tridentino: excipe homicidium voluntarium: pro homicidio vero indirecto, vide Tabulas LXI. & LXII.

3. Prælati Regulares eamdem quam Episcopi habent facultatem dispensandi cum suis subditis super irregularitatibus ex delicto provenientibus, *ex Privilegio S. Pii V.*, imo ex eodem possunt pro foro conscientiæ, etiam in homicidio voluntario ante ingressum Religionis commisso.

4. Confessarii Regularium nihil omnino possunt circa irregularitates cum suis pœnitentibus secularibus ex Clemente VIII., quidquid aliqui aliter sentiant.

* Occultum delictum censetur, juxta magis communem, quod ignoratur a majori parte Communitatis.

** Defunctum ad forum contentiosum censetur, quando delictum est delatum judici, & delatio parti intimata.

TAB. CCXXVIII. *De Irregularitatibus ex Defectu, et quidem primo ex defectu Animae.*

Irregularitas ex defectu dicta provenit

I. In Genere

Octo ex causis, videlicet ex defectu vel Animæ = vel Corporis = vel Natalium = vel Famæ = vel Sacramenti = vel Lenitatis = vel Libertatis = vel ex defectu Ætatis, sequentibus versibus comprehensæ.

His versibus:
Infamis, Bigamus, Mutilus, justeque Cruentus,
Neophitus, Obstrictus, Nothus, Puer, atque Idiota,
Obsessus Demone, Lunaticus, Hermaphrodita,
Comprehenduntur.

II. In specie, & quidem ex parte animæ, ob defectum afficientem vel

2. Rationem, quo censentur laborare

1. Pueri, & perpetuo Amentes.
2. Lunatici, qui lucida quidem habent rationis intervalla, sed quasdam ejusdem eclipses patiuntur.
3. Energumeni, seu Arreptitii, qui a malo dæmone vexantur.
4. Furiosi, qui irruente furosis accessu, non sunt liberæ mentis.
5. Epileptici, qui morbo comitiali, seu caduco, ita corripiuntur, ut interclusis sensibus statim cadant, quasi exanimes.

* 1. Prædicti omnes ex jure sunt irregulares per textus *can.* 3. 4., *et* 5. *Dist.* 33. *et can. In his litteris* 1. *Causa* 4. *quæst.* 2.

* 2. Qui levi epilepsia semel affectus fuit, & deinde per plures annos non amplius dedit signa dicti morbi, non est irregularis, & ideo potest tum suspicere Ordines, tum in susceptis ministrare.

* 3. Si quis post susceptos Ordines frequenter morbo caduco corripitur, debet ab exercitio Ordinum removeri ob indecentiam & periculum lapsus.

* 4. Qui huic morbo, licet raro subjecti, graviter impetuntur, ita ut spumas jactent, confusas voces emittant, abstinere debent ab officio Missæ; secus si levioris morbi insultus experiuntur, dummodo juxta se habeant sacerdotem, *ex can. Illud* 15. *Causa* 7. *quæst.* 1.

5. Morbus caducus acquisitus in infantia, imo ante annos pubertatis, non inducit irregularitatem, quia sæpe curatur, & omnino recedit pubertate adepta.

* 6. Qui morbo caduco, vel semel post pubertatem, captus est, debet expectare vigesimum quintum annum, & qui post talem ætatem eo capitur, vix liberatur.

* 7. Qui vertigine solum laborat, non est irregularis, si tamen vertigines tam graviter afficerent Sacerdotem, ut is sine indecentiæ & irreverentiæ periculo sacra facere non posset, tunc utique a celebranda Missa abstinere deberet.

2. Scientia, quo laborare in ordine ad incurrendam irregularitatem censentur, qui non pollent, saltem mediocriter, juxta explicationem datam in Tabula CLV., ea scientia quæ ad præstandum munus jure naturali divino requiritur, *ex can. Illiteratos* 1. *Dist.* 36., non vero illi, quibus scientia a Tridentino requisita pro suscipiendis singulis Ordinibus, de qua in Tabula CLXXX. exigitur, cum Tridentinum præscribens eam scientiam in ordinandis, non addat, eos esse irregulares, in quibus illa scientia deest.

* Cum illiteratis potest Papa dispensare, dummodo defectus scientiæ non sit tam gravis, & subjectum sit comparandæ scientiæ quæ deest, & dispensandus pietate polleat, & abstineat a functionibus quæ scientiam, quam nondum assecutus est, postulant; secus Episcopus, qui tamen non tam exacte exquirere debet ab iis qui nec ad administranda sacramenta, nec ad animarum curam deputati sunt.

3. Fidei firmitate, quo de facto laborare censentur Neophyti recenter (in adulta tamen ætate, secus in infantia) ex idololatria, Mahometismo, & Judaismo conversi ad fidem; hi enim arcentur ab Ordinibus suscipiendis, *ex can. Quoniam multa* 1. *Dist.* 48. donec probetur, tempore determinato arbitrio Episcopi, eorum constantia in fide noviter suscepta.

* Quamvis, juxta mox dicta, ad Episcopum spectet determinare tempus, quo quis Neophytus censendus sit, transacto tamen decennio post baptismum non est censendus Neophytus, atque adeo ordinari potest.

** Si Episcopus judicet, conversionem esse moraliter certam, adeo quod timendum non sit quod Neophytus, vel ad vomitum revertatur, vel in superbiam incidat, quasi ipsius ministerio Ecclesia indigeret (quæ sunt motiva, propter quæ Ecclesiæ prohibet, ne Neophytus statim ordinetur), poterit talem ordinare, quia talis non esset Neophytus in sensu canonum.

*** In dubio, num Neophitus vel ad vomitum reversurus sit, vel in superbiam elevandus, tunc vel ordinandus non est, vel si justa & urgens ratio id exigeret, obtinenda esset dispensatio a Sede Apostolica.

N. B. *Filii nati ex Parentibus Paganis, & Judæis, nisi sint Neophyti, non sunt irregulares, & hinc si hi a primis infantiæ crepundiis sunt baptizati, et exinde Christiane vixerint, non censentur magis Neophyti, quam alii Christiani, et ideo possunt ordinari.*

N. B. *Baptizatus in ætate adulta in ægritudine constitutus censetur irregularis,* ex can. Si quis. 1. Dist. 1. Dist. 57. *quia, ut habet textus, fides hujus non videtur voluntaria, sed ex necessitate. Nec refert, quod hæc irregularitas proveniat a peccato, unde cum baptismus tollat peccatum, videtur quod etiam irregularitatem tollat; nam Glossa in canonem mox citatum, ad verbum* Sed ex necessitate, *ad hanc objectionem respondet: quod Baptismus inducat hanc irregularitatem, unde non potest eam tollere, quia eadem res non potest contrarios habere effectus.*

TAB. CCXXIX. *De Irregularitate proveniente ex defectu Corporis.*

Primis quatuor sæculis non inducebant irregularitatem, ex quo illo tempore plurimi in defensionem fidei catholicæ corpore vitiati, aut debiles efficiebantur, indignum autem fuissent eos ab Ordinibus arcere ob defectum corporis, solum proinde a quinto sæculo vitium corporis inducit irregularitatem.

I. Omnes, generaliter loquendo, irregulares faciunt ex defectu corporis eos qui ita deformes sunt, ut vel defectus impediat decentem Ordinis executionem, vel scandalum, horrorem & contemptum personæ generet, & hoc descendendo ad particulares corporis defectus.

Corporis defectus qui

II. Censentur impedientes decentem Ordinis executionem, ut si quis

1. Manu altera mutilatus sit, *ex cap. Exposuisti 6. de Corpore vitiatis ordinandis, vel non ordinandis.*

2. Careat digitis, *ex Glossa in mox cit. textum ad Verbum Manu*, quia talis non posset frangere Eucharistiam, quod & idem procedit de eo qui partem digiti ad sacras functiones necessariam perdidit, *ex capite De Presbytero 1. de Corpore vitiatis &c.*, secus si careret uno, vel duobus digitis non necessariis ad sacras functiones, excipe pollicem & indicem, adeo quod carens pollice sit jure naturali irregularis, vel melius inabilis ad Ordines, atque adeo indispensabilis, sicut posset dispensari, si careret solum indice.

3. Unguibus in totum careat, pro casu quo inde vel magnam deformitatem inducat, vel impediat, ne hostia contrectari, & frangi satis decenter possit, aut calix sine periculo effusionis attolli, secus si hæc non timeantur, *ex cap. Thomas 7. de Corpore vitiatis &c.*

4. Oculos habens non videat, sive oculi eruti sint, sive non, *ex can. Si evangelica 13. Dist. 55.*, & hinc Monoculus, idest qui uno oculo, quisque ille sit, orbatus est, licet invitus, irregularis est.

* Excipe
1. Si alteri reipsa unus oculos erutus esset, & alius v. g. vitreus ita artificiose esset impositus, ut vix adverti posset.
2. Si utrumque habens oculum, unius solum visu privatus sit, licet oculus, cujus visu caret, esset oculus sinister, qui etiam oculus canonis dicitur, modo tamen ea sit oculi dexteri vis, ut absque indecenti conversione canon legere possit.

N. B. *Si quis postquam Sacerdos consecratus est evadat cæcus, & obtineat a Papa dispensationem, ut possit celebrare Missam votivam de* Beata Maria Virgine, *vel de* Requiem, *in hoc casu necesse est, ut cæco celebranti adsit alius sacerdos, vel vir expertus.*

III. Generant scandalum, horrorem, & contemptum personæ; ut si quis

1. Habeat Os turpiter detortum, Labia corrosa, aut abscissa adeo ut vix dentes operiant, dentes extra os prominentes.

2. Careat Naso, cujus privatione personæ claritas valde obscuratur; qui autem Nasum solito grandiorem, aut breviorem gerunt, Episcopi arbitrio, atque pro modo deformitatis, irregulares, vel non, judicabuntur.

3. Careat Auriculis, idest extrema illa cartilagine, quæ organo auditus adhæret, saltem extra casum quo vitium capillorum velamine celari possit.

4. Sit surdus utraque aure, *ex can. 7. Apostolorum*, quia non posset celebrare absque occasione risus atque ludibrii; si tamen surditas superveniat ordinato, posset permitti celebratio.

5. Altiorem, vel breviorem staturam a natura sortitus est, seu sit adeo gigas, vel pigmæus, ut sit ludibrio.

6. Careat Pede altero, ut absque baculi auxilio functiones Altaris exequi nequeat, *ex can. Nullus 57. de Consecratione Dist. 1. adjuncta Glossa ibidem. ad Verbum Cum baculo*, quod & procedit si habeat quidem verum pedem, indigeat tamen pede ligneo, propter magnam indecentiam; secus qui solum læsus esset in calcaneo, licet ambulando claudicaret, sine tamen baculo, *ex decreto Sacræ Congregationis apud Ferraris Verbo Irregularitas n. 25.*

7. Sit Leprosus, seu lepra percussus, *ex cap. Tua nos 4. de Clerico ægrotante*; si tamen lepra supervenisset suscepto Ordine Presbyteratus, posset privatim permitti Missæ celebratio, quod & idem applicandum morbo gallico, vel alio morbo contagioso laboranti causante deformitatem, *ex cap. Presbyterum 2. de Clerico ægrotante.*

8. Natus sit Eunuchus, vel propter infirmitatem, vel injustam violentiam id passus sit, non est irregularis, *ex can. Si quis 7. Dist. 55.*, *& ex cap. Ex parte 3. de Corpore vitiatis &c.*, nec talis teneretur partem abscissam vel ejus cineres secum deferre, ut falso existimat vulgus.

9. Sit Hermaphrodita; irregularis est, sive in eo sexus alter prævaleat, sive non, *juxta communem.*

* Defectus Corporis, qui Ordinum susceptionem præcedunt, ab omni Ordine excludunt, qui vero Ordinum susceptionem sequuntur, ab illis dumtaxat functionibus removent, quas hujusmodi defectus exercere non sinunt, *ex cap. Presbyterum. 2. de Clerico ægrotante, vel debilitato.*

** In dubio: an defectus aliquis corporis inducat irregularitatem, recurrendum est ad Episcopum, & hujus judicio standum, *ex cap. Cum de tua 2. de Corpore vitiatis &c.*, quod & practicandum a Religiosis, licet exemptis, cum horum Prælati non valeant de hoc dijudicare.

N. B. *Irregularitas ex defectu corporis tollitur vel per cessationem defectus, vel per dispensationem, quæ reservata est Papæ ex usu constanti, cujus dispensationis executionem solet Papa committere Episcopo loci, quamvis non desint qui tribuant Episcopis facultatem dispensandi super irregularitate contracta ex eo, quod qui credens se obsequium præstare Deo sibi virilia amputavit, aut qui voluntarie aliquam partem corporis sibi abscidit, vel ab aliis abscindi culpa sua promeruit, quorum opinio fundatur in* cap. Significavit 4. de Corpore vitiatis &c.

TAB. CCXXX. *De Irregularitate ex defectu Natalium, et Famae.*

Irregularitas ex defectu

- **I. Natalium, quae**
  - 1. Introducta est ab Ecclesia tum propter periculum incontinentiae ex imitatione paterna, tum propter odium paterni criminis, tum ut paternae incontinentiae memoria e locis consecratis longissime arceatur, *ex can. Si gens*, 10. *Dist.* 56. *& ex Trid. Sess.* 25. *c.* 15. *de Reform.*
  - 2. Incurritur ab omnibus qui nati sunt ex illegitimo thoro, seu qui sunt filii illegitimi sive naturales, sive spurii, quantumvis occulti, *ex cap. Ut filii* 1. *& ex cap. Ad praesentiam* 2. *de Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non ordinandis ;* & hinc sciens se esse illegitimum nequit sive Ordines, sive beneficia recipere, non obtenta prius desuper dispensatione.
    * Excipe casum, quo legitima aliqua causa & ratio excuset v. g. quia urgetur ad suscipiendos Ordines, & dispensationem absque gravi sui diffamatione obtinere apud Pontificem, vel Episcopum nequit.
    N. B. *Quinam autem censeantur illegitimi naturales, & quinam spurii, & an, & quomodo legitimentur, constat ex Tabula CCXVII.*
  - 3. Non afficit expositos, quia non sunt illegitimi, & consequenter nec irregulares, juxta dicta in Tabula CCXVII., quidquid aliqui contrarium sentiant; cum in jure expressum non sit, quod ob illegitimitatem dubiam contrahatur irregularitas.
  - 4. Urget Suscipientem Ordines invincibiliter ignorantem se esse illegitimum, statim ac venerit in certam cognitionem, ab Ordinum usu abstinere donec obtineat dispensationem.
  - 5. Non urget Dubitantem se esse illegitimum, se gerere ut irregularem, quia in dubio facti, extra homicidium, non subsistit irregularitas, juxta dicta ad calcem Tab. CCXXIV.
  - 6. Tollitur tum per professionem religiosam ad effectum tantummodo suscipiendi Ordines; secus ad effectum suscipiendi dignitates in Religione, *ex cap. Ut filii supra cit.*, non vero per solam susceptionem habitus Religiosi: tum per legitimationem naturalem, quae fit per subsequens matrimonium, juxta Tabulam CCXVII., tum per dispensationem, quae danda est vel a Dataria, si defectus natalium sit publicus, vel a Sacra Poenitentiaria, si sit occultus.
  - 7. Dispensari non potest ab Episcopo, licet occulta, contracta ex defectu natalium ad effectum suscipiendi Ordines majores & beneficia curam animarum habentia, bene vero ad effectum suscipiendi Ordines minores & simplex beneficium, juxta dicta in Tabula CCXVII.: potest tamen dispensare cum illegitimo sive bona, sive mala fide ordinato, ut in susceptis Ordinibus ministret, *ex cap. Nisi cum pridem* 10. *de Renunciatione.*
- **II. Famae, quae**
  - 1. Introducta est ob decorem status ecclesiastici, cum infames quicumque, sive juris, sive facti, despiciantur.
  - 2. **Incurritur**
    - 1. Ex culpa ab iis qui notantur infamia sive juris, sive facti. Juris autem infamia contrahi potest vel dum committitur delictum, cui ex jure sive civili, sive canonico, annexa est infamia, sicut annexa est delictis relatis in Tabula CCXXVII., vel per sententiam judicis, dum videlicet quis per sententiam judicis condemnatur ad poenam infamantem v. g. ad triremes, exilium, fustigationem, aut ustione signatur, vel per exercitium officii aut professionis sive licitae, sive illicitae, quam qui exercent in jure infames reputantur. Primis duobus modis infamia contracta provenit ex delicto, de qua Tab. CCXXVII.
    - 2. Sine culpa ab iis qui exercent artes vel officia ex jure vel alio modo infamiam inducentia, cujusmodi sunt: Histriones, Mimi, Comoedi, Filii publicae meretricis licet conjugatae, Omnes ludentes in Scena, Aleatores publici & pro ludo mutuantes, Aurigae, Gladiatores, Cursores, Citharoedi, Lyristae, Saltatores, Cloacas mundantes, Pelles expurgantes, & specialiter, *ex Clementina Dioecesanis* 1., *de Vita & Honestate Clericorum*, Carnifices, Laniones & Tabernarii.
      * Omnes praedicti exercentes ignominiosas & viles has artes reputantur populariter infames, atque adeo contrahunt irregularitatem, secus horum filii, loquendo cum exceptione filiorum publicae meretricis.
  - 3. **Tollitur**
    - 1. Emendatione sceleri proportionata & publica, quae videlicet prioris vitae maculas in opinione hominum detergat, adeo ut deteriori famae succedat bona existimatio, ex contrariis virtutum operibus saepe ac diu repetitis, quantum videlicet moraliter sufficit, ut prudentum judicio homo vere conversus intelligatur, ad quod aliqui triennium requirunt.
    - 2. Per sententiam, contracta dispensatione, quae concedi potest tum a Papa, tum ab Episcopis: qui tamen non possunt dispensare in criminibus adulterio gravioribus, nec ad effectum suscipiendi de novo Ordines aut Beneficia, sed solum in susceptis ministrandi.
    - 3. Per Baptismum susceptum quidem infamia facti, secus vero infamia per sententiam impositam; & hinc si Judaeus, vel Turca virgis caesus esset ut fur, post susceptum baptismum maneret infamis: quod verum est, licet talis mutando locum transiret ad partes ubi delictum est ignotum, nam per mutationem loci tollitur quidem infamia facti; secus vero infamia juridica, saltem quoad irregularitatem.

TAB. CCXXXI. *De Irregularitate ex defectu Ætatis, et Sacramenti.*

Irregularitas ex defectu

I. Ætatis Canonicæ

1. Incurritur

1. Ab iis, qui suscipiunt Ordines ante ætatem præscriptam a Tridentino, de qua in Tabula CLXXX.; *ex decretis in jure canonico Dist. 77.*, imo suscipientes Ordines ante præscriptam ætatem præterea incurrunt suspensionem a Pio II. *per Const. Cum ex Sanctorum. Tom. 1. Bull. Cherubini fol. 319.*, & si hanc suspensionem violent ordinis recepti functiones exercendo, novam irregularitatem incurrunt, propter quam, nisi dispensentur, celebrare non possunt, etsi ætatem requisitam jam attigissent.

2. Ab iis, qui recipiunt Beneficium ante ætatem a jure præscriptam, a quo requiruntur Anni

   1. Triginta pro Episcopatu, *ex cap. in cunctis 7. de Electione, et electi potestate.*
   2. Viginti quinque pro Beneficiis curam animarum habentibus, *ex eodem textu.*
   3. Viginti duo pro Dignitatibus, & Personatu non habentibus curam animarum, *ex Tridentino Sess. 24. de Reform. c. 12.*
   4. Quatuordecim pro Canonicatu Ecclesiæ Cathedralis, & decem pro Canonicatu Collegiatæ ex Regula Cancellariæ Romanæ ab Innocentio VIII. constituta.
   5. Quatuordecim pro beneficio simplici, *ex Tridentino ibid.*

   * Ante dictam ætatem censentur irregulares ad effectum obtinendi, & recipiendi Beneficia ecclesiastica, *ex cap. Licet 14. de electione, et electi potestate 126.*, utpote in quo declaratur collatio Parochialis Ecclesiæ facta homini legitimam ætatem non adepto viribus omnibus carere.

2. Non incurritur si sacris initiatus bona fide existimans se legitimam ætatem habere, irregularis non fit, adeoque obtenta ætate non indiget dispensatione ad effectum celebrandi, animadverso tamen errore ante adventum legitimæ ætatis, debet desistere a functionibus correspondentibus Ordini suscepto.

3. Tollitur obtenta absolutione a suspensione, ob receptum mala fide Ordinem ante præscriptam a jure ætatem, incursa, de qua supra, per supervenientem ætatem, pro casu quo innodatus censura suspensionis non exercuisset functiones Ordini suscepti, alias exigitur dispensatio ex supradictis.

N. B. 1. *Dispensare super ætate Canonica tum ad Officium Ordinis suscipiendi, tum ad Beneficia obtinenda Summus Pontifex potest, qui quoad Ordinem Presbyteratus suscipiendum ante vigesimum quartum ætatis annum ordinarie quidem ad tredecim menses, et vix unquam ad plures, quam ad duos annos, solet se extendere, nisi cum Principibus et aliis sublimibus personis.*

2. *Episcopi Germaniæ ex privilegio possunt dispensare super ætate duodecim mensium solum urgente motivo necessitatis, vel utilitate Ecclesiæ, cum eorum inauditam sic sinet.* Dispensant super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint.

III. Sacramenti ob Bigamiam quæcumque sit vel

1. Vera, quæ contrahitur ab eo, qui plures legitimas successive duxit & cognovit uxores, *ex cap. Super eo 2., et cap. Bigamis 13. de Bigamis non ordinandis*, quod procedit, licet posterius Matrimonium nullum esset, *ex cap. Nuper 4. eodem titulo*, dummodo cum ambabus consummaverit perfecte matrimonium.

2. Interpretativa, quæ contingit dum quis

   Viduam, aut corruptam ducit, *ex Can. Curandum 9. Dist. 34.*, & quidem, juxta probabiliorem, & expressam D. Thomæ *In supplem. quæst. 66. art. 3. ad 3.*, licet bona fide existimasset, eam esse virginem, quamvis ab alio per vim vel dolum cognita fuisset, si tamen duceret puellam non ab alio, sed a se ipso prius violatam, non censetur Bigamus nec irregularis, *ex Glossa in caput Debitum. 5. de Bigamis non ordinandis, ad Verbum Divisit, & in caput Sano 2. de Clericis Conjugatis ad Verbum Virginem.*

   2. Virginem quidem sibi desponsavit, quæ tamen post nuptias adulteraverit, si post adulterium eamdem cognovit, *ex can. Si cujus 11., & can. Si laici 12. Dist. 34.*, & id procedit etiam pro casu quo vir invitus, utpote per censuram coactus, accessisset ad uxorem adulteram.

3. Similitudinaria, quæ contrahitur ab eo, qui post emissum solemne castitatis votum contrahit, vel melius attentat contrahere matrimonium sive cum jam cognita ab alio, sive cum virgine, camque cognoscit. Is enim bigamus æstimatur, quasi si duplex contraxerit matrimonium, unum spirituale verum, aliud carnale, vulgo nefandissimum, *ex can. Quotquot 24. Causa 27. quæst. 1., & ex cap. Nuper 4. de Bigamis non ordinandis*, Si tamen Laicus sæcularis nuberet Moniali castitatem professæ, non esset irregularis.

Consectaria

1. Bigamus, & consequenter irregularis censetur etiam ille, qui duas duxit successive uxores unam ante baptismum susceptum, & alteram post baptismum: vel si utramque simul, aut successive ante baptismum susceptum duxisset & cognovisset, *ex can. Acutius 2. & can. Deinde. 5. Dist. 26.*
2. Si quis excisus a Virginitate, cum pluribus se fornicarie commiscendo, duceret Virginem, & non esset irregularis, *ex cap. Quia circa 6. de Bigamis non ordinandis.*
3. Bigamia sive vera, sive interpretativa, sive similitudinaria inducit irregularitatem ex pluribus motivis, præsertim quia bigamus non potest perfecte repræsentare matrimonium Christi cum Ecclesia, quæ est unica cum uno, & unius cum unica, eaque incorrupta, *ex cap. Debitum 5. de bigamis non ord.*
4. Tolli nequit per Baptismum, *ex can. Acutius 2. Dist. 26.*, ut insinuatum in Tab. CXXXII. sed solum per dispensationem, quam potest impertiri Summus Pontifex, etiam si Bigamia sit vera & perfecta, *ex cap. Lector 18. Dist. 3. juncta ad Verbum, Fiat.*
5. Episcopus nequit dispensare in irregularitate contracta ex bigamia vera & interpretativa, *ex cap. Super eo 2. de bigamis non ordinandis juncta Glossa in expositione casus*, ad effectum Ordines suscipiendi, nequidem primam Tonsuram, & Minores Ordines, *ex cap. Altercationis, Unico de Bigamis in 6., & ex Tridentino*; potest tamen dispensare super irregularitate contracta ex bigamia similitudinaria, *ex cap. Sane 4. de Clericis Conjugatis, & Glossa ibidem in expositione casus.*

TAB. CCXXXII. *De Irregularitate ex defectu Lenitatis et Libertatis.*

Irregularitas ex defectu

- I. Lenitatis
  - 1. Introducta est ab Ecclesia ad exemplum mansuetudinis Christi, qui tamquam ovis ad occisionem ductus est, & cum pateretur non comminabatur, ut dicitur 1. *Petri* 2. *v.* 23., cum enim Sacerdos personam Christi gerat, & ejus mansuetudinem imitari debeat, indecens est, ut qui voluntarie & nulla cogente necessitate hominis sanguinem fudit, Christi mansuetissimi personam in Altari repræsentet, & ejus nomine hostiam immaculatam Deo Patri offerat.
  - 2. Incurrunt eam qui
    - 1. Auctoritate publica proximum occidunt, vel mutilant sive physice, sive moraliter, *ex can. Aliquando* 1. *Dist.* 51., qui vero in particulari incurrant, vel non incurrant ex hoc capite irregularitatem? constat ex Tabula LXIV., quibus adde, quod juxta plures hanc irregularitatem incurrat Clericus, qui consultus a Judice in particulari: an talis Reus sit hoc vel illo genere plectendus, affirmat: quod tamen alii negant, sed judico in hoc casu tenenda tutiora, respondendo judici interroganti, *consule leges, adi jurisperitos*.
    - 2. In justo bello offensivo occidentes, vel mutilantes, & quidem non solum si moraliter certi sint, quod per se & proprio facto aliquem occiderint, vel mutilaverint, sed etiam si rationabiliter dubitent prout insinuatum in Tab. LXIII., secus vero si certo sciant, se neminem occidisse, vel mutilasse.
    - 3. Deliberate concurrunt ad accelerationem mortis effectu secuto, & hinc aliqui volunt saltem se exponere periculo incurrendæ irregularitatis, eos qui etsi bono & misericordi animo carnificem hortantur, ut ad furcam condemnatum, citius interficiat, ne diu vexetur, vel omnino suffocet eum, qui nondum strangulatus apparet, ne diutius langueat; nam qui hoc faciunt, magnæ imprudentiæ reos esse ait Natalis Alexander, & in dubio a suis functionibus abstinere, & a Summo Pontifice dispensationem suppliciter efflagitare debent; secus vero qui infirmum vertendo de latere ad latus, transferendo de uno in alium lectum, cibum aut potum præbendo, vel aliquid aliud agendo, ex quo notabiliter acceleretur mors infirmi; nam actus hi non insinuant defectum lenitatis, sed effectum maximæ charitatis, qui ex se non tendit ad accelerationem mortis.
  - 3. Super qua dispensare potest solus Papa, secus Episcopus, quidquid aliqui contrarium sentiant: ex quo fit, quod Episcopi cum nullo ex Militibus, vel Ministris Justitiæ ob defectum lenitatis irregularibus dispensent, sed illos ad Curiam Romanam dirigere solent, prout etiam Stylus Curiæ, qui pro lege habetur, tenet.
- II. Libertatis
  - 1. Introducta est ab Ecclesia per textus relatos *Dist.* 54., *& toto titulo de Servis non ordinandis*, quia Ecclesiasticum statum ejusque honorem dedecet servituris humilitas.
  - 2. Quam incurrunt
    - 1. Servi quamdiu sunt servi, *ex titulo de Servis non ordinandis*, præsertim *ex cap. De Servorum* 2. *ibi relato*, quia servus Domini obsequiis mancipatus, ad divina mysteria, sicut Clericum decet, expeditus esse nequit; si tamen dominus esset contentus, posset ordinari, imo ordinatus sciente & non contradicente domino, ex hoc ipso liber & ingenuus erit, *ex can. Si Servus* 20. *Dist.* 54. Quod si servus ignorante domino, vel sciente & contradicente, Ordines susciperet, graviter peccaret, & si adhuc in minoribus sit, ad sequendam servilis conditionis suæ necessitatem obligari debet. *ex can. Frequens* 10. *Dist.* 54. Si vero majoribus initiatus esset, obligandus ad opera spiritualia domino suo.
    - 2. Conjugati *ex cap. Conjugatus* 6. *de Conversione Conjugatorum*, nisi ab uxore continentiam profitente fuerint absoluti; qua absolutione seclusa prohibitum est Conjugato tribuere etiamnum primam Tonsuram, vel Minores Ordines, *ex cap. Nullus* 4. *de Temporibus Ordinationum in* 6.
    - 3. Curiales, seu illi, qui ex obligatione inserviunt Curiis Principum sæcularium, ut sunt Judices, Advocati, Milites & similes Ministri, qui quamdiu illis functionibus sunt dediti, repelluntur ab Ordinibus suscipiendis, *ex can. Designata* 2. *Dist.* 51.
    - 4. Obligati ad ratiocinia, ut sunt Thesaurarii publici, Tutores, Curatores, Procuratores &c., qui non possunt ordinari, nisi prius redditis rationibus & deposita sua ipsorum obligatione, *ex cap. Magnus Episcopus* 1. *de Obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non ordinandis*.
  - 4. Tutores tamen & Curatores suorum Agnatorum, Administratores rerum Ecclesiasticarum, Pupillorum, Viduarum, aliarumque miserabilium personarum, quæ potissimum indigent ecclesiastico adjutorio, non censentur irregulares, & ideo tales possunt promoveri ad Ordines, *ex Glossa in cit. cap. Magnus ad Verbum Ratiocinio*, proptereaque Clerici possunt exercere dicta officia, *ex can. Pervenit* 26. *Dist.* 86.

TAB. CCXXXIII. *De modo recurrendi, et exequendi obtentam dispensationem super irregularitate.*

Dispensatio super irregularitate obtinenda & exequenda, ut sequitur

1. Quando petenda est dispensatio super irregularitate incursa ob delictum occultum, in quo Episcopus non potest dispensare, recurrendum est Romam ad Sacram Pœnitentiariam.

2. Quando quis pluribus irregularitatibus specie diversis, videlicet ob diversa delicta contractis, est innodatus, tunc in supplici libello omnes debent exprimi; secus si essent ejusdem rationis & speciei, ut si quis sæpius celebrasset innodatus excommunicatione, plures occidisset &c., nam in hoc casu sufficeret eas in genere exprimere, quamvis plures Auctores velint quod non multiplicentur irregularitates in eadem specie ex repetitione actus sub irregularitate prohibiti, sed unica incurratur, & hinc asserant quod excommunicatus pluries celebrans in excommunicatione non nisi unicam irregularitatem contrahat, eo plane modo, quo copula cum consanguinea sæpius repetita non inducit novum impedimentum, sed unicum, prout insinuatum in Tabula CCV.

3. Si innodatus irregularitate contracta ex delicto occulto, v. g. homicidio vel procuratione abortus fœtus animati, non posset sine scandalo, dispendio famæ, aut alio gravi incommodo, abstinere ab exercitio ominis, v. g. a celebratione Missæ, aut aliis functionibus, debet operam dare, ut a Pontifice, vel ab Episcopo (quando hic potest dispensare) citissime impetret dispensationem, interea tamen post peractam pœnitentiam posset celebrare.

4. Pro impetranda dispensatione Roma a Sacra Pœnitentiaria super irregularitate occulta, recursus fieri potest sequenti modo & forma: *Eminentissime Domine Domine N. Sacerdos, vel Diaconus, vel Laicus* (exprimi debet status ipsius irregularis, non tamen nomen verum, sed fictum, quando delictum est occultum, & supplex libellus dirigitur ad Cardinalem supremum Pœnitentiarium), *contraxit irregularitatem ex homicidio occulto perpetrato, & quia ab exercitio Ordinum citra grave scandalum abstinere non potest* (vel exprimatur aliud grave motivum suscipiendi, aut exequendi Ordines): *hinc humiliter supplicat pro remedio. Quam gratiam &c.* Eodem modo mutatis mutandis recursus fieri potest ad Episcopum habentem facultatem super irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus.

5. Obtenta facultate dispensandi, potest exequi dispensationem verbis quibuscumque exprimentibus relaxationem: optimum tamen erit uti forma præscripta a Rituali Romano, adeoque post datam absolutionem a peccatis addere debet: *eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate, vel irregularitatibus, in quam vel quas ob talem causam, vel tales causas incurristi, & habilem reddo & restituo te executioni Ordinum & Officiorum tuorum, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*, quod si Pœnitens Ordine Sacro careat, dicendum: *habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos*, imo id addere debet, etsi nullum omnino ordinem haberet, propter dicta in Tabula CCXIV., cum irregularitates impediant etiam susceptionem Tonsuræ.

APPENDIX

Quoniam huic operi passim pro notitia et commoditate Confessariorum, et etiam Candidatorum insertae inveniuntur Propositiones damnatae, quae scilicet ad materiam pertractatam faciunt, ac ad calcem Tabularum positae, et aliquae inveniuntur quidem citatae, sed ad litteram eidem non insertae; ne aliquid absit ad perfectionem ejusdem, et ne cogantur Lectores eas quaerere in aliis Libris, placuit omissas per modum Appendicis huic Tabulae subnecteres.

Ad Tab. III. Tit. II. n. 1.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. (Hæretica)

Ad Tab. V. Tit. III. NB.

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

Ad Tab. XIII. Tit. IV. *Necess. Medii n.* 2.

Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate Medii, non autem explicita Remuneratoris. (22)

Ad N. B. *Absolutionis capax est homo quamtumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. Jesu Christi.* (64)

Ad Tit. V. n. 4. *Per se.*

Satis est actum fidei semel in vita elicuisse. (17) = *Sufficit illa Mysteria semel credidisse.* (65)

Ad Tab. XIX. Tit. III. *Per se.*

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. (5)

Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinqueniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. (6)

Tunc solum obligat, quando tenemur justificari & non habemus aliam viam, qua justificari possumus. (7)

Ad Tab. XX. Tit. I. 2.

Non tenemur proximum diligere actu interno & formali. (10)

Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. (11)

Ad Tab. XXI. Tit. I. 3.

Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere; illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. (13)

Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. (14)

Licitum est Filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. (15)

Ad Tab. XXV.

Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. (15)

Ad Tab. XXVIII. Tit. II. Restitutionem.

Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet. (21)

Restitutio fructuum ob omissionem Horarum, suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit. (33)

Ad Tab. XXVIII. in fin.

Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. (54)

Ad Tab. XL. Tit. III. n. 1.

Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed duntaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra. (45)

Ad Tab. XLV. Tit. I. n. 21.

Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi.

Ad Tab. LI. Tit. III. ad 5.

Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit. (53)

Ad Tab. LIV. Tit. II.

Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præceptis. (23)

Item ad Tit. IV. n. 4.

In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. (29)

Ad Tab. LV. Tit. II. n. 4.

Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando; utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant. (31)

Ad Tab. LXVI. Tit. II. n. 6.

Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

Ad Tab. XCV. Tit. III. n. 3.

Contractus Mohatra, *licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævise inito & cum intentione lucri.*


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 03 09 03 016 0